CHRONOLOGIA.

2°
P
27

~~P.II.5~~ 2°
P
27

CHRONOLOGIA:

Hoc eſt,

OMNIVM TEMPORVM ET ANNORVM AB INITIO MVNDI, VSQVE AD ANNVM A NATO CHRISTO 1552. IN PRIMA EDITIONE AB AVTORE DEDVCTA: POST AB EODEM RE-cognita, aucta & in annum 1566: Inde vero ab alijs in annum 1578: & tandem iterum ab alijs vsq; ad annum Chriſti 1601 producta

COMPVTATIO,

IN QVA METHODICE ENVMERANTVR OMNIVM POPVLORVM, REGNORVMQVE MEMORABILIVM ORIGINES AC SVCCESSIONES. ITEM, OMNES EORVM REGES. QVANDO QVISQVE COEPERIT. QVAMDIV REgnarit, quid dignum memoria geſſerit, Quis ſtatus populi DEI fuerit: ac quemadmodum translata ſint Imperia, à populo in populum &c. Etſi qui viri illuſtres, quæ facinora egregia, ac ſi quid amplius memoratu dignum extitit, ea omnia breviter ſuis locis referuntur.

Suntq; in hac computatione omnia tempora, tum ex ſacris Biblijs, tum ex optimis quibusq; autoribus, Hiſtoricis & Aſtronomorum obſeruationibus, ſumma fide ac diligentia conciliata.

ITEM

COMMENTARIORVM LIBRI DECEM IN QVIBVS QVID TRADATVR, PROPRIO titulo indicatur.

Ordinis Minorum Reg: Obs^a

Autore

Fulda

Iohanne Funccio Nörimbergenſe.

BIBLIOTHECA CONVENTUS FULDENSIS O.F.M. Frauenberg

Acceſſit etiam præter rerum ac verborum memorabilium Indicem copioſiſſimum, & denuo locupletatum, Commentariorum quædam appendix, ab alijs adiecta.

WITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni, Impenſis Andreæ Hoffmanni Bibliopolæ.

Anno M. D C. I. *ex officio, partim vt*

Regni

Bibliothek Kloster Frauenberg Fulda

ILLVSTRISSIMO ET CHRI-STIANISSIMO PRINCIPI AC DO-MINO, DOMINO ALBERTO SENIORI MARCHI-ONI BRANDEBVRGENSI, PRVSSIÆ, STETINI, POME-raniæ, Caſſubiorum ac Vandalorum Duci, Burggrauio Noribergen-ſi, Rugiæq; Principi &c. Domino & Principi ſuo Clementiſsi-mo, Iohannes Funccius,

S. P. C.

OCTAVVS NVNC ANNVS EST, ILLVSTRIS-ſime atq; Chriſtianiſsime Princeps Alberte ex quo primam huius Chronologię partem, quam nunc integram Celſ. T. offero, in lucem dedi, in qua cùm multa ſacrarum Scripturarum myſteria, quę ſine certa temporum computatione minimè poſſunt intelligi, in lucem produxiſſem, ità tamen, vt tunc tempus tulit, ac inter cętera quoq; et alteram partē, quę à Reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti inciperet, vbi illa prior deſierat, atq; ad noſtram ętatem vſq; continuata eſſet, promiſiſſem: Non deſtiterunt boni ac docti viri, quorum permultę ad me datę ſunt literę, ſubinde me commonefacere, vt promiſsis meis aliquando ſatisfacerem. Arbitrabantur enim ſe & ex altera parte eà cognituros, quę in Apocalypſi abſtruſiora prę cęteris apparent his equidem iam diu ſatisfactum eſſet, ſi per me vel minimum ſtetiſſet. Sed fortuna ſic diſponente, volenteq; Deo, cui fortaſsis conſilium fuit aliud, ac nos cogitemus operis eius ęditio vſq; ad hanc diem eſt protracta. Nam (vt indicem quę cauſę fuerint morę) cùm ſtatim eodem anno, quo typis prima pars eſſet diuulgata, alteram partem abſoluiſſem, eamq; Typographo non minus diligenti, quâm fideli, Cyriaco Iacobo ciui Francofordienſi, cuius impenſis & prior pars Noribergę erat impreſſa, aliqua ex parte transmiſiſſem, accidit, vt eodem tempore, & milites Cęſareani Francofordiam obtinentes, pręla impedirent, & Cęſarea edicta, ſi quid aduerſus Sellam Romanenſium, id eſt, aduerſus Pontificum Romanorum tyrannidem ſcriptum extaret, quod typis eſſet excudendum, ſtrenuè & ſub atrociſsima pœna prohiberent. Qua ratione excluſus inde ad id temporis ęditionem maturare non potui Interea & mihi locum mutare neceſſum fuit, quibus verò de cauſis, aliàs fortaſsis dicetur, quamuis eas Cel. T. non ignoret. Veni ergo T. Celſitudine me vocante in Pruſsiam, in qua cui ſubiectus fuerim fortunę, etſi Cel. T. ſciat optimè, tamen ob alios, quibus hęc legēda fortè obuenient, reticenda non ſunt. Primùm ſuum miſſus in partes Lituanię, quę Celſ. T. parent, vnde cùm poſt aliquot ſeptimanas rediſſem, veterisq; vrbis Regiomontanę Parochus Chriſtophorus felicis memorię, non longè ante ex hac vita ad Dominum transmigraſſet, T. Celſ. ad petitionem Senatus, idem Eccleſię Concionatorem ad tempus me contribuit, in qui ad menſem decimum quintum ferè, pro mea virili Verbum Dei docui. Ac quia ſub idem tempus Sereniſsimus paciſq; Princeps ſtudioſiſsimus Sigiſmundus Polonię Rex, octogenario maior, vita eſſet functus, Tuaq; Celſ. ex officio, partim vt

*Regni illius feudatarius, magis verò vt eius ex Sorore nepos, ad Sepulturam Ser.
R. M. ſuę proficiſceretur, me quoq; indignum Cel. ſuę miniſtrum ad illam profe-
ctionem clementer inuitauit, tum vt mea vteretur opera in Verbi Dei enarratio-
ne, cùm vt mihi & illas regiones earumq; gentium mores videre liceret. In hoc iti-
nere offerebatur T. C. pernicioſus ille partus Auguſtanus, cui vulgò INTE-
RIM dedère nomen, quas ille turbas nobis atq; moleſtias peperit, meum non eſt
dicere. Siquidem & alia concurrebant, quę non minorem his regionibus incute-
rent timorem, cùm ad bella per Poloniam omnia inclinarent, quàm ille minita-
bundus moribundusq; canis Interim. Diuino tamen auxilio ſuperata ſunt omnia,
foriſq; in ciuilibus parta eſt pax. Tunc Reuerendus in Chriſto Dominus Andre-
as Oſiander, Noribergam relinquens ob eandem, qua ego diſceſſeram illinc, cau-
ſam, ad T. Cel. ſeſe contulit, à qua, vt dignus erat, humaniter exceptus Parochię
veteris Vrbis Scholęq; Vniuerſali, à T. Celſ. magnis inſtitutę ſumptibus, pręfici-
tur. Ego ad aulam vocor. Ibi cum minus mihi negocii eſſe appareret, quàm fuerat
hactenus, cum in aula Iohannes Detzelius vir & meliore fortuna & ſodalitio
dignus, mihi collega eſſet, quiq; plurimum tunc temporis in ſe reciperet laboris Ec-
cleſiaſtici, Chronologiam denuo in manus recepi, ac cùm viderem multa in priori
parte perperam eſſe poſita, multaq; haberem, quę paſsim prioribus adderem, ex v-
triſq; partibus volumen vnum opuſq; continuum facere inſtitui. Procedebat res
aliquandiu ſatis auſpicatè. Inſtabant admonitores literę doctorum, pręcipuè au-
tem Reuerendiſsimis pięq; memorię Dominus, Paulus Speratus Pomezanienſis
Epiſcopus, me vrgebat non tantùm per literas, ſed per quoſcunq; ad nos habere po-
terat nuncios, vt hoc opus tandem abſolutum in lucem proferrem. Res interea, ne
ſcio per quem, ad T. Cel. quoq; eſt delata, nempe, quòd opus eiuſmodi molirer, Quę
ſtatim his cognitis, quibus me poterat leuare, oneribus liberabat, vt huic tantum
operi perficiendo incumberem, ac cùm tot vndiq; vrgentibus amicis dataq; tanta
ad efficiendum quòd diu expetiueram opportunitate, expanſis velis (vt aiunt) la-
borum mare lętus ingrediebar, ſpe plenus, quòd non tantum Cel. T. atq; amicis per
urgentibus ſatisfacere breui poſſem, verum etiam quòd maximo me labore atq;
moleſtiſsimo liberatum, ad ſacrarum literarum, pręcipuè autem ad Hebraicę lin-
guę pleniorem cognitionem totum conferre poſſem. Tunc vindex ira DEI, pec-
catis noſtris diu tam prouocata, ſpem à me conceptam prorſus ad id temporis euer
tit. Graſſante enim per vniuerſam ferè T. Cel. ditionem peſte immaniſsima ad ſil-
ueſtria loca aulam Cel. T. ſequi me oportuit, vbi plus minus menſes ſeptem trans-
egimus. In quo temporis ſpacio multum licuiſſet mihi in hoc opere pręſtare (ſiqui-
dem & ocium mihi ſummum erat) ſi modò Bibliotheca, quę ad opus eiuſmodi
requiritur haud mediocris, ad manum fuiſſet. Sed hac deſtitutus, irritus manſit
labor. Peſte tandem diuina miſeratione domi ſedata, paceq; multis votis exoptata
nobis reſtituta, ad vrbem Regiomontanam rediuimus, ibi poſt longam valetudi-
nem, qua multis ſeptimanis haud proſpera ſum vſus, ad relictum opus acceſsi, àtq;
per ęſtatem illam, quę incidit in annum Chriſti M. D. L. Chronologiam totam
in vnum, vt inſtitueram, volumen redactam abſolui.*

Dum

Dum Chronologia ſub prælo eſt, Commentariis operam do, ſed dum motus illi Eccleſiaſtici ſæpiſſime alio me vocant, non minus in aſſerenda atq; tuenda Veritate Dei labora, Quæ in his Chriſtus per me præſtiterit, vt non eſt meum multis efferre, cum nihil in hoc meis viribus ſit actum, ita in primis Celſ. T. ſunt notiſſima, quæ & ſuo tempore de his teſtimonium toti Chriſtianorum orbi, vt confido, perhibebit. Triplici ſic labore diſtrictus, Eccleſiæ, correcturæ, ſcriptioniq;, vt tempus ferebat, inſeruiens, decem hos Commentariorum libros, partim ex iis, quæ priori parti addita fuerant, partim de nouo conſarcinaui verius, quam conſcripſerim. Res enim pleraſq; ex aliis deſumens, verbis ferè iiſdem retuli, quibus ipſi ſunt vſi. Hoc vnicum ſpectans, vt pius lector & veritatis ſtudioſus, ea haberet in promptu, quæ populi Dei ſtatum inprimis eum edocerent. Hæc itaq;, vt dictum eſt, in tanta rerum perturbatione tandem ad finem, quem optaueram, perduxi. Atq; in Eccleſiæ Chriſti commodum in vulgus edidi. Nam quòd hoc vnice in hoc opere quæſiuerim, ſi non res ipſa docuerit, tamen conſcientia mea id mihi teſtatur. Ac quandoquidem impedimenta tardioris editionis indicaui, finisq; in quem hoc opus inſtituerim, mentionem feci, rogo Clementiam T. ne & illa pernoſcere dedignetur, quæ in principio, vt hoc opus inſtituerim, me mouerunt. Fato enim potius quàm voluntate ad ipſum compulſus ſum. Nam cùm intelligerem Hiſtoriæ cognitionem inter omnes artes, quibus honeſtatis nomen meritò tribuitur, facilè principatũ obtinere, cum ex ea vnica tot commoditates eſſe queant hominibus, quot ex artibus aliis ferè omnibus, me quoq; eidem ſtudio, quantum præ cæteris, quibus Eccleſiæ ex officio inſeruiebam, licuit, addixi. Videbam enim hanc ſolam eas homini vtilitates afferre quibus quis perceptis non modo felix ac honeſtus in hac vita dici poſſit, ſed in illa quoq;, quæ futura atq; æterna creditur, longè feliciſſimus. Nam cùm ad veram pietatem, quæ in Dei non ficto timore conſiſtit, nihil nos æquè moueat, quàm ſi crebra cùm miſericordiæ, tu iræ diuinæ exempla ob oculos habeamus, quibus admoniti quæ iuſta ſunt ſequamur. Quis non ob id vnicum bonum, ſi nullum eſſet aliud, Hiſtorias magna cum diligentia perſcrutandas eſſe duxerit? Siquidem hæ ſolæ ſunt, quæ eiuſmodi exempla tradant. Nam cùm de Hiſtoriis dico, tam ſacras quàm prophanas intelligo. Sicuti enim illæ inprimis docent, quibus humanum genus à Deo bonis gratuita miſeratione ſit donatum: Et quomodo eos, qui hæc in pura fide agnoſcentes cuſtodierint, remunerauit Deus, atq; iſtos, qui aut neglexerunt ea, aut per infidelitatem contempſerunt omninò, puniuit: Ita & has in hunc finem & legere et pernoſcere debemus, vt vtrumq; ex iis cognoſcamus; vtq; nobis, quod ex vſu ſit, ab aliis exemplum ſumamus. Certum eſt enim hominum mentes eius eſſe conditionis, vt multò vehementius afficiantur, ſi viuas quaſdam imagines in conſpectu habeant, è quibus manifeſta Dei vel ira, vel miſericordia elucet, quàm ſi nudas tantummodò vel comminationes, vel promiſſiones audiant. Multò fortius percutit animum, ſi audimus horrendas illas Iudæorum clades, quas poſt abiectum ac condemnatum Chriſtum Dominum à Romanis ſunt perpeſſi, ac ſi quis verba illa Chriſti, Luc. 19. cap. nudè legat, quibus id exitium eis vaticinatus eſt: Sic quoq; maiorem conſcientiis affli-

ctis conſolationem afferunt Dauid adulter & homicida, Petrus abnegator, & Paulus perſecutor &c. in gratiam recepti, atq; nuda promiſsio abſq; exemplo. Ac vt ingenuè fatear quid ſentiam, ego pleraſq; Hiſtorias ob id vnicum tùm ſcriptas, cùm conſeruatas diuinitus cenſeo, vt aut terrori aut conſolationi poſteris eſſent.

Ac quamuis hoc bonum vel maximum ſit, quod ex Hiſtoria ad mortales redire poſsit, quodq; per ſe ſatis eſſet ad impellendum hominem, vt totum ſeſe Hiſtoriæ dederet: tamen adhuc longè plures, ac humano generi non minus neceſſariæ ex ea vtilitates naſcuntur, è quibus eas, quæ mihi ſummæ videntur, paucis indicabo. Primùm namq; manifeſtum eſt, quod abſq; Hiſtoria, quo in ſtatu populus ſiue Eccleſia Dei fuerit, nunquam perfectè cognoſci poteſt: cùm tamen in omni vita Chriſtiano homini cognitu nihil ſit iucundius aut vtilius, quàm vt conſideret, quomodo Deus Eccleſiam ſuam, quæ aliàs ab vniuerſo mundo ſpernitur, inflammatisq; odiis impugnatur, ab omnibus inimicis, licet potentiſsimis, ſemper mirabilibus modis liberauit, defendit & glorificauit: Contra verò perſecutores, aut bellis horrendis, aut aliis quibusdam tempeſtatibus proſtrauit, deleuit, ac demum funditus eradicauit. Quia enim in hoc mundo Eccleſiam cruci ſubiectam eſſe oportet, vt non tantùm ſacræ literæ, ſed omnes etiam omnium temporum hiſtoriæ teſtantur: quam maiorem conſolationem habere poſſet Chriſtianus, quàm quòd certiſsimus eſt, Deum non eſſe permiſſurum, vt in hac afflictione Eccleſia ſua radicitus extinguatur? Præſertim, cum tot exemplis edoctus ſit, quibus ſe Deus defenſorem fidelium manifeſtè demonſtrauit. Et quàm neceſſaria ſit hæc conſolatio verè piis, vel hæc noſtra tempora abundè docent, in quibus tot hoſtes tam potentes tamq; infenſi Euangelio Chriſti, ac tot hæretici atq; Sectarii tam ſplendentes hypocriſi, tamq; ſcientiæ nomine pernicioſi, vndiq; Eccleſiæ imminent, vt antehac nunquam. Quid ergo ſperet homo pietati deditus aliud, quàm Eccleſiam propediem extinctam iri? præſertim, cùm nunc non infima ac leuis turba verbis Chriſti manifeſtiſsimis contradicat, ſed illi ipſi, qui Doctores Eccleſiæ & dici & eſſe volunt. Ac contra hoc ſcandalum Hiſtoriæ nos muniunt, ita, vt non deſperemus, videmus enim ſemper hanc fuiſſe Eccleſiæ fortunam, vt ii maximi eius hoſtes fuerint, de quibus ſperandum erat, quòd tutores atq; defenſores eius eſſe deberent. Præter hanc in fide confirmationem, & hoc vtilitatis ex Hiſtoria habemus, quòd eius ductu difficilimos quoſq; ſacræ ſcripturæ locos, & prophetias intelligere poſſumus, quod hac remota fieri poſſet nunquam. Nam vt exemplis hoc fiat manifeſtum, quis Regum libros, præſertim poſteriores, omnibus in locis exactè interpretabitur, qui hiſtoriarum Mundi ſit ignarus? Quis pleraſq; Ezechielis prophetias abſq; Hiſtoriæ cognitione intelliget? Videmus, quemadmodum in iis locis enodandis, & magni Eccleſiæ doctores hallucinati ſint, eò, quòd præ nimio aliarum rerum ſtudio Chronica aut neglexerunt, aut vt minimum non, vt decebat, inueſtigarunt. Porrò quis Hieremiæ comminationes aduerſus regnum Babylonis, quod is Merodach vocat, abſq; diligenti & temporum & Hiſtoriarum obſeruatione rectè explicabit? Ac vt de

Ieſaia

Ieſaiæ quibuſdam locis nihil dicam: Quis totam Danielis prophetiam intelliget? Quiſue ſciet, quid velint Hebdomades ſeptuaginta, quas Angelus ad regnum Chriſti vſq; numerat? Quis Eſram? Quis Nehemiam? Quis Machabæorum librum? Quis totum noui Teſtamenti contextum pro dignitate intelliget, niſi is, qui temporum eorum, de quibus hi libri loquuntur, non tantum ſeriem, ſed & inprimis res geſtas non ignorarit? Quis deniq; vel vnicam in Apocalypſi Viſionem recte explicabit, niſi is, qui & temporum & Hiſtoriarum ſeriem probe tenuerit, atq; cum iis, quæ ibi ſub imaginibus ſunt inuoluta, diligenter contulerit? His adde, quàm ſint hæc ſtudia non dicam vtilia, ſed potius neceſſaria, ad confirmandas conſcientias, aduerſus inſperatos Satanæ inſultus, qui cùm alia via pios abſterrere nequit, vt Deo diffidant, totum fundamentum euellere conatur, ſuggerendo: Quid ſi Scriptura te ſeducat? Hac enim tentatione (Deus nouit quod non mentior) me, vt hoc onus in hac fabricanda Chronologia ſuſciperem, inprimis vel inuitum compulit. Nam cùm primùm ad Theologiæ ſtudium animum appuliſſem, confeſtim me aggreſſus eſt huiusmodi ſolicitare verſutiis, nempe ſacras ſcripturas in hiſtoriis mundi, quæ tamen à prudentiſſimis omnium ſeculorum viris conſcriptæ ſint, nullum omnino habere teſtimonium, ideo certitudinem earum vacillare. Atq; huiuſmodi technas confirmare conabatur maximè temporum διαφωνία. Nam cum ſcripturæ iis cum Hiſtoriis, quo ad tempora, non conuenirent (vt primo aſpectu videbantur) vanam eſſe fiduciam arguebat, quæ tamen incertis niteretur &c.

Quid igitur in tali negocio magis erat exoptandum, quàm vt Diabolum in his quoq; ſuis fraudibus, vt in cæteris, mendacem deprehendere queas? Quod equidem ſola diligenti Hiſtoriarum & temporum obſeruatione fieri poteſt. Nam ſi hæc diligenter perſcrutatus fueris, reperies ſcripturam ſacram tam firma ex Hiſtoriis aliis habere teſtimonia, vt aut certius, aut verius inueniri poſſit nihil. Quicquid enim eadem ſcriptura ad hunc diem vſq; futurum eſſe prædixit, id ſic accidiſſe, & tempora & res ipſæ conteſtantur. Atq; vt alia prætercam, (nimis enim longum foret omnia hoc loco exequi) vnicam Danielis prophetiam conſideremus. Quid is de regnis Perſarum, Græcorum in Aſia, Syria & Ægypto, deq; populo Iudaico vaticinatus eſt, quod non ad verbum teſtantibus tam Hiſtoriis, quàm rebus ipſis eſſet completum? ita vt planè, cùm Hiſtoria cognita id vaticinium lego, ipſas ipſorum Regum &c. res geſtas ob oculos mihi poſitas habere videar. Nonne ſeptuaginta illæ eiuſdem Vatis Hebdomades, quas à conceſſa Iudæis ædificandæ vrbis libertate, ad regnum Chriſti vſq; numerat, ex ſolis Hiſtoriis certiſſimè inueniuntur? De quibus ſingulis hoc loco pluribus agerem, niſi res eadem in Commentariis Chronologiæ adiunctis copioſe à nobis eſſent explicatæ. Adferrem plura, ſed tempus me deficeret, ſi cuncta, quæ Hiſtoriarum teſtimonio in ſcriptura certiſſima eſſe comprobantur, enumerare inſtituerem.

Dixi hactenus de iis, quas homo pietatis ſtudioſus ex Hiſtoria commoditates habere poterit, quæ & me in primis ad Hiſtoriarum ſtudia compulerunt, ſi nunc de iis quoque dicere vellem, quæ in Ciuili vita, ex Hiſtoriis vtilitates hauri-

ri poßit, quantum opus mihi conſcribendum eſſet? Quis enim verbis explicare poterit, quantum Hiſtoria ad formanda gubernandaq; Imperia, Principibus ac Magiſtratibus reliquis momentum afferat? Quandoquidem ex hac cognoſcunt, quibus mediis maxima quæq; Imperia ex infimo ſtatu ad ſummum aſcenderint, quibusq; initiis iterum collabi cœperint, ac quibus deniq; de cauſis à ſtirpe penitus ſubuerſa ſint. Ut interim nihil dicam de iis, quas ſinguli, cuiuſcunq; ſint ordinis, ex Hiſtoria ad ſapienter inſtituendam vitam commoditates haurire poſſint. Nam ad hoc quoq; prodeſſe Hiſtoriam, laudatißima ad hunc diem vſq; Ethnici illius ſententia teſtatur, quæ eam Vitæ Magiſtram eſſe pronunciauit. Et ſi quis conſideret, quàm magnam vim habeant exempla virtutum in Hiſtoriis tradita, ad incitandos ad imitationem animos, is verum eſſe dictum illud procul dubio intelliget. Nam cùm ingenia φιλεγκώμια virtutem in cœlum vſq; attolli ac omnibus ſeculis laudem obtinere vident, Contra verò, ſocordiam atq; ignauiam in obſcuro, vituperioq; ſubiectam manere, mox propoſitis exemplis, maxima quæq;, quibus laudem ſe promereri credunt, aggredienda ſuſcipiunt. Sic enim Scipionem illum, cui poſtea ex virtute Africano nomen fuit, excitatum ſcribunt Hiſtorici, exemplo Alexandri Magni. Sic quoq; C. Iulium Cæſarem horum exemplis fictisq; motum tradunt, vt viribus fere maiora ſuis attentare ſit auſus. Legimus Barbarum & Chriſtiani nominis hoſtem immaniſsimum Selymum, huius Solymanni Turcorum Tyranni patrem, intellexiſſe, quàm huiuſmodi rerum cognitio Imperatoribus ſit neceſſaria. Is enim per omne vitæ ſuæ tempus, Alexandri Magni ac Dictatoris C. Iulii Cæſaris geſta, quæ propriis ac magnis ſumptibus in ſuam linguam transferri curauit, ſine intermißione lectitauit. Ac quid inde fructus hauſerit, vel deuictus Ægyptiorum Sultanus, Syriaq; cum Ægypto ſubacta documento eſſe poterunt. Hanc optarim diligentiam noſtri ſeculi Principes & Magiſtratus (quod & T. Cel. facere in primis noui) ſtrenuè imitarentur, id enim ſi fieret, non dubito, quin pleraq; bella, paucis ab hinc annis cœpta, maiori tum gloria, cum fructu & geſta & perfecta eſſent. Sed de his hactenus.

Hæc itaq; vt dixi, Princeps Illuſtrißime, me quoq; mouerunt, vt, ſi quid temporis mihi ad inſpiciendas Hiſtorias datum eſſet, eo me conferrem, quò & ipſe de ſucceſſu Eccleſiæ Dei, ac quæ in ea acciderunt ſcitu memorabilia, quibus & Veritas & Miſericordia Dei in nobis confirmatur, ſolidam quandam cognitionem habere, ac vt potißimum de ſacrarum literarum certitudine, quam Satã mihi in dubium vocauerat, quàm certißimus eſſe poſſem. Ac cùm & in hoc ſtudio, ſicuti in reliquis conſueueram, methodum quandam ſiue compendiariam viam quærerem, cuius ductu & facilius & commodius eò, quò cupiebam, peruenirem, nulla mihi commodior viſa eſt, quàm vt certa temporum ſeries legenti ſemper ob oculos verſaretur, vt ſi quid memoratu dignum occurreret, id ſuo anno aſſcribi, atq; ſic memoriæ mandari poſſet. Vnde autem talem annorum ſeriem, quæ & plana & certa eſſet, peterem, aliquandiu in dubio fuit. Tot enim, & tam diuerſæ ſupputationes in manus mihi veniebant, vt ob earum διαφωνίαμ non ſemel de vtilitate, quam ex Hiſtoriis expectabam, deſperarim. Nam tanta eſt omnium quos ego quidem vidi, qui de temporibus ſcripſerunt, in ea re diſcordantia, vt,

quòd ego ſciam, vix duos reperire liceat, qui omnibus in locis inter ſe conueniant. Cum itaque hanc diuerſitatem ſcriptorum animaduerterem, neque me falleret, quòd ea res non tantum propoſito meo maximum impedimentum afferret, ſed quòd & ipſis Hiſtoriis fidem adimeret, atq; ipſi ſacræ ſcripturæ non ferendas caligines obiiceret: Ipſe, ut mea ferebat ingenii tenuitas, ad eiuſmodi temporum deſcriptionem, cuiuſmodi ego exoptabam, animum intendere cœpi. Ac principio me rem perfacilem factu aggreſſum putabam: At cum ipſi operi manus admouiſſem, paululumq; progreſſus eſſem, tantam repente difficultatem, ob inextricabiles ferme labyrinthos, quos mihi pleriq; Chronologi obiiciebant, expertus ſum, vt ſemel atq; iterum, rem cœptam ad finem perduci poſſe, omnino diffiderem. Attamen cùm viderem neq; Hiſtoriarum fidem abſq; temporum certa cognitione firmam eſſe, neq; ſacras Hiſtorias, Prophetias, & Myſteria intelligi poſſe, niſi certus annorum mundi numerus extaret: vicit vtilitas difficultatem, & me toties ad perficiendum hoc opus reuocauit, donec tandem, fauente Deo, non tantùm id, quod primùm inſtitueram, ſed tale quoq; opus, à me ſit conſcriptum, cuius fortaſſis me neq; pœnitere, neq; pudere vnquam debuerit: Continet enim hoc opus totam illam annorum, Regnorum, Regum, rerumq; geſtarum præcipuarum, in primis verò earum, quæ ad intellectum ſacræ ſcripturæ requiruntur, ſeriem, quæ ab initio Mundi ad hunc præſentem annum vſque effluxit. Si verò in computandis temporibus, rem ipſam (vt in prouerbio eſt) acu non tetigi, ſpero equidem me à veritate non procul abeſſe. Siquidem ea, quæ ad ſacras literas pertinent, ita conſonant omnia, vt certiora à quoquam (abſit inuidia dicto) proferri poſſe vix credam. Et vbi ſacræ ſcripturæ computatio deficit, ibi eam adhibuimus diligentiam, vt non ſolùm tempora, quæ Hiſtorici tradunt, quantum poſsibile erat, inter ſe conuenirent, ſed vt ipſa quoq; computatio cunctis locis cum Olympiadibus, Græcorum ſupputatione, & illis annorum obſeruationibus, quæ in Ptolemæi μεγάλης συντάξεως opere paſsim referuntur, quam id fieri poſſet, exactiſsimè conſentiret. Ac quemadmodum id præſtiterim, bonorum doctorumq; ſuffragiis diiudicandum haud grauatim permitto. Ea tamen conditione, vt in iudicando eum adhibeant candorem, qui à doctis & ingenio præſtantibus viris meritò requiritur. Et quò mediocriter eruditi non tantum de certitudine Chronologiæ huius iudicare poſſent, verum etiam vt & alia in promptu haberent, quæ ad pleroſq; ſacrarum literarũ obſcuriores locos intelligendos, atq; ad Eccleſiæ Dei ſtatum ſingulorum temporum cognoſcendum &c. ſunt neceſſaria, decem Commentariorum libros, in quibus ea omnia affatim complexus ſum, ipſi Chronologiæ adiunxi.

Ac quicquid in hoc opere ad promouendam communem Chriſtianitatis vtilitatem magnis laboribus confeci, Tuæ Celſitudini, Princeps Alberte, dedicandum donandumq; eſſe ſtatui. Primum ob hanc cauſam, vt me viciſsim Celſ. T. gratum eſſe oſtenderem, pro innumeris, quæ in me contulit beneficiis. Quamuis ea non contendam hoc munere compenſare, cum eiuſmodi ſint, quæ me totum T. Celſ. in perpetuum deuinciant. Deinde etſi nihil vnquam Cel. T. in me

vel pu-

vel publici vel priuatim contuliſſet boni, tamen hoc ſatis cauſſæ eſſet, vt hoc opus nemini dedicaretur alii, quòd T. Cel. inprimis & autoritate & impenſis effecit, vt in his regionibus per typos diuulgaretur, quòd fortaſsis (cùm multa Antichriſti ſeruis in hoc libro contraria paſsim contineantur) in aliis locis aut nunquam, aut ſerò admodum fieri potuiſſet. His accedit, quòd nemo Principum in tota Chriſtianitate, in conſeruanda & propaganda Dei Veritate, vel conſtantior, vel patientior inueniatur, cui operis huius tutelam, vt id ab inuidorum morſibus defenderet, iuſtius committerem. Ac tametſi quidam (de quibus Cel. T. ob multas cauſas, quas, cùm aliàs ſciantur, lubens taceo, meliora meritò expectaret) aliam de Cel. T. famam per orbem ſparſerint, tamen hos & fidei ſuæ & Veritatis oblitos eſſe, non tantùm mihi perſpectum eſt, ſed in breui quoq; toti Chriſtianorum orbi ita eluceſcet, & apud multos iam eluceſcere cœpit, vt non ſolùm Cel. T. vetus pietatis Encomium ab omnibus reſtituatur, ſed & ij quanticunq; nunc ſibi eſſe videantur, dignam obliuionis ſuæ (ne quid grauius dicam) pœnam ſuſtineant. Nam etſi coram Mundo nihil eis accidat intolerabilius, infamiæ tamen notam non effugient, ac niſi reſipiſcant in tempore, iudicium diuinæ vltionis in ſempiternum ferre cogentur. Sed cùm T. Cel. mihi pietas, atque ad promouendam Chriſti Veritatem diligens ſtudium inprimis ſit perſpectum, his meis lucubrationibus eandem Celſitudinem Tuam Defenſorem (vt dixi) mihi parare volui. Nam haud ſum neſcius, cùm ea quæ à ſummis ingeniis inueſtigari antea non potuerunt, eruenda publicandaq; ſuſceperim, futurum eſſe, vt hic meus labor in varias maleuolorum reprehenſiones incurrat. Quid enim, quæſo, tam perfectum in lucem vnquam prodiit, in quo inuida maledicentia non inueniſſet quod carperet? Et ſcio quod T. Cel. hunc meum laborem non grauatim ad defendendum ſuſcipiet. Siquidem in hoc opere ea quoq; inuenire poteſt, quæ non tam ſuæ perſonæ priuatim quàm toti Reipublicæ aliquando vſui eſſe queant. Nam cùm Cel. T. ſingulari Dei beneficio ſacroſanctum Dei verbum ab omnibus, tam Papatus, quàm Philoſophiæ ſcoriis expurgatum, verè pureq; & confiteatur & defendat, atq; ob eandem confeſsionem (in Veritatis teſtimonium, cui ſemper contradicitur à mundo & hypocritis) multas tùm ab externis, cùm à domeſticis, id eſt, in ditionibus Cel. T. conſtitutis, manifeſtis Chriſti hoſtibus, iniurias, calumnias & obtrectationes perferre ſit coacta (quas & patienti & forti in Chriſto animo & pertulit & vicit) atq; illa quidem mala neq; adhunc diem ſint finita, cùm tota hypocritarum catena, extrema quæq; tam nobis, quàm reliquæ Chriſti Eccleſiæ atrociter minitetur: Hanc potiſsimum hinc conſolationem habere poteſt, quòd luce clarius videt, idq; magnis multisq; exemplis confirmatum, Deum non permiſſurum eſſe, vt hoſtes ipſius aduerſus Eccleſiam ſuam præualeant. Nam etſi aliquandiu eam affligunt, tamen conſtitutum tempus eſt, & motus definitus, quandiu ſcilicet furor illorum durare, & quouſq; ſeſe extendere debeat, eò ſi peruenit, etſi immenſus adhuc apparet, tamen euaneſcit. Quemadmodum enim Deus omnibus retrò ſeculis, electorum ſuorum afflictiones certis temporibus definiuit, quibus finitis oppreſsi iterum liberati ſunt, ſicuti ſeruitus in Ægypto, in Babylone, afflictio furente Antiocho, preſſura ſub Arianis, ſub Papatu &c. (de quibus abundè in Com-

menta-

mentariis dictum eſt) ſua tempora præfinita habuerunt: Sic quoq; & noſtro tẽpore certam diem determinauit, nempe nouiſſimam, qua omnes qui in ipſum ſpem noſtram ponimus, ab immanitate huius mundi liberare, atq; æternis gaudiis ornare decreuit. Ac ſicuti præcedenti tempore Deus veriſſime (vt Hiſtoriæ teſtantur) rebus ipſis quod pollicitus eſt, præſtitit, Ita & hoc noſtro tempore, indubitatiſſima fide præſtabit, quod de ſempiterna libertate per Flium ſuum nobis promiſit. Cùm itaq; in hunc modum Cel. T. (vt aliarum commoditatum interim nullam mentionem faciam) de infallibili verbi Dei certitudine confirmetur: maiore cum fiducia eas ærumnas, quas ob gloriam Chriſti magna patientia hactenus ſuſtinuit, in poſterum perferre erit parata. Siquidem iam nunc certa eſt, eas non fore perpetuas, ſed cum tempore finem accepturas, nec vllius momenti eſſe, ſi cum æterna gloria, ad quam nos Chriſtus præparauit, quamq́; nobis meruit atque donauit, conferantur. Hoc igitur donum, quamuis vt plurimùm humili ſtylo atq; incompto dicendi genere conſcriptum, Princeps Illuſtriſſ. ac Chriſtianiſſime, æquo animo, ſicuti confido in Cel. T. tutelam ac protectionem ſuſcipe, eoq; ad ornandam ac defendendam Chriſti gloriam felix fruere, Meq́; Cel. T. miniſtrum duotiſſimum, in Clementiæ T. fide atq; tutelam ſemel ſuſceptum, porrò ab aeuerſariis meis, qui ſolum ob Veritatem odiſſe me cœperunt, ſecundum officiud à Deo Cel. T. impoſitum, ſi qua neceſſe fuerit, benignè defendito. Chriſtus Cel. T. cum omnibus ſuis totoq́; Ducatu Pruſſiæ, ac cunctis, qui Chriſtum verè diligunt, in agnitione ſui ac proſpera valetudine conſeruet atq; protegat, quo gloriæ ſuæ ſubditisq́; tuis cum tota Chriſti Eccleſia ad multos annos inſeruire valeas, cui ſit honor & imperium cum Patre & ſancto Spiritu per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Datum Regiomonte, Ducatus T. metropoli, in die Theophili, Anno poſt natu Chriſtum M. D. L I I.

AVTO-

AVTORVM NOMINA, QVORVM SCRIPTIS ATQVE OPERIBVS IN HAC CHRONOLOGIA CONCINNANDA VSI SVMVS, VT ET

iȷs ſuus maneret honor, hoc loco indicare libuit.

A

Abbas Vrſpergenſis
AElius Lampridius
AElius Spartianus
AEneas Syluius
Agathius de bello Gothorum
Albertus Krantzius
Ammianus Marcellinus
Andreas Oſiander
Annales Conſtantinopolitani
Annonius de rebus Franciæ
Anſelmus Rijd
Antonius Summa
Appianus de bellis Lybiæ, &c.
Archilochus de Temporibus
B. Auguſtinus
Aulus Gellius
Aurelius Victor.

B

Biblia ſacra
Beatus Rhenanus
Beda Anglus
Benedictus de Acoltis
Beroſus
Blondus
Bonfinius de rebus Vngarorum
Breuiarium Chronicorum Germ.
Cullingerus

C

C. Iulius Cæſar.
C. Plinius ſenior
Callimachus Experiens
Caßiodorus
Chronicon Coloniæ
Chronicon Noribergenſe manu ſcriptum
Chronica duo Ordinis Teutonici manu ſcripta &c.
Chronicon Poloniæ
Chronicon Saxoniæ
Chronicon Miſniæ
Cromerus de rebus Polon.
Cyprianus
Clemens Alexandrinus
Claudius Ptolemæus Aſtrologus
Conciliorum & Decretorum Pontificum Romanorum libri
Cornelius Tacitus.

D

Dares Phrygius de bello Troia.
Diodorus Siculus
Dion Caßius Niceus
Dionyſius Halicarnaſſeus.

E

Egeſippus
Elias Iudæus
Epiphanius Cyprius
Eraſmus Aichlerus
Euſebius
Eutropius

F

Faſciculus Temporum
Flauius Vopiſcus
Franciſcus Irenicus
Franciſcus Petrarcha
Freculphus.

G

Gregorius Holoander
Gildas Anglus
Gregorius I. Papa
Guilielmus Tyri Archiepiſcopus.

H

Haito Frater Regis Armeniæ Monachus
Henricus Glareanus
Henricus Pantaleons
Hermannus Contractus
Herodianus Herodotus
B. Hieronymus
Hieronymus Cardanus
Hiſtoria Tripartita autores, Boëtius, Sozomenus Socrates & Theodoretus

I

Iacobus Picolominus Card.
Iacobus Vvimpfelingus.
Iodocus Ludouicus Decius
Iohan. Annius
Iohannes Auentinus
Iohannes Camertes
Iohannes Cuſpinianus
Iohannes Egnatius Baptiſta
Iohannes Iouianus Pontanus
Iohannes Magnus Gothus
Iohannes Maior de reb. Scotorum
Iohannes Thurotz de reb9 Hung.
Iohannes Trithemius Abbas
Iornandes rerum Geticarum ſcriptor.
Ioſephus Iudæus
Ireneus Epiſcopus Lugdunenſis
Iulius Capitolinus
Iulius Solinus
Iuſtinianus Imperator in Cod.
Iuſtinus.

L

Lampertus Schaffnaburgenſis
Luitprandus de rebus per Europam geſtis
L. Florus

M

Macrobius
Manetho AEgyptius
M. Portius Cato de Originibus
M. Tullius Cicero
Martinus Barletus de vita Scanderbegij
Martinus Lutherus
Maſſeus Cameracenas
Matthæus Palmerius
Matthias Palmerius
Metaſthenes
Michael Ritius.

N

Nauclerus
Nicolaus de Lyra
Nicephorus Eccleſiaſt: ſcriptor.

O

Otho Friſingenſis.

P

Paralipomena Cratonis Mylij
Paulus Eberus de rebus Iud:
Paulus AEmilius de rebus Franciæ.
Paulus Iouius
Paulus Oroſius Paul: Phrygio
Paulus Vvarnefrid Diaconus
Philo Iudæus
Platina *Plato*
Plinius Iunior
Plutarchus *Polybius*
Polydorus Vergilius de rebus Ang.
Pomponius Lætus
Priuilegia quorundam Imperatorum & Pontificum &c.
Procopius
Proſper Aquitanicus.

Q

Q. Curtius
Q. Fabius Pictor.

R

Raphaël Volaterranus
Regino Pruminenſis
R. Barns
Robertus Ganguinus
Rufinus.

S

Sabellicus *Saluſtius*
Saxo Grammaticus Danus
Sebaſtianus Franck
Sebaſtianus Munſterus
Sempronius
Sigbertus Francorum ſcriptor
Strabo *Suetonius*
Supplementum Chronicorum.

T

Tertullianus *T. Liuius*
Trebellius Pollio
Thucydides.

V

Vadianus
Valerius Maximus
Vartomannus de rebus Orientis, &c.
Victor Epiſcopus Vitenſis
Vincentius Speculi autor
Vualcatius Gallicanus.

X

Xenophon.

Habuimus præterea varia diuerſorum ſcripta & collectanea, quorum autores ignorantur, alioqui & ipſos ſuo honore non defraudaremus.

CHRONOLOGIA.
Hoc eſt;

TEMPORVM ET REGNORVM SERIES; AB INITIO MVNDI VSQVE AD ANNVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI M. D. LXVI. EX SACRIS

Biblijs, & optimis quibuſq; autoribus, & Hiſtoricis, ſummâ fide ac diligentia conſcripta.

Autore

Iohanne Funccio, Nörimbergenſi.

Et ab alijs deducta uſque ad annum CHRISTI 1601.

ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ ΛΥΚΙΟΥ.

Ὅστις ἅμα πρόσσω δύναται νοέειν καὶ ὀπίσσω,
ἀνδρὸς ἐπωνυμίαν οὗτος ἔχοι φρονίμου·
ἱστορίαν δὴ πάντα περιστήκει κύκλον ἑλίσσειν,
ἀρχομένη κόσμου καιρὸν ἐς ἡμέτερον.
ἀλλ' ὁ τοσούτοις λαβύρινθος ἑλιξὶν ἐπλέχθη,
ἀμπλακίαισιν ὅπως μνήματα συγγραφέων.
ταύτην γοῦν δέξαιο βίβλον, μίτον ὡς Ἀριάδνης,
Φούγκιος ἀλιόδοις ἣν ἐπόνησε φρεσίν.
ἧς χάριν εἰδήσεις τῷ ξυγγράψαντι, φυλάττου
μὴ προπετῶς ἀθετεῖν ἴσος, ὅτ' ἄδηλα πέλει.

VVITEBERGAE.
Typis Zachariæ Lehmanni, Impenſis Andreæ Hoffmanni Bibliopolæ.
Anno M. D C. I.

PIO LECTORI IOHANNES FVNCCIVS.

OPERAE PRECIVM ESSE VIDEBAtur, vt de Hiſtoriæ Mundi ſerie ſcripturus, ab ipſo Operis initio, de eius rei vtilitate quædam diſſererem: ad hæc, vt de Deo Opt. Max. à quo pulcherrimum hoc opificium, quod Mundus dicitur, conditum eſt, nonnulla diſputarem: videlicet, an ſi quiſpiam Deus à quo omnia ſint condita, & à quo conſeruentur omnia? Qualis, vel quis ſit, vndeq́; ſciri aut cognoſci queat? quæq́; ſint eius operationes? quomodo deniq́; hanc Mundi machinam condiderit? & quædam id genus alia. Sed cùm primum illud, quod de Hiſtoriæ & cognitionis temporum vtilitate tractat, alibi prolixè ſatis tam à nobis, quàm ab aliis ſit agitatum: alterum verò, quod ad DEI cognitionem attinet, ex ſacris literis certiſsimè tutiſsimeq́; peti poſsit, de induſtria diſputationes illas omiſi. Et ab ipſo DEI opificio, Mundo ſcilicet, & eiuſdem fabricatione, initium & temporum, & in iis rerum geſtarum, facere decreui. Et DEVM Opt. Max. omniſq́; ſapientiæ & Scientiæ Largitorem benigniſsimum ex animo precor, vt hoc meum inſtitutum, quàm eſt honeſto conſilio, & animo ad iuuandum pia ſtudia prompto, à me inceptum, tam ſit etiam auſpicatum, & omnibus tum pietatis, cùm honeſtatis ſtudioſis frugiferum. Ab ipſius ergo temporis initio, vt diximus & nos huius Operis exordium ſumemus.

IN PRINCIPIO CREAVIT DEVS COElum & terram, & omnem in eis ornatum, ſex diebus primis, aptiſsimè perfectiſsimeq; & diſpoſuit, & abſoluit. Poſtremùm condidit Hominem ad imaginem ſuam: hoc eſt, omnibus perfectum viribus animæq; potentijs, abundantem deniq; amore, fide, atq; obedientia erga DEVM conditorem: Præfecitq; eum omnibus creaturis, quæ infra Lunam viſebantur: Et ne ignoraret ſe habere Dominum, quem obediendo coleret, dedit ei DEVS Præceptum, ne de arbore cognitionis Boni & Mali fructus guſtaret. *Moſes incipit. Ioſephus Moſen ſequitur.*

Porrò, quia non erat bonum, Hominem nobiliſsimam creaturarum eſſe ſolum, addidit ei DEVS adiutricem Fœminam, quam de coſta Viri ædificaverat: Et benedicens eis, ut fœcundi eſſent, terramq; prole ſua complerent, magna cum bonitate præcepit: Atq; hîc initium ſumpſit primus omnium totius Mundi ordinum, nempe Matrimonium: Qui ob id quoque nobis vel cariſsimus & valdè honorabilis eſſe debet, quòd primus, & à DEO ipſo ſapientiſsimo artifice, atque adeò in Paradiſo, cùm omnia eſſent integra, eſt inſtitutus. *Fœmina. Matrimonium.*

Poſt hæc Diabolus invidens homini tantam felicitatem, qua fruebatur, dum in Paradiſo conſtitutus erat (Id eſt, perfectus in perfecta DEI cognitione ac dilectione agens, quâ nulla voluptas maior eſt) occultavit ſemetipſum in Serpente, & perſuaſit Mulieri, ut de fructu arboris interdictæ manducaret. Ita enim mandatum & comminationes DEI elevavit Satanas, ut miſercula mulier omninò crederet, DEVM hunc honorem, quem Satan prædicabat (videlicet, quòd quid Bonum Malumve eſſet, ex eius huius fructus eſſent cognituri, forentq; per omnia ſimiles DEO) Homini invidere. Qua opinione concepta, ſtatim à fiducia in DEVM, qua eum anteà ſtatuerat humani generis amantiſſimum, ad diffidentiam delapſa eſt, qua non aliter quàm DEVM odiſſe genus humanum, iudicabat: eò quòd gloriam iſtam, a Diabolo iactatam, eis negaret, & quia ipſas quoq; comminationes DEI, Satan primo ſuo mendacio, quaſi vanas in corde mulieris fecerat, ita, ut cogitaret, DEUM non tam graviter iraſci peccato, quàm comminationis eius verba ſonarent: & ex altera parte ſciendi cupido non minus vrgeret: contemptis tandem DEI minis & mandato, de fructibus maledictionis comedit: Virumque ad ſimilem tranſgreſsionem Mandati DEI ſolicitavit: Qui aſſentiens Vxori, & ipſe à DEO Opt. Max ad Diabolum defecit. Hanc inobedientiam ſtatim ſecuta eſt mirabilis & deplorandа humanæ naturæ cæcitas & corruptio, quæ tantas brevi momento vires acquiſivit, ut nos omnes qui ex corrupto iam Adamo nati ſumus, in eam, in qua vivimus, miſeriam coniecerit. *Peccatum*

Hinc itaque peccatum, & omne miſeriarum genus, atque condemnatio, originem trahens, imperiumque in nos potenter ſumens, univerſos Nos in æterna ſecula Captivos tenuiſſet: Ni DEUS miſericordia motus, per amorem quo erga humanum genus abundat, promiſiſſet primis noſtris parentibus, priusquàm eos Paradyſo pelleret, & illis benedictionibus, quibus eos paulò antè ornaverat, ut eſt Gen. 1. privaret, maledictionemque annunciaret, per SEMEN MVLIERIS (Qui eſt CHRISTVS ex Virgine natus,) liberationem à dominio peccati, Diaboli & æternæ mortis. Hac Evangelica & conſolationis plena *EVANGELIUM.*

Promiſsione erecti, patres omnes ab Adamo, usque ad tempora Abrahami, ubi denuò clarior data eſt, ſeſe fulcierunt, & Diabolicis inſultibus reſtiterunt.

Labor. Adam horto voluptatis pulſus, atq; illis benedictionibus, quas primitus à DEO acceperat, exutus, Terram, ob peccatum hominis iam Maledictioni ſubiectam, ut inde victum corporalem quæreret, exercere cœpit.

Opera carnis in Cain. Ad hæc quoque cum uxore ſua HEVA conſuetudinem habens, duos filios, maiorem natu CAIN, minorem HABEL, nec non & filias quaſdam ex ea ſuſcepit. Et cùm adoleviſſent Cain & Habel, DEOq; munera ex opibus ſuis obtuliſſent: inſurrexit Cain adverſus fratrem, & prævalens viribus occidit eum. Ob quod facinus, cùm nulla pœnitentia tangeretur, ſed ferox in pertinacia ſua perſeveraret, increpatus à DEO, turpiter deſperavit. Fugiens deinde à facie DEI, ſegregatur à patre, habitavit in terra verſus Orientem à domo patris ſui, & de uxore ſua ſuſcepit filium nomine ENOCH, cui civitatem eiuſdem nominis extruxit: in qua cum familia ſua adauctus, novam Religionem inſtituit, quæ in externis tantummodò & ſplendidis factis, potentiaque mundana conſiſtebat: Ad quam augendam poſteri eius TVBALCAIN, filius Lamech, filij Mathuſael, filij Irad, filij Enoch, arma & omnia, quæ ex metallis fabricarentur, invenit. Et IVBAL frater Tubalcain, ad alendas delicias, organorum muſicorum uſum inveſtigavit. NOEMA quoque eorundem ſoror, Veſtitum molliorem (ut quidam tradiderunt) ex Lana linoque fieri excogitavit: cùm antea tantùm pellibus animantum Homines tegerentur. Hac denique larua, & externa cùm potentia, tùm felicitate, piorum patrum filij decepti, ad Cainitas tranſgredi cœperunt: Et non attendentes, quòd DEVS per crucem & afflictionem multam, ſuos ad Regnum & potentiam immortalitatis traducat, ab ipſo deſciverunt. Ac cùm pijs Noah, cæterorumque Patrum, qui tum temporis ſuperſtites adhuc erant, admonitionibus nihil moverentur: ſed & quotidie maiorem in modum omnes iniquitates ſuas, novis & infandis ſceleribus adaugerent, ita ut prioribus peccatis, tanquam nullius momenti rebus, Tyrannidem quoque adijcerent: meritas tandem omnium horum ſcelerum pœnas dederunt: Cùm univerſa terra, vaſta Aquarum inundatione, quæ à divino numine irritato immittebatur, horribiliter ſubmerſa eſt. Verùm de his hactenus.

ENOCH urbs prima.

Artes inventæ. Muſica.

Defectio filiorum patrum.

Eccleſiæ ſucceſſio. Nunc ad Eccleſiam DEI, alteram videlicet progeniem Adami accedamus, & quanto quiſque patrum tempore vixerit ab initio Mundi uſq; ad Diluvium, breviter ex Sacris recenſebimus.

GENE-

GENESIS QVINTO CAPITE.

130. VIXIT ADAM CENTVM ET TRIGINTA annis, & genuit SETH filium ad imaginem ſuam.

235 Vixit quoq; Seth centum & quinq; annis, & genuit ENOS.

395. Vixit Enos nonaginta annis & genuit KENAN.

325. Vixit quoq; Kenan ſeptuaginta annis, & genuit MAHALALEEL.

460. Vixit Mahalaleel ſexaginta quinque annis, & genuit IARED.

622. Vixit Iared centum ſexaginta duobus annis, & genuit HENOCH.

687. Vixit Henoch ſexaginta quinq; annis, & genuit MATHVSALAH.

874. Vixit Mathuſalah centum octoginta ſeptem annis, & genuit LAMECH.

930. ADAM primus homo moritur annorum 930.

Seth	Vixit cum Adamo annis:	800
Enos		695
Kenan		650
Mahalaleel		505
Iared		470
Henoch		308
Mathuſalah		243
Lamech		56

HI POTVERVNT DISPVTARE DE POTENTIA SEMInis promiſſi, & Satanæ hoſtis infenſiſſimi, cuius inſidias procul dubio quotidie ſunt experti. Porrò curſus Aſtrorum mirabiles optimè eis obſeruare licuit, in quo ſtudio plurimum temporis, gratia recreationis animi, eos poſuiſſe credendum eſt. Nam vt poſtea nata ſunt Ingenia, incredibile eſt, quòd has res tam abſtruſas, ſuo marte à primis principijs inveſtigare potuerint. Vidit Adam Saturni ſtellam trigeſimum primum orbem conficere &c.

Anni Mundi.

Mortem primi parentis ſtatim ſecuta eſt poſteritatis Cain inſolentia. Nam vt ex Sacris conijcimus, circa ea tempora Religionem ſuam efferre, piorum verò patrum deprimere conati ſunt. Et è ſtatu præſentium rerum fortè ſic ſunt argumentati, vt noſtro ſeculo impij ſolent, poſt pij Doctoris Lutheri mortem: Et dixerunt: Ecce omnium noſtrum progenitor iam morte abſumptus eſt, qui de Vita æterna multa blaterauit (ſic enim loquuntur impij) Quid reliquit ſuis ſequacibus? Nonne dolorem? nonne afflictionem? nonne etiam ſummam paupertatem & miſeriam? Eſtne hæc pietatis, quam ipſe in cœlum uſque extulit, merces? hoc non credite ciues. Nam ſi iuſtè ambulaſſet coram DEO, DEVS, *qui iuſtus eſt, non eos ſic affligeret, ſed potius ſupra nos & noſtram potentiam exaltaret. Hoc cùm non fiat, vana ſunt, cùm quæ de religione & pietate, tùm quæ de eius præmio dixit. Contrà verò, noſtra religio, noſtri cultus, quibus* DEVM *cœlorum colimus, multas excellentes habent remunerationes. Conſiderate enim, quæ noſtra initia, quàm pauci homines, quàm derelicti ab iſtis, quàm nullius potentiæ fuerimus? At nunc quàm breui tempore omnia ſunt aucta? quanta multitudo populorum? quantæ diuitiæ? quanta gloria? ac vt ſemel finiam, quanta & quàm horrenda iſtis potentia noſtra? Hanc cùm habeamus pietatis noſtræ mercedem, agite ò filij, huc currite, hanc obvijs vlnis amplexamini, huic vos toto pectore deuoueatis. Hic enim merces non incerta, ut illic, ubi nil niſi omnis generis miſeriæ cernuntur, ſed omnibus ob oculos ſita eſt. Hæc & huiuſmodi piorum patrum filijs, & ipſis patribus quoq; palàm ad aures occinere & oggannire, quibus procul dubio varias in piorum animis (vt fieri in hac corrupta carne conſueuit) cogitationes exuſcitauerunt. Et nil certius eſt, quin multi ex piorum numero, animo fuiſſent fracti, ni* DEVS *ipſe, in tempore huic malo remedium attuliſſet. Quò itaq; manifeſtè pijs demonſtraretur, quòd certiſſimum ſuæ pietatis, & longè excellentius, quàm*
Henoch ſublatus 988. *Cainitæ quærebant, præmium habituri eſſent:* TVLIT DEVS *& vita & conuerſatione excellentiſſimum virum* HENOCH, *à conſpectu ipſorum, in regna cœlorum, cùm primùm ætatis ſuæ trecenteſimum ſexageſimum quintum annum attigiſſet. Hoc exemplo iterùm erecti pij patres, ſuperbos illos Idolatras cum ſua potentia ſpernere, & Deo Opt. Max. confidere perrexerunt, donec eos ab his quoq; huius vitæ miſerijs per mortem corporalem liberaret: Qui hac ſerie, vt ſacra Pagina tradit, Geneſeos quinto, diem ſuum extremum obierunt.*

Facti ſunt dies SETH *nongenti & duodecim anni: & mortuus eſt.*
1042. *Vixit poſt mortem patris ſui annis centum & duodecim.*

1056. *Vixit* LAMECH *centum octoginta duobus annis, & genuit filium, & vocavit nomen eius* NOAH.

Facti

1239. *Facti ſunt omnes dies* E N O S *nongenti & quinq; anni: & mortuus eſt.*

1235. *Facti ſunt omnes dies* K E N A N *nongenti & decem anni: & mortuus eſt.*

1290. *Facti ſunt omnes dies* MAHALALEEL *octingenti & nonaginta quinque anni: & mortuus eſt.*

1442. *Facti ſunt omnes dies* I A R ED *nongenti & ſexaginta duo anni: & mortuus eſt.*

1536. *Hoc anno incipiunt illi centum & viginti anni, quos* D E V S *dedit Mundo pro tempore Reſipiſcentiæ, Geneſ. 6. De hac re copioſius in Commentarijs dicendum erit.*

1556. *N*OAH *cùm eſſet quingentorum annorum, genuit* SEM, C H A M *& I*APHET.

* *Hoc anno fortaſsis natus eſt* I A P H E T *maior fratrum, ſequentibus verò Cham &c.*

1558. *Hoc enim anno natus eſt* S E M *medius fratrum, nonaginta octo annos ante Diluuium. Quia biennio poſt Diluuium eſt centum annorum, cùm generat* ARPHAXAD.

1651. L A M E C H *moritur annorum 777. quinquennio ante Diluuium.*

1656. M A T H V S A L A H *mortem obijt in ipſo Diluuij anno: vixit annos nongentos & ſexaginta nouem. Poſt huius mortem Noah in Arcam à* D E O *vocatus eſt: Et ſimul ac ingreſſus eſt cum Vxore ſua, & filijs ſuis, & mulieribus filiorum ſuorum, in Arcam, quam ex mandato* D E I *ædificauerat:* D I L V V I V M *univerſam terram occupare cœpit: de quo Geneſ. 7. & 8. Hinc diſce, quanto* D E V S *odio proſequatur peccatum: Rurſus, quanta ſolicitudine, quantaq; cura foueat pios.*

NVNC IN IPSA CHRONOLOgia temporum & rerum geſtarum præcipuarum ſeriem obſeruabis, pie Lector: & ſi quid erit, aut obſcurius, aut prolixius forte, vt his linearum anguſtiis tradi nequeat, id pro noſtra virili ad calcem χρονολογίας, *proprio ad hoc deſtinato Opere, explicabimus. Et iis locis hoc ſignum * in margine Chronologiæ, ſicuti duobus locis ſuprà viſum eſt, ſcilicet anno mundi 1536. & 1556. appoſuimus. Si itaq; talis locus in legendo tibi occurrerit, ſumas ex Chronologia annum Mundi, ſigno * notatum, & eundem in ſubiectis annotationibus & Hiſtorijs, in Linea collaterali quære: tum inuenies, quæ ad illum locum putauimus eſſe neceſſarium.*

*QVIA VERO SÆPIVS EVENIT, VT alijs rebus, quæ ſcilicet in lineis intermedijs continentur, latius ſit aliquid indicandum, ibi hoc ſignum * in linea, poſt ipſius rei mentionem, poſui. Quod itidem te admonet, vt annum Mundi, vel ſi poſt natum Chriſtum eſt, annum Chriſti, in linea collaterali ſumas, eundemq; in Commentariis quæras: vbi quæ viſum ſit annotare, inuenies &c.*

Anni

	ANNI mundi.	Ætas Noah.	Patrum A.	ANNI mundi.	Ætas Noah.	Patrũ B	ANNI mundi.	Ætas Noah.	Patrũ C	ANNI mundi.	Ætas Noah.	Patrum D.
*	1657	601	Diluvi- um die	1687			1717			1747		
BEROſ ſus ab	8		17. ſe- cundi	8			8			8		
egreſſu Noah	9		menſis cœpit.	9			9			9		
ex ar- ca,ſup-	1660		Menſe ſecundo	1690			1720			1750		
putare orditur	1	605	huius an: ceſ-	1	635		1	665		1	695	
annos regni	2		ſavit. * Ar-	2			2			2		
Baby- lonici.	3		phaxat natus	3			3			3		
	4		bien- nio	4			4			4		
	1665		poſt Diluvi-	1695	*	Arpha xad ge	1725		Salah genuit	1755		
	6	610	um.	6	640	nuit SALAH	6	670	Hebar, à quo	6	700	
	7			7			7		quidã Hebræ-	7		
	8			8			8		os dici putant.	8		
	9			9			9			9	*	1 Heber genuit Peleg tempo-
	1670			1700			1730			1760		re diviſionis ter- ræ, Gen: 10.
	1	615		1	645		1	675		1	705	Eo tempore, quo Peleg filius
	2			2			2			2		Heber natus, fa- cta eſt Terra-
	3			3			3			3		rum orbis divi- ſio, inter filios
	4			4			4			4		& nepotes Noah.
	1675			1705			1735			1765		Iaphet natu ma- ximus Europam
	6	620		6	650		6	680		6	710	& Septentrio- naliores Aſiæ
	7			7			7			7		partes cum mi- nore Aſia, & me-
	8			8			8			8		diterranei Ma- ris Inſulas &c.
	9			9			9			9		obtinuit. Aſiæ, maioris re-
	1680			1710			1740			1770		liquam partem: à termino Ægy-
	1	625		1	655		1	685		1	715	pti, per Meridiẽ, uſq; ad Indiarum
	2			2			2			2		fines, ſors ipſi Sem poſsidendã
	3			3			3			3		dedit. Cham ve- rò Africam, cum
	4			4			4			4		omnibus ſu- is regionibus,
	1685			1715			1745			1775		pro ſe & poſteri- tate ſua, poſſeſsi-
	6	630		6	660		6	690		6	720	one accepit. Sed hoc nõ contẽtus

ANNI mundi	Ætas Noah	A	B
1777		multas alias fratrum ſuorum provincias, partim ſua manu, partim per Nepotes ipſius, ſuæ poteſtati ſubegit: ut in ſequētibus facilè quis cernit. Diuiſo itaq; in prouincias orbe terrarum, quælibet fami-	
8		lia, ut obediret Deo, qui per patrem Noah has ſortes dederat, in ſuam regionem diſcedere debebat: ac cùm progrederentur ab Armeniæ montibus (Ibi enim Arca poſt Diluuium reſederat, & primum	
9		terra hoſpitium hominibus reſervatis præbuerat) invenerunt locum, quem vocabant SINNEAR, planum & omnis generis delitijs abundantem: Ibi capti loci amœnitate, ad tricesimum ferè annum	
1780		una commorarunt. Sed cùm nimia multitudine hominum, naſcentibus ſubindè liberis, locus compleretur, & neceſſe foret, ut dividerentur: maximum & audaciſsimum facinus aggredi præſumpſe-	
1	725	runt. Ac NIMRODO duce, qui tū Tyrannidem eo loci exercebat, Turrim & civitatem ædificare inſtituerunt: Cuius operis amplitudo, per omnes terræ fines, à poſteris ipſorum laudibus celebra-	
2		retur. Atq; ſic omiſſa gloria Dei, quam præ omnibus unam quæſiviſſe decebat, propriam ac interituram famam impijs factis extendere conati ſunt. Quamobrem DEVS iuſtam ad iram provocatus,	
3		Sermonis Idioma, quod tum apud omnes ſimplex & unicum erat (Hebræum ſcilicet, quod & in pij Patris HEBRI familia tantummodò remanſit) in diverſa diſperſit Idiomata, ita ut confuſis omnium	
4		linguis, neuter alterum intelligeret. Hac deniq; coacti neceſsitate, in ſuas quisq; Mundi Regiones cum ſuis familijs diſceſsit, Nimrodo Saturno Babylonis, Tyrannidem exercente. Gen. 11. Beroſ.	
1785			
6	730		
7			B
8			REGNVM ASSYRIORVM.
9		1 Peleg genuit REGV.	1 Anno 131. ſalutis ex aquis regnare cœpit apud BABYLONEM NIMROD,
ibenus Thuſcorum. Rex 38 C
ichorides ſapiens 23 F
ientibus induciæ 40 annorum
datæ 67 E
ientes Romanos fuderunt à Di-
ctatore & ipſi victi 70 E
ientibus XX. annos induciæ datæ
70 E
ij prima Italiæ vrbs condit. 12
C
ij obſeſsi & deniq; capti 71 F
lius Cornificius Cos 105 C
litræ obſeſſæ 62 H
elffus primus 132 D
elffus Henrici Filius Bauariæ
Dux 134 D
elpho Bauariæ Comes 139 D
elphus, qui Bauariæ ducatum
recepit, natus 140 C
elphus Bauariæ Comes Conrado
ſe dedit 142
elphus Comes Sueuorum Carin-
thiæ conſtituit 143 E
lphus Azonis Italiæ Marchio-
is Fil. Bauariæ Dux 144 C
lphus Henrici frater magnos
notus excitat 148 C
lphus Palatinum Hugonem ſibi
ubdidit 149 D
lphorum factio 153 A
abula inuenta 49 G
antius Cos 115 E 116 E
Venantius Iunior Cos 116 E
Veneris Templum Romæ factum
97 B
Veneficæ 107 Romæ damnatæ 74
F
Venetiæ conditæ 114 D
Veneta claſsis &c. à Saracenis victa
133 H
Venetiæ ab Hungaris captæ & in-
cenſæ 137 A
Veneti Vngaros Iædara pellunt &c.
149 F
Veneti Arbernenſ. & Liburnos ſub-
egerunt 149 A
Veneti Rhodum obtinent 134 B
Venetorum cum Bononienſibus
bellum 154 C
Venetiæ claſſe à Genuenſibus obſeſ-
ſæ 154 C
Veneti Imp. Conſt. pulſum redu-
cunt 160 K
Venetorum cum Turcis bellum
166 K
Veneti à Maximil. & Gallo fatiga-
ti 166 B
Vendidius Pacorum cum exercitu
deleuit 89 B
Ventus nullus anno integro 160
B
Ventus in Germania max. 164
B
Venuſtus Cos 98 B 102 B 103 C
Venzeslaus pius Bohemiæ dux 137 E
occiſus à fratre 138 D.
Venzeslaus Bohemiæ Rex 155 F Po-
lon. Rex factus eod. G 156
F
VVenceslaus qui & Ladislaus Vn-
gariæ rex 156 E
VVenzeslaus Caroli IIII. Fil. natus
159 B Bohemiæ Rex E Rom. Rex
160 B captus à Bohem. eodem
obijt 152 E
Veramundus Hiſpan. Rex 129 E
139 E
Veramundus Hiſpan. Rex 130 E
Veramundus III. Hiſpan. rex 142
E
Vercellas Galeatius capit 157 A
VVerda Danubij à Bauaro capta
&c. 164 B
VVernerus Comes Alem. occiſus
142 C
VVernherus Frizhuſienſis Liuoniæ
Mag 154 H
VVernher Vrſulenſis Ord. Teu.
Mag. 157 I
Verina Auguſta 115 G
Verodopæ populo Romano ſubacti
87 D
Verona à Galeatio capta 160
G
Verona Imperatoris facta 152
C
Veronenſium & Brixienſ. cum Ita-
lis bellum 158 B
Veronius Britan. præfect. 94 D
Verus Pollio Cos 95 B
Verus Cos III. 98 B I. II. III. 99 B
100 B
Veſpaſianus natus 91 B
Veſpaſianus Britanniam ſubdit &c.
93 D
Veſpaſianus Dux in Iudæa & Im-
perator & 94 B &c.
Veſta Ignem Sacrum Virginib. com-
mendat 16 G
Veſtalium Virginum origo &c.
116 C
Veſtgothi Hiſpanias occupant 112 G
114 I
VVeſtphali à Carolo ſubacti 130
D
Veſtralphus Aleman Rex 109
E
Veturius Diocletianam perſecutio-
nem inchoat 106 A
Vgo Penſacenſis 157 C
Viator Cos 116 E
Victericus Gothorum Rex 121 F
Victorinus Imperator Galliæ Lolli-
anum occidit 104 C ipſe ob li-
bidinem Coloniæ Agryppinæ cæ-
ſus ibi.
Victoria vrbs condita &c. 151
D
Victor Rom. Epiſ. 100 A II. PP. 143
A III. 145 A
Victorinus Rhetor 109 D
Victorinus Cos 100 B
Victor Maximi Fil. Cæſ. 110 I
Victor Cos 112 E
Vuidekindus Sax. rex 129 F 130 C
D. &c. occiditur. 131 C
VVideſuindus Gothorum rex 124
E
VVido Thuſciæ Marchio Ioha. X.
PP. capit 137 A
Vienna Auſtriæ Imperij ciuitas fa-
cta 152 C
Vienna Auſt. à Mathia capta 165
F
Vienna Auſtriæ à Turcis obſeſſa
167 K
VVigbert. pp. qui & Clemens 145
A
Vigilius PP. 118 A
VVaradinum in Vngaria obſeſſum
175 K
VVihitſch arx Croatiæ 173 K
VVildekindus Scherburgenſ. Liuo-
niæ Mag. 155 K
VVilibrodus Anglus Phryſiorum
Epiſcopus 126 D

VVBiligiſus Rhedarij Filius Moguntinus Epiſcopus 141 A
VVilihelmus dux Auſtriæ &c. 160 F
VVilihelmus Dux Brabantiæ & Luzelburgij obijt 160 A
VVilhelmus Dux cliuenſis à Carolo ſubdidus 168 B
VVilhelmus Holandus Rom. Rex electus Imperat 153 C
VVilhelmus Dux Luneburg. 157
VVilhelmus Othonis I. Fil. Mogunt. Epiſcopus 138 A
VVilihelmus Normanniæ dux 143 E Angliæ Rex 144 H
VVilihelmus Marchio Turing. à Lutitijs victus 144 C In Vngaria captus eodem.
VVilhel. Rogendoff Proditor 168 K
Vuilikiſes Euro Francorum rex 133 D
Vilna à Cruciferis exuſta 159 I 60 I
VVilzi Sclaui à Carolo victi 130 D
Vina ducentorum annorum durarunt 85 A
Vini magna vilitas ad Rhenum 160 A
Vincentia capta & incenſa 152 C
Vincentia à Galeatio capta 160 G
Vincentij Speculum finit 153
Vincentius Cos. 111 E
Vincomalus Cos 114 E
Vindelici à Barbarorum obſidione liberati per Imp. 105 C
Vuindegaſtus Fran. legislator 112 H
VVindesheim condita 112 H
VVintdhol Muſthauiæ dux &c. 142 D
Vineæ à Probo in Panno. poſitæ 105 C
Vinno Mag. Liuoniæ 151 K
VVindi Sclaui Saxonum auxilio à Francis victi 123 D
VVirbina Caſtellum à Luſatijs occupatum 143 C
Virgilius Poeta natus 87 E moritur 90 B
Virginia à patre interfecta, ne contaminaretur Libidine Ap. Claudij Decemuiri 69 E
Virginia regio 172 G
Virginius Rufus Cos 95 C 93 B 96 B
Virgo puer facta 82 C
Viriatus Luſitanos contra Rom. incitat 84 D à ſuis poſt multas victorias cæſus.
Viridomarus Gallorum rex à Marcello occiſus 80 E
Virius Gallus A. Cos 103 C
VVirteburgenſ. Comes ciuitates Imperij vicit ad VVeilam 160 B
VVirtenbergenſ. dux bis pulſus 167 B reſtitutus eodem
VVirtzburg. Epiſcopatus cœpit 128 A
VVirtzburgum à Saxon. &c. captum 145 C
Viſenburgenſe Monaſterium conditum 122 E
VViſmaria condita 153 C
Viſumar Vandalorum rex 108 E
Vitalianus PP. 124 A
Vitalianus Tyrannus Imperatorem ad petendam pacem coegit &c. 117 C
Vitalis Ant. Epiſcopus 107 A
Vitalis Cos 117 E
Vitalis Michael Venetor. dux 149 B
Vitellius Syriæ præfectus 93 A
Vitichindus Sax. Scriptor finit 139 A
Vitiges Gothorum rex 118 captus à Beliſ. eodem
Vitis in Græcia inuenta 31 G & H
Vitiza Gothorum Rex &c. 126 E
VVitholdus Lituaniæ rex Pruſsiam affligit 156 I
Vitholdus Mag. dux Lituaniæ 160 F eius bella 161 F. mors eius 162 F
VVitpert. VVidekindi Filius 129 F regnat 131 C
Vitredus Cantij rex 125 G
Vitruuius Vaccus Fundanorum Dux Rom. bellum mouet 74 F
Vitruuius cum ſocijs interfectus 75 G
Vitulus biceps natus 164 A alius cui capita ante & poſt fuere 166 E
Viuianus Cos 114 E
Vladimirus Bohemiæ Dux 144 F
Vladimirus Halicienſis dux, eiusq; fortuna 150 G F
Vladislaus Bohemiæ rex 145 F
Vladislaus Bohemiæ dux 146 F à Polonis bis victus eodem
Vladislaus Bohemiæ Dux 148 F
Vladislaus Bohemiæ Rex Leonem Album cauda duplici accepit cum regio titulo 149 F
Vladislaus Hermannus Polo. Monarcha 145 G
Vladislaus Polo. rex 148 G fugatur
Vladislaus Polo. Monarcha &c. 151 G & F fugatur in Vngariam eodem
Vladislaus Leskonabgi ab Vladislao Othonis Maiori Polonia exuitur 152 F
Vladislaus Polon. Rex 155 G 15… F
Vladislaus cubitalis Reg. Polo. tutor 156 F Regnat 157 F
Vladislaus Opolien. Dux Polo. Re… gubernator 160 F
Vladislaus Poloniæ regis fil. Bohem. Rex 164 E. Vngariæ 165
Vladislaus filius Sigismundi III. Polon. regis 174 F
Vlfodaldus M. Eq. Franciæ 124
Vlid Saracen. Amiras 126 G Templum Damaſci prophanat e… dem
Voldomirus Ruſsiæ dux 139 Chriſti fidem ſuſcipit 140 E
Vlpianus Iuriſconſ. 102
Vlpianus Traianus Crinitus Cos 95 B
Vlricus regis Daniæ Friderici II. filius naſcitur 171 H
Vlricus comes VVirtenberg. bel… ad VVeilam cadit 160 B
Vlricus de Iungingen Ord. Teut. Mag. 161 I
Vlrichi Zuinglij interitus 167
Vltio Paternæ necis 119
Vmbri victi ſe dediderunt Rom. 76 G
In Vmbria in ſpelunca II. M. hom… num flammis & fumo extinc… 76 G
Vnguenta exotica Romæ prohib… vendi 82 E
Volæ captæ à Ro. & viciſsim &c 7…
Voldumianus Cos 104
Volkenin Liuoniæ Mag. 152
Velogeſes Parhorum rex 93
Vologeſus Parthorum rex, 99
Volſci Romam obſident 67 E cu… A E quis 68 E
Volſci victi à Rom. 62 II. 66 E … E B
Volſcum nomen pene deletum 6…
Volſinenſes victi 7…
Voluſianus Imp. Cos 10…
Vonnones partus obſes Romæ … 92 A Parthorum rex 93 C
Vopiſcus Iulius Tullus Cos 6…
VVormatia rebellis capta 14…
Vorthumnus 1…
Vortigerus Britanniæ Tyran. 1…
Vradisl. ſe ſuaq; Polo. offerunt 1…
Vratislaus Bohemiæ Rex 12…
Vratislaus I. Bohemiæ Rex 14…
Vrbanus Cos 10…
Vrbanus PP. 102 A II. 145 A … 15…

ſo A IIII. 154 A V. 159 A VI.
60 A 67 E
inia Veſt. defloſ. propter ſtuprū
os Rom. à Tarq. multis locis or.
62 H
us Alema. rex 109 E
inus Aleman. rex 109 E
icinus Silua Cæſa. occidit 109 C
inus PP. 110 A
inus Papæ Nepos Romandiolæ
omes 155 C
us Cos 108 C
rariorum bona fiſco tradita in
rancia 158 C
rpendragon Britanniæ rex 115 I
alto Merciorum rex 131 F
dis Gothorum dux creatus 119
E
dius Quadratus Cos 96 B
catij Gallicani Hiſtoriæ initium
9
ger Bulgarorum rex 118 G
turnum, quæ Capua nunc, à
amnitibus capt. 70 D
acon Longobardorum rex 116 H
ilhelmus Princeps Auraicus flo-
ret 171 A. C. moritur 172
A
olfgangus Meurerus moritur
72 A

X.

Enaias Imaginum deſtructor pri-
mus 115 A
nophanes Philoſophus 64 D
nophylus Cos 108 D
nophon vir clariſsimus 71 B
rxes Perſarum rex eiuſq; Bellum
um Græcis infauſtum 67 B Ae-
gyptum recepit eodem
xes denuo bellum Græcis infert
Cimone terra mariq; ſuperatur
&c. 68 B ab Artab. interfic.
bid.
Xerxes II. inter reges Perſarum non numeratur 70 B
Xiphias piſcis mirabilis captus 173 B
Xiſtus Rom. Epiſcopus 104 A

Z.

ZAberga Hunnorum dux 119 D
Zacharias in atrio Templi occi-
ſus 54 A
Zacharias Hiero. Patriarcha captus à Perſis 122 B
Zacharias PP. 128 A
Zacharias Propheta 65 A
Zacharias rex Iſrael 56 B
Zachæus Hiero. Epiſcopus 96 A
Zaleucus Legiſlator 60 E
Zambri Iſrael rex 51 B
Zames Ninias rex 17 B
Zamij à Rom. deficientes victi 119 C
Zanedrim Senatus magnus Iudæo-
rum 55 A
Zaslaus Pruſsiæ dux variè fortuna-
tus 144 G
Zathmar arx occupatur à Regulo Tranſyluaniæ 169 C
Zatus Lazarorum rex baptizatus 117 C
Zareia Aethiops diuinitus profliga-
tur 50 A
Zauolenſes Tartari cum Polonis Pa-
cem ineunt 166 E
Zebennus Ant. Epiſ. 102 A
Zedechias rex Iudæ 62 A
Zeibil Turcorum Gazarorum dux 122 B
Zeletin Bulgarorum dux 129 B
Zeliobes Hunnorum rex 117 B
Zenobia Orientis Imperatrix 104 B
Zeno Armeniorum rex à Germani-
coſactus 82 B
Zeno Cos 113 F
Zeno Iſauricus Cos 114 E
Zeno Iſaur. Orient. Imp. 115 C
Zenon Philadelphiæ Tyran 84 B
Zeno Stoicus moritur 78 D
Zepherinus Rom. Epiſc. 101 A
Zetus Aegypti rex 37 E
Zeuſis Lydiæ præfectus 82 C
Zeuſippus Sycy. rex 44 F
Zeuxis Pictor 67 G
Zigethum fruſtra à Turcis oppugna-
tur 169 E
Zigetum iterum oppugnatur à Tur-
cis & capitur 169 K
Ziptineus dux Bohemiæ ad Chri-
ſtum conuerſus 137 E
Ziza Sarmatis & Quadis præfectus 109 C
Zoan condita 60 C
Zoes Imperatrix Conſt. 143 B
Zeldan Zeledim Tartarorum Imp. obijt 162 K
Zolenſes comites Hugoni Palat. au-
xilio ſunt 149
Zollerenſis arx deſtructa 162 B
Zopirus 56 B
Zoroaſtes, qui & Cham, victus 18 B
Zorobabel natus 64 A Dux Iudæo-
rum 56 A
Zorobabel dux Iudæorum 65 A
Zoſimus Papa Rom. 112 A 126 A
Zuatopolug Polonorum in Panno-
nia dux 128 F
Zubir Muctar occidit 127 G
Zulzimin dux Sara. Amiras 127 G
Zulzimin dux Saracen. 128 BG

FINIS.

COMMENTARIORVM IN PRAECEDENTEM CHRONOLOGIAM LIBRI DECEM:

IN QVIBVS CVM ORDINIS IN EODEM OPERE OBSERVATI, SVIS LOCIS RATIO ARGVMENTIS PROBAbilibus redditur: tûm difficilia quædam ſacroſanctæ Scripturæ loca, vtpote quæ remota diligenti temporum computatione, ſatis dignè nunquam enarrari poſſunt, commodè explicantur: Adiunctis obiter ijs Hiſtorijs, quæ in ipſo ΧΡΟΝΟΛΟΓΊΑΣ Opere aſſcribi nequiuerunt, veruntamen ad declarationem iſtiusmodi locorum, & ad Eccleſiæ Dei, Rerumq; publicarum conditionem ſingulorum temporum cognoſcendam, ſummè videbantur neceſſariæ.

AVTORE

Iohanne Funccio, Nörimbergenſi.

Quid ſingulis libris tractetur, mox ſequens Argumentorum Tabula indicat.

Acceſsit auctarium commentariorum ab alijs additum.

WITEBERGAE,
Typis Zachariæ Lehmanni, Impenſis Andreæ Hoffmanni Bibliopolæ.

Anno M. D C. I.

IOHANNES FVNCCIVS CHRISTIANO LECTORI S.

QVANQVAM IN PRÆCEDEN
ti Opere, quo ad fieri potuit, Chriſtiane Lector, non tam or
dinis in eo obſervati, quàm concordantiæ temporum inter ſ
rationes oſtendere ſedulò conati ſumus: tamen cum ob an
guſtiam ſpaciorum, plerisq; in locis, ubi ſummè videbatu
neceſſarium, eandem operam adhibere, atq; Hiſtorias illa
quæ ad intellectum difficilimorum in Scriptura locorum, e
ad Eccleſiæ, Rerumq; publicarum maximarum viciſſitudines agnoſcendas, ma
ximè requiruntur, adijcere nequiverimus: tuo quaſi commodo ſumus coacti
hos libros Commentariorum Chronologiæ ſubjungere. Quibus inprimis id cona
bimur, ut perplexa quædam Scripturæ loca, quæ absq; temporum certa cognitio
ne intelligi nequeunt, γνησίως explicata habeas. Deinde, ut de ipſius Chronologi
certitudine ipſe quoq; fias quam certiſſimus. Atq; his, quia res ipſa id poſtular
videtur, Græcorum in Aſia, Syria & Ægypto regum, poſt mortem Alexandri
hiſtoriam ac brevem quidem eam, & ſi quæ alia videbuntur ad veteris Teſta
menti tempora ſcitu neceſſaria, adjungemus. Sed quæ ad novi Teſtamenti tem
pora, hoc eſt, ab Aſcenſione Chriſti, usq; ad præſens tempus ſcitu ſunt digna, &
ſummè neceſſaria, prolixius quidem ea à nobis tradentur: ita tamen, ut ipſa re
rum narratio modum non excedat. Atq; hæc omnia quò facilius à quovis com
prehendi queant in libros X. digeremus, quibus ſingulis breviſſima Argumenta
ſubjungemus, quæ, quid in ipſis comprehenſum ſit, primo quaſi aſpectu doceant
Ac ſi quid ad te, Chriſtiane Lector, ex his meis lucubrationibus fructus redie
rit, id in primis Deo Opt. Maxi. acceptum feras: Si verò non ubiq; conatibus
meis felix aſpiraverit aura (ut nihil eſt in humanis ex omni parte beatum) ſed
aut incomptius aut inelegantius dictum quod tibi occurrerit, id pro tua humani
tate ac benevolentia (qua Chriſtianos omnes præditos eſſe maximè convenit) boni
conſulas oro: ac me, qui ut tibi prodeſſem, tot ac tam perplexos labores
ſuſcipere non recuſavi, adverſum malevolos defendito, piisq;
tuis precibus Domino noſtro IESV CHRI-
STO non gravatim commendato.
Vale.

QVID SINGVLIS HORVM COM-MENTARIORVM LIBRIS CONTINEA-TVR, SEQVENTIBVS INDICATVR ARGVMENTIS.

ARGVMENTVM PRIMI LIBRI.

PRimus liber continet rationes Computationum, ab initio Mundi uſq; ad Perſarum Monarchiam: & quædam Hiſtorica, ad intellectum difficilium Scripturæ locorum neceſſaria.

II.

Secundus liber Perſarum regnum, temporumq́; ſub eo elap-ſorum concordantiam continet, quibus liberatio populi Iudaici ex Babylone, & alia quædam ſcitu neceſſaria, cum clariſsima ſeptuaginta Hebdomadum expli-ation e, ſunt inſerta.

III.

Tertius liber Monarchiæ tertiæ: hoc eſt, regni Græcorum poſt Alexan-ri mortem, compendioſam Hiſtoriam continet.

IIII.

Quartus liber initium Romanæ Monarchiæ, Herodis regnum, Hiſtoriam natiuitate vſq; ad reſurrectionem CHRISTI, & tempus miſsi Spiritus ſan-i, & alia quædam ſcitu digna & neceſſaria: præcipuè verò Iubilæi æterni à HRISTO annunciati & inchoati, explicationem &c. compendiò tradit.

V.

Quæ ab aſcenſione DOMINI in coelos, uſq; ad Eleutherii pontificatum, per nnos centum quadraginta quatuor, tam in populo Dei nouiter aſſumpto, quàm Iudæis ob nimiam abiectis pertinaciam, præcipuè acciderunt: Item quæ à Pon-ficum adulatoribus falſo ſunt tradita, & alia quædam ſcitu non indigna, Quin-libro compendiò indicantur.

VI.

Quæ tàm in Eccleſia, quàm in Repub. ciuili, memoria digna ſcituq; neceſſa-ia præ cæteris viſa ſunt, vnà cum variis Hæreticorum opinionibus à tempore oteri Romani Pontificis, vſq; ad tempora Damaſi Papæ: hoc eſt, ab anno HRISTI 177. uſq; ad annum eiuſdem 369. Sexto libro breuiter indicantur.

VII.

Religionis Chriſtianæ ſucceſſus: Arrianorum motus, furor ac cædes, quibus rthodoxos perſequuti ſunt: Pontificum præcipuè Romanorum vitæ, acta &

conſti-

conſtitutiones, nec non & ciuiles quidam motus, bella, victoriæ, regniq́; Occidentis mutatio, & ſi qua præterea memoria ſcituque digna, ab Imperio Iouiniani vſq; ad Iuſtiniani Rom. Imp. tempora euenerunt, Septimo libro compendio traduntur.

VIII.

Eccleſiaſticam hiſtoriam, & ſi quæ ſcitu digna in Imperiis ciuilibus acciderunt, à tempore Iuſtiniani Imperatoris, usque ad Imperium Occidentis ſub Carolo Magno inſtauratum, Octauus liber compendio tradit.

IX.

Quæ à Caroli Romam aduentu, quo & Imperator dictus eſt, usque ad Hildebrandi Pontificatum(hoc eſt, ab anno Chriſti 800. usque ad annum eiuſdem 1074.) tam in Eccleſia, quàm in Republica, memorabilia acciderunt, vnà cum vitis Imperatorum quorũdam, geſtiſque omnium Pontificum Romanorum, nono libro breuiter recenſentur.

X.

Rapſodias, quibus Pontificum Imperatorum que Romanorum vitæ & res geſtæ breuiter indicantur: & alia quædam, quæ à tempore Pontificatus Hildebrandi, qui Gregorius VII. dictus fuit, usque ad noſtram ætatem, ſcitu digniora acciderunt, quæque in Chronologia non ſunt indicata, Decimus & vltimus liber continet.

Libris quinque poſterioribus inſertæ ſunt temporum illorum explicationes, quorum in Apocalypſi fit mentio: quibus verò locis de iis dicatur, in Indice ſub titulo, Numerus, inuenies.

COM-

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER PRIMVS.

Anni Mundi.

ARGVMENTVM.

PRIMVS LIBER CONTINET RATIONES COMPVTAtionum, ab initio Mundi vſq; ad Perſarum Monarchiam & quædam hiſtorica, ad intellectum difficilium Scripturæ locorum neceſſaria.

FREQVENS APVD DOCTORES ECCLEſiæ quæſtio eſt, Quid Deus ſignificare voluerit, cùm dicit Gen 6. Non diſceptabit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Eruntque dies illius centum & viginti annorum. De his annis ſunt qui ſcribant, Deum determinaſſe hominis ætatem, ne ſcilicet vltra centum & viginti annos viueret. Sunt qui putent, hoc tempus datum eſſe pro reſipiſcentia, filijs patrum, qui, vt ibi dictum eſt in Chronologia, ad Mundi huius delitias, & alia concomitantia ſcelera, neglecto Dei timore, defecerant. Quorum ſententiæ neque ego aduerſari poſſum. Quamuis hos annos pœnitentiæ datos maluiſſem ab ipſo quingenteſimo anno Noah inchoare, quod etiam B. Hieronymus facit, quam ab eo in Chronologia poſuimus: niſi me Reuerendi patris D. Lutheri in Chriſto Beati ſententia, vt ſic locarem, conuiciſſet, cuius verba, vt cuiuis in promptu ſit eligere, vtrùm malit, non pigebit hîc ſubijcere. Particulam, quæ additur: Et erunt dies eius centum & viginti anni: etiam Hieronymus negat de annis vitæ humanæ intelligendam, ſeu de ſingulorum hominum ætate. Conſtat enim poſt diluuium multos ducenteſimum annum egreſſos. Quod ſi ad ſingulorum annos priuatos referas, promiſsio erit, futurum vt ſinguli tot annos abſoluant, ſed id quoq; falſum eſt. Loquitur igitur de tempore, quod conceſſum eſt mundo ad pœnitentiam, antequàm diluuium veniret. Atq; hæc ſententia, cum præcedentibus conuenit. Oſtendit enim Deus, ſibi iſtam hominum peruerſitatem diſplicere. Anxius itaq; eſt, & libenter parceret, inuitus quaſi ſinit graſſari Diluuium. Itaq; certum tempus & longum ſatis pœnitentiæ conſtituit, vt reſipiſcant & pœnam effugiant. Eo toto tempore Noah ad pænitentiam homines hortatus eſt: Non futurum vt iſtam impietatem longius ferat Deus, & tamen ſic eſſe benignum, vt ſatis longum tempus concedat pœnitentiæ &c. Et pauló pòſt dicit. Obſeruandum autem hîc eſt illud, in quo etiam Dominus Hieronymus laborat, quod ſcilicet Diluuium, centeſimo anno poſt natum Sem, Cham & Iaphet, hîc autem ad Diluuij tempus vſq;, dicuntur anni centū & viginti fore. Sed hic locus oſtendit, Noah cœpiſſe prædicationem ſuam, de futura Diluuij pœna, antequàm duxiſſet vxorem, cùm adhuc eſſet in cœlibe vita. Hîc igitur cogita quos ludos præbuerit impio & ſecuro Mundo? prædicit vaſtationem per Diluuium toti mundo & ipſe vxorem ducit. Cur? Num non ſatis eſt, ſi ſolus pereat, etiam aſciſcit ſibi ſociam calamitatis? O ſtultum ſenem, certè ſi crederet mundum Diluuio periturum, ſolus potius periret, quàm vt vxorem duceret, & daret operam procreandis liberis. Sin autem ſeruabitur ipſe, ſeruabimur nos quoque. Ad hunc modum propter Nuptias Noah, cœperunt certius contemnere prædicationem de Diluuio, ignari conſiliorum Dei, ſic agentis, vt mundus prorſus

ſus non intelligat. Quàm abſurdum eſt, quòd Abrahæ promittit poſteritatem per Iſaac, & tamen iubet Iſaac immolari? Diuus Hieronymus igitur, in eam ſententiam reſpondet: Deum quidem præfiniſſe Diluuio centum & viginti annos: ſed cùm inualeſceret malicia, coactum vt tempus illud abbreuiaret. Sed nos non faciemus Deum mendacem, potius hoc ſtatuemus: Noah adhuc cœlibem prædicaſſe, Mundum per Diluuium vaſtandum eſſe, ac iuſſu diuino poſtea puellam, tanquam ramuſculum ex toto genere fœmineo accepiſſe, & generaſſe tres filios. Scriptum enim infrà eſt, Inueniſſe eum Gratiam coram Deo: Alioqui qui tam diu abſtinuerat, etiam porrò à nuptijs poterat abſtinere. Sed voluit Deus relinquere ſeminarium generis humani, vt aliquis modus iræ eſſet, Itaq; iubet vt vxorem ducat. Sed impij exiſtimant ſignum eſſe, futurum vt mundus non pereat. Viuunt itaq; ſecuri, & contemnunt prædicatorem Noah. Sed Dei conſilium aliud eſt, vt ſcilicet, totum mundum perdat, & per hunc Noah iuſtum, ſeminarium futurò mundo relinquat, Hactenus Lutherus, in cuius ſententiam vel pedibus ire me non piget.

DE ORDINE GENERATIONIS FILIORVM NOAH.

QVæritur à doctis, quomodo Noah, cùm eſſet quingentorum annorum, genuerit Sem, Cham & Iaphet, Cùm Sem biennio poſt Diluuium, primùm ſit annorum centum: ex quo manifeſtum fit, eum fuiſſe natum anno quingenteſimo ſecundo ætatis Noah, qui in Diluuio fuit DC. annorum. Hîc meam infantiam paucis declarabo, idque eò, quod video, magnos viros in numeris hoc loco lapſos eſſe. Quod facile fieri poteſt, ſi quis maioribus curis ſit obrutus, quàm vt multum temporis rebus eiuſmodi inueſtigandis (quia leuia videntur) impendere queat. Certum eſt, Iaphet eſſe maiorem natu, Chàm minorem ipſo Sem. Iterum certum eſt, Sem eſſe natum anno ætatis Noah 502. Igitur cùm ſcriptura dicat, Noah cum eſſet quingentorum annorum generaſſe Sem, Cham & Iaphet, ipſum Noah tum primùm operam dediſſe rei vxoriæ teſtatur, Iaphet & natum primogenitum, cùm pater quingentorum annorum eſſet. Porrò Sem biennio poſt, Cham verò triennio, aut paulò plus, poſt Iaphet. Ita vt Iaphet in Diluuio fuerit C. annorũ, Sem XCVIII. Cham verò XCVII. vel XCVI. &c. Ex quo etiam apparet, inſigne caſtitatis exemplum in ipſo Noah, quòd in ipſo corruptiſsimo ſeculo, totis ferè quingentis annis ſe continuit, ne duceret vxorem. Quam rem Lutherus longius proſequitur. Vide eius Com. in Geneſ.

1657. Ne quis miretur, quòd in hac editione, annum 1657. pro ipſo Diluuij anno poſuerim, cùm & ego ſimiliter, vt ferè omnes, quos ego legerim, in priore editione annum 1656. pro eo habuerim, pauca admonere libuit lectorem. Certiſsimum eſt, in ſacris literis, & Regula infallibilis, quod vbicunque annorum numerus ponitur, ijq; menſes & dies Menſis adjiciuntur, ibi ſermonem eſſe, de annis completis. Quod diligens lector facile animaduertet. Itaque cum ſcriptura dicat, Anno ſexcenteſimo vitæ Noah, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis, rupti ſunt in ipſa die omnes fontes &c. manifeſtè indicat, Diluuiũ veniſſe anno ſexcenteſimo primo Noah currente: qui fuit annus mundi 1657. currens, vt loqui ſolent. Quod

cùm

ſim antea non ſatis diligenter obſeruarem,eò me perduxit erroris,vt annus Dilu- *Anni Mundi.*
uij, in priore editione, omninò à me ſit omiſſus. Quamuis hoc me admonuiſſe po
terat, quòd pauló antè expreſsis verbis ſcriptum eſt, Gene. 7.Eratq; (Noah) ſex-
centorum annorum, quando Diluuij aquæ inundauerunt ſuper terram &c.vbi ne-
ceſſariò integri anni ſunt intelligendi.

Arphaxad genuit Salah, dicit Moſe ſecundum Hebræos: contrà Septuaginta 1695.
habent,Arphaxad genuit Kænan,Kænan genuit Salah,Quod etiam B.Lucas in gē
nealogia Chriſti imitari videtur.Hoc cùm dubium in annis Mundi mouere poſsit,
breuiter & hîc meam ſententiam extorquet. Manifeſtum eſt, tranſlationem illam,
quæ LXX.interpretibus aſſcribitur,non ſemel eſſe aut falſam aut deprauatam, &
præcipuè in hoc Geneſ. 11. capite,vbi aliquot centenarij annorum, qui in Hebræis
nullo modo habentur, ætatibus patrum aſſcribuntur,Quemadmodum et in quin-
to eiuſdem libri capite fecerunt.Ideo fieri potuit,vt ſimili caſu, & hic Kænan ab ijs
(ſi modò eorum eſt hæc translatio)ſit aut fortè à ſcriba quodam primario additus.
Quod & ſimilitudo ſententiæ,quæ bis ijſdem verbis ponitur de Arphaxad, & Kæ-
nan, facile mihi perſuaſerit,vt accidiſſe credam.Ita vt ſcriba oſcitanter ſcribens,vt
peregrinantibus cogitationibus plærumq; fit, in animo habuerit nomen Kænan,
quo ſemel poſito, ſententiam ijſdem verbis repetens, poſuerit Salah. Qui error pri-
mum non animaduerſus, in multa exemplaria tranſfuſus, fidem meruit. Hinc ac-
cidit,vt ſi B. Lucas Kænan hunc omiſit,Sciolus quidam eundem ex vulgari codice
Moſeos reſtituerit,vel fortaſsis ipſe Lucas receptam & vulgarem tum opinionem,
ad vitandum Scandalum,ſit imitatus. Quod in medio relinquo. Modó hoc ſcias,
ſeriem annorum mundi, ab initio non ex 70.interpretum editione, ſed ex Hebræo
fonte hauriendam eſſe. Quod ego quidem ſeduló & cum diligentia ſumma face-
re conatus ſum: Tandem, ne & hoc omittam, Ioſephus apertè dicit, Salah fuiſſe
filium Arphaxad. Antiq. lib. 1. cap. 14.

Admonet me hoc loco, Staphili cuiuſdam oſcitantia, in legendis Sacris Bi- 1759.
blijs,vt de diuiſione Terræ pauca adhuc dicam,Quamuis in Chronologia copioſè
ea de re ſit dictum. Is enim confuſo ordine hiſtoriæ ab ipſo Moſe tradito, ſcripſit
Iaphetũ & Camũ,longè ante à Sem,& ſuis auulſos eſſe,cum ſuis familiis, quàm ad
Turrim Babel,confunderentur linguæ à Deo.Cùm tamen ibi manifeſtum ſit,tum
demùm diſperſos eſſe populos,cùm linguæ eſſent confuſæ. Dicunt enim, Venite,
faciamus nobis ciuitatem& turrim cuius culmen pertingat ad Cœlum,& celebre-
mus nomen noſtrum,antequàm diuidamur in vniuerſas terras.Et paulò poſt:Atq;
ita diuiſit eos Dominus ex illo loco, in vniuerſas terras. Sed dicunt, Tamen terra
tempore natiuitatis Peleg diuiſa eſt? Verum eſt, Sed hinc non ſtatim ſequitur quód
quilibet eam prouinciam occupauerit eodem tempore,quam ſorte diuiſionis ob-
tinuit. Sed cúm non libenter (vt fit inter amicos & cognatos) ab inuicem diuelle-
rentur, expectarunt adhuc aliquot annos, in quibus Nomen celebre ſibi facere co-
nabantur, donec diuinitus confuſis linguis, opus omittere,& regiones cuiq; deſti-
natas petere,coacti ſunt. Nam Spiritus ſanctus non eſt tam obliuioſus, vt idem fa-
ctum duobus, ijſdemq; diuerſis temporibus & locis aſſcribat. Quare diligentius,
oro, eiuſmodi lectores ſcripturam legant,priuſquàm ab ea aliena,in vulgus impe-
ritum ſpargant,ne grauius quid dicere in eos poſthac cogar. Agitur enim non de
noſtra gloria inani, ſed de gloria Dei, cuius verbum eſt.

 Sequun-

...tandi.

SEQVVNTVR FIGVRÆ GENERATIONIS FILIORVM ET NEPOTVM NOAH.

IAPHET primogenitus Noah, cuius filij fuerunt.

GOMER, à quo primitus omnes habitatores terræ à Meotide vſq; ad Oceanum occidentalem Germaniæ trans Danubium, Cimerij dicti ſunt: Filij eius fuerunt.

- *ASCENAS, Huius poſteritatem Noah ſibi adoptauit, inquit Beroſus. Hic à plærisq; & THVISCON dicitur, & nos Germani ab eo oriundi ſumus. Tacitus ei MANNVM filium aſſcribit, cui & hos filios fuiſſe refert, de Germ: Mor.*
  - *INGEVON, à quo Ingeuones dicti, qui circa Oceanum occidentalem Germani habitarunt.*
  - *HERMINON, à quo Mediterranei Hermiones dicti.*
  - *ISTEVON, à quo Iſteuones.*
- *RIPHAT, à quo Riphei, qui & Paphlagones, inde, vt arbitror, pulſi, Ruthcniam, quæ Ruſſia, habitarunt.*
- *TOGARMA, ab hoc Tartaros ortos, putat Lutherus: mihi magis videntur hinc orti Moſcouiæ, quos Albos Ruſſos vocamus.*

MAGOG, Hinc orti, qui in Tentorijs habitant, vt ſunt propriè Tartari in Aſia maiore, Scythæ Aſiatici dicti. verſus Septentrionem, à Meotide palude habitantes. Olim Ab his ortum trahunt Turci, qui nunc latè vaſtarunt Aſiam & Europam.

MADAI, Hinc Medorum gens, maximè orientalis, inter filios Iaphet, Perſis confines.

IAVAN, à cuius filijs & nepotibus habitata ſunt loca Mari Mediterraneo adiacentia, Filij eius

- *ELISA, Hinc Græci Æoles, qui Epyrum, & magnam Græciam, quæ nunc Calabria & Neapolis Regnum, habitarunt.*
- *THARSIS, à quo Cilices, & Aſiæ minoris populi ad oras maritimas, Vnde adhuc Tharſus ciuitas patria B. Pauli.*
- *KITIM, hinc Macedones, Macab. cap. 1. Quidam Italos ab hoc deducunt.*
- *DODANIM, hinc Rhodij, & Inſularum Cultores in Mari mediterraneo*

THVBAL, hinc Iberi, qui olim Hiſpanias obtinuerunt. Hebræi tam Italos, quàm Hiſpanos hoc nomine vocant: Vt nos olim, omnes eos VValen vocare ſolebamus.

MESECH, Cappadoces hinc, Hanc terram primam Imperij Romani, Turci occupauerunt, vnde & Turci ab Ezechiele etiam principes in Meſech dicuntur.

THIRAS, Hinc Thraciæ populi, qui vltra Helleſpontum, ad Danubium vſq; habitarunt.

Hæc tabula populos continet, Germaniæ, Sarmatiæ Europææ & Aſiaticæ, Scythiæ, Aſiæ minoris, Helleſponti, Græciæ, Hiſpaniæ & Inſularum maris mediterranei.

Anni Christi

SEM medius Noah filius, qui genuit.

ÆLAM: hinc Perſæ qui in ſacris Ælamitæ dicuntur

ASSVR, à quo Aſſyrii, qui primam Monarchiam in Babel & Niniue obtinuerunt, poſt Nimrodum.

ARPHAXAD, qui genuit Salah, hic genuit Heber, à quo Hebræi, cuius filii: Chaldæos ab arphaxad ortos, ait Ioſephus

PHALEG à quo linea CHRISTI deducitur.

IAKETAN, qui in Hiſtoriis Ganges dicitur, & genuit,

Elmodad, Saleph, Aſarmoth, Iare, Adoram, Vzal, Decla — *Hi regiones Indiæ ſortiti, & populos*

Hebal, Abimael, Saba, Ophir, Heuila, Iobab — *& nomina terræ illi dederunt.*

LVD, à quo Lydos, Aſiæ minoris populum, cui Crœſus vltimus regnauit, ortos tradunt.

ARAM, à quo Armenij orti: filios habuit

HVS, qui Traconitidi, & regioni circa Damaſcum populos dedit: Ioſephus.

HVL Armeniam poſſedit.

GETHER Bactrianos: à quo ego Gethas, cum cognatis Maſſagethis & Samogethis, ortos eſſe crediderim.

MES, vel Mas, à quo Ioſephus Meſaneos deducit, qui ſuo tempore Arax dicti ſunt: puto eos eſſe, qui Araxenam habitarunt.

CHAM minimus Noah filius genuit.

CHVS. Hic occupauit eam regionem quæ Æthiopia dicitur, à ſinu Perſico vſq; ad extrema Africæ loca, ad meridiem. Filii eius:

SEBA, à quo Arabes ortos quidam volunt.

HEVILA, à quo Getuliæ habitatores, quæ nunc India Æthiopæ dicitur.

SABTHA, à quo Aſtubaros deſcendiſſe puto, vltra Atlantem in Æthiopia habitantes

RAEMA Arabum pater: Filij:

SHEBA, hinc Sabæi Troglodytæ, à mare Rubrum vltra Ægyptum.

DEDAN, à quo felicis Arabiæ populi.

Sabtheca.

Nimbrod.

MITzraim, hinc Ægypty deſcendunt. Filii eius

LVDIM

ANAMN.

LEABIM, à quo Lybij Africæ populi.

Napthuhim.

Pathruſim.

Caſluhim, à quo venerunt Philiſtijm & Caphtorim.

PHVT, à quo Numidæ, in quorū terra Phut flumen eſt, & Mauritani.

CANAAN, qui primo genitus Cham fuit, ab quo maledictus. Cui filij fuerunt vndecim,

Zidon, à quo Sidonii & vrbs Sidon.

Heth, à quo Hethei, cum quibus Abraham habitauit.

Iebuſi: huius nepotes circa Hieroſolimam, quæ antiquitùs Jebus dicta, habitarunt.

Hemori, à quo Hemoritæ.

Girgoſi.

Hiui

ArKi.

Sini.

Aruadi.

Zemari.

Hamathi:

Ab his diſſeminati ſunt habitatores Canaan, á Zidon per Gerar vſq; Gazam, &c. vide Moſen Gen. 10. &c.

Meſech

Meſech terram quæ poſtea Cappadocia dicta (vt in Chronologia oſtenſum
1813. eſt) Turci, qui à MAGOG filio Iaphet originem trahunt, cum & ii imperandi libidine vexarentur, vt alienas terras inuaderent, primam ſtabili imperio obtinuerunt, & adhuc potenter retinent. Antea enim Perſidem cum maioris Aſiæ dominio aliquot annis occuparunt, vt in Chronologia ab anno Chriſti 1051. vſque ad annum 1098 in linea Orientis videtur. Sed ab Armeniis indè pulſi, in Cappadociam ad Solimannnm conceſſerunt. Vnde magnam terrarum orbis partem, imperio ſuo hactenus ſubiecerunt, vt notum eſt. Hinc puto manifeſtum eſſe, quare Magog ab Ezechiele cap. 38. dicatur Princeps, & caput Meſech: quia ſcilicet Magogim, id eſt, Turci, primùm in ea regione, firmam potentiæ ſuæ ſedem conſtituerunt. Hinc problema doctis proponendum placet: Quare eo in loco Propheta addit Tubal, ita vt Magog vocet Principem & caput Meſech & Tubal? An, quod indicare voluit, fore vt in poſtremis temporibus terra Tubal ſponte ſua, ad perſequendum Chriſtum & Eccleſiam eius, ipſi Gog & Magog (id eſt, Saracenis & Turcis) ſeſe adiungat: & ſic occaſione hac, Tyrannum illum Turcicum eliciat, vt ipſe magnis ſuorum copiis Eccleſiæ terras inuadat, &c & ſic tandem diuinitus victus intereat, vt Dominus illi comminatur? Aut, An illa tota poſteritas Tubal, Itali, Galliq; & Hiſpani, nec non relinquæ gentes, ad Septentrionem verſus ortum habitantes, quorum Ezechiel meminit, omnes cum Turcis vnanimi conſenſu ad delendam Chriſti Eccleſiam properaturi ſint? cùm alias ad conſernandas ſuas ſuperſtitiones, & idolomanias & blaſphemias, & libidines, nullum viderint remedium.

Cæterùm tempora, quæ poſt Diluuium magnum, in quo vniuerſa terra aquis ſubmerſa eſt, vſque ad natiuitatem IOSEPHI filij Iacob Patriarchæ, in Chronologia ponuntur, non longam deſiderant defenſionem, aut comprobationem. Conueniunt enim plæraque non ſolùm cum ſcripturis ſacris, verùm etiam cum probatiſsimis Babyloniorum Hiſtoriis, è quibus ad verbum feré deſumpta ſunt, ſicut paſsim annorum concordantiæ, quas ex iis citauimus, teſtabuntur. Quare omiſsis illis, ad ea quæ alicui, porrò dubium mouere queant, tranſeamus.

2201. IACOBVM Patriarcham annorum nonaginta vnius fuiſſe diximus, cùm ei naſceretur filius IOSEPH ex RACHEL: cùm verò iſtius ætatis Iacob, mentio in ſacris nulla ſit verbis facta expreſsis, ita vt quis hæſitare hoc loco poſsit, breuiter pro confirmatione hæc annotare placuit. Ioſeph erat triginta annorum, cùm ſtaret coram Pharaone, liberatus ex carcere: Geneſis quadrageſimo quarto. His accedunt ſeptem anni fertilitatis, deinde duo famis. Dicit enim Ioſeph ad fratres ſuos: Adhuc quinque anni reſidui ſunt famis, &c. Geneſis quadrageſimo quinto. Fuit ergo Ioſeph, in deſcenſu Iſraelis in Ægyptum, annorum 39. Sed Iacob à Pharaone interrogatus, quot annorum eſſet: reſpondit, centum & triginta annorum ſunt dies peregrinationis vitæ meæ. Quibus ſi ademeris triginta nouem ætatis Ioſeph, remanent nonaginta vnus, quot annorum fuiſſe Iacobum diximus.

2273. Quæſitum eſt eo loco, Quomodo poſsibile ſit, PEREZ filium Iuda de Thamar natum, in deſcenſu Iſraëlis in Ægyptum, duos habuiſſe filios, vt Moſe

Geneſ.

Geneſ. 46.capite inſinuare videtur: cùm Iudas ipſe,eo tempore quadraginta duo, bus annis non fuerit major? Ad hanc quæſtionem quò & noſtram aperiremus ſententiam,hæc paucis reſpondere viſum eſt. Primò impoſsibile eſt omnino (ſi Phyſicè de hac re loqui velimus,ſicut neceſſe eſt)ut PEREZ tempore deſcenſus vel unicum habuerit filium,nedum duos. Certum eſt enim, ipſum PEREZ poſt duorum mortem filiorum Iuda HER & Onam, qui ambo Thamarem habuerunt uxorem natum eſſe:atque id factum tribus, vel ut minimum duobus annis poſt obitum Onam, Thamar enim expectare debebat,donec SELA, tertius filius Iudæ,matrimonio eſſet idoneus. Geneſ.38. Faciamus nunc Iudam fuiſſe unius & viginti annorum(ut certè fuit,nam poſt venditum Ioſephum à fratrum ſe conſortio ſubtraxit)cum SVA Chananæam uxorem duxit. Porrò vigeſimo ſecundo natus eſt ei HER.Proximo indè ſequenti, ONAN. Tertio Sela. Nunc neceſſe eſt, ut Her quoq; ut minimum decem & ſeptem annorum fuerit, cùm acciperet uxorem Thamar. Hi decem & ſeptem anni ætati Iudæ juncti,conficiunt unde quadraginta annos. Circa eam patris ætatem obijt Her,cui ſucceſsit Onan: ſic & is eodem anno mortuus. Altero poſt hæc anno fac Thamarem à Iuda compreſſam, ita,ut quadrageſimo primo ætatis Iudæ currente,Perez & Zera naſcerentur. Quomodo igitur Perez,qui bimulus in deſcenſu erat, filios generaſſet?

His itaq; indicatis,interpretatio quædam quærenda eſt,quomodo Moſe illic intelligi debeat.Ac licet hac in re infantia mea probè ſit mihi cognita: tamen opinionem meam hîc ſubijciam,nullius defraudans judicium. Libenter enim cedam ſaniora referentibus. Numerat Moſe primùm progeniem ex Lea natam,filios & filiam Dinam Num.33. ubi ſi diligenter animum adverteris,tantùm 32. invenies. Sed addunt Hebræi,ut medeantur huic loco,filiam Levi Iochæbæd, quæ in Ægypto nata eſt, quod jam omitto.Ex his autem triginta duobus,duo in terra Chanaan diem obierant,Her & Onan filij Iuda,qui in Ægyptum non ſunt ingreſsi. Horum autem loco ponit Moſes Hezron & Hamul: qui fortè, ut fieri potuit, ante mortem Iacob in Ægypto nati ſunt ipſi Perez: & numerat eos inter deſcendentes tanquam eo tempore vixiſſent. Si ſic intelligatur hic locus,nihil habebit difficultatis. Sed accedit alia quædam cauſa,quare *Moſe* hoc in loco, & non alio,eorum mentionem fecerit? Neceſſe erat Genealogiam CHRISTI, quem *Moſe* ſciebat ex progenie Perez carnem aſſumpturum eſſe,ſolidam & indisruptam extare in Eccleſia. Sed non occurrebat occaſio melior referendorum nominum filiorum Perez, Hezron,& Hamul, quàm hoc loco. Nuſquam enim *Moſe*,per totam ſuam ſcripturam ab hoc loco,de progenie Iuda,tam clarè dicturus erat (ut per totam indè Scripturam usq; ad librum Ruth manifeſtiſsimè videtur.) Ideo ne omitteretur Hezron,in linea patrum CHRISTI,ſecundum carnem,eo loco cum fratre Hamul,inter progeniem Iacob,qui in Ægyptum deſcendit,numeratur.

Cæterùm quid de eo ſentiam,quod 33.animas ex Lea natas ait *Moſe*, cùm tantummodò 32. ibi inveniantur,planè incertus ſum. Hebræorum enim figmentum,de Iochæbæd matre *Moſeos*, mihi non ſatisfacit: eò quòd illa multis annis poſt deſcenſum,atq; adeò in ipſa Levi decrepita ſenectute,eſt nata. Alioqui enim Amram,ex ea vix potuiſſet ſuſcipere filios ac filias, ut Exod. 2. & 6. habetur. Deinde ſi

Anni Mundi.

de ſi rem ipſam diligenter conſideraueris, inuenies Moſen ipſum, tantum modò 33. animas ex Lea natas, poſteriori loco numerare, vbi dicit: Omnes animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de fœmore illius, abſq; vxoribus filiorum eius, ſexaginta ſex. Nam cum ex Zelpha fuerint ſedecim, ex Rachel vndecim, (Ioſeph enim & filij eius non numerantur ibi) ex Bala ſeptem: & hi numeri iuncti faciant triginta quatuor: Neceſſe eſt ſuperius quoq; Moſen non plures quàm triginta duas animas ex Lea prognatas numerare. Ideo libenter dicerem, numerum illic eſſe deprauatum. Verùm de hoc doctiores iudicent.

A deſcenſu Iſraelis in Ægyptum, vſq; ad exitum eiuſdem, annos quindecim
2445. ac ducentos poſuimus: Iudæorum verò computationes, tantùmmodò ducentos ac decem habent annos. Porrò Scriptura Exod. 12. Omne tempus habitationis filiorum Iſrael, quo permanſerunt in Ægypto, fuiſſe quadringentorum & triginta annorum ait. Ne quis igitur nos à veritate Scripturæ diſcedere, aut diſsidere ab ea in hoc loco putet, breuiter hæc annotare placuit. Verum eſt, Moſen annos 430. habitationis in Ægypto numerare: ſed hic numerus non ita eſt accipiendus, quaſi tantummodò tempus illud, quod eſt à deſcenſu Iſraelis vſq; ad exitum, complecteretur. Hoc enim ex ipſo Moſe Exod. 6. facilè demonſtratur. Nam Cahad auus Moſ[e] cum Iacob deſcendit, Geneſ. 46. & vixit annis omnino 133. Filius eius Amram annis 137. Moſe 89. vſq; ad exitum. Hi anni omnes iuncti, non amplius 350 efficiunt. At quæ fuit ætas Cahad deſcendentis in Ægyptum? quæ generantis filium Amram? Iterùm, quæ ætas Amram, cùm naſceretur ei Moſe? quod tempus collectum, omne à iam dictis 350. annis ſubtrahendum foret, &c. Ergo tempus manſionis filiorum Iſrael in Ægypto, non poteſt eſſe 430. annorum. Sed ita potius accipiendus eſt numerus ille 430. annorum, videlicet, Moſen eo loco numerare omne tempus peregrinationis Abrahæ, & filiorum eius, ex quo à Deo vocatus eſt, vt migraret ex Meſopotamia, & promiſsionem primam accepit: Geneſ. 12. Sicut & B. Paulus cap. 3. ad Galatas teſtatur, vbi à repromiſsione, vſq; ad datam legem annos 430. elapſos eſſe dicit: cuius ſententiam tutiſsimè ac ſine periculo ſequi poſſumus. Ad quam accedit Hiſtoria Beroſiana, quæ ita cum hac computatione conſonat (ſicuti in Chronologia videre licet) vt nihil hinc ambigui relinquatur. Ideo & nos annos illos à vocatione Abrahæ in χρονολογίᾳ ex latere annis mundi additos, Annos peregrinationis Abrahæ ſcripſimus, quorum numerus exactè cum Paulina ſententia congruit. Reſtat igitur vt probemus nos contra Iudæorum calculum, & 210. annos rectè 215. manſionis in Ægypto poſuiſſe. Quod facilimè fiet hoc modo. Abraham erat 75. annorum, cùm vocaretur ex Haran. Geneſ. 12. Anno centeſim[o] ætatis ſuæ genuit Iſaac. Geneſ. 21. Sunt ergo à vocatione ad natum Iſaac, anni 25, Iſaa[c] ſexagenarius genuit Iacob: hic centum & triginta annorum deſcendit in Ægyptum, (vt Scriptura manifeſtè docet) Hi anni collecti, faciunt 215. à vocato Abrahamo ex Haran, vſq; ad deſcenſum Iſraelis. Sed ab illa vocatione ad exitum vſq; ſunt anni 430. (vt paulò antè oſtendimus) à quibus 215. qui ante deſcenſum elapſi ſunt, ablati, relinquuntur 215. Atque ex hoc manifeſtus error Iudæorum apparet, cùm tantùm 210. annos manſionis populi Iſraelitici in Ægypto numerant. Porrò myſterio non caret hæc annorum in duas tam æquales partes diuiſio, quod eruditioribus eruendum committo.

Diximu[s]

Anni Mundi.

Diximus ibi Ioſuam poſt mortem Moſeos, annos ſeptem ferè in ſubigenda terra Chanaan, & deuincendis regibus conſumpſiſſe: ac ſequentibus annis cum terræ diuiſione occupatũ fuiſſe: Citauimusq; loca ſcripturæ, è quibus hoc confirmatum iri cõfidimus. Sed quia longiorem hoc deſiderabat explicationem, quàm quæ ibi aſſcribi poſſet, Hæc explanationis gratia ſubjicienda eſſe putauimus. Num. 13. cap. ſcribitur, quomodo exploratores à Moſe in terram Chanaan miſsi ſunt, cum quibus vnà fuerunt CALEB & IOSVA. Atq; hæc miſsio facta eſt anno ſecundo poſt exitum de Ægypto, poſtquàm filij Iſrael, perfecto tabernaculo, à monte Sinai diſceſsiſſent, vt cap. 9. eiuſdem libri patet. Porrò Caleb cap. 14. Ioſu: à tempore exploratorum reuerſorum, vſq; ad deuictos reges ac diuiſionem terræ, elapſos eſſe ait annos 45. His duo anni, qui ferè exacti erant ab exitu, iuncti, conficiunt annos 47. Sed ab exitu ad mortem Moſes, & principium Ducatus Ioſuæ, ſunt anni 40. quibus ad 47 ſublatis, remanent anni ſeptem reſidui, in quibus reges Chanaan cæſi, & terra ſubacta eſt. Ceterùm ea, quæ per tempus Iudicum in ſerie annorum ſunt poſita, ex annis ab exitu vſque ad templum Salamonis, quos à latere annorum mundi annotauimus, certiſs: comprobantur. Quamobrem longiori defenſione non eſt opus. 2500.

Quod Iſraelem, contra quorundam opinionem, circa trigeſimum Samuelis annũ, regem ab eo petere dixi, non omninò caret oratione. Concurrunt enim duæ potiſsimùm cauſæ, quæ me in hac ſententia ſatis probabili, cõfirmarunt. Prima eſt, quòd ſcriptura 1. Reg 8. Samuelem admodum fuiſſe ſenem tradit, atq; adeò, vt ob defectũ virium ab eo filij Iohel & Abia, in Berſabee conſtituti ſint Iudices: qui malicia ſua primatibus populi ad petendum regẽ occaſionẽ præbuerunt. Porrò manifeſtũ eſt, ipſum Samuelem præſidente Iudice Eli Sacerdote natum, atq; apud eundem educatum eſſe. Faciamus nunc, Samuelem eſſe natum anno octauo Eli, tunc fuit 32. annorum, cùm ipſe populum poſt mortem Eli, iudicare cepit. Si igitur eum tantummodò 20. ãnis ante Saulẽ populo præfuiſſe dicerem, tunc eſſet vt plurimũ quinquaginta annorũ, cùm filios conſtituit Iudices (puto enim & hos duobus, ſi non pluribus annis, concedente patre, populũ iudicaſſe) qua ætate non potuit meritò dici ſenex, qualis à ſcripturis tũ fuiſſe perhibetur. Ideò decẽ annos adhuc ei adjicio, atq; hoc non ſolùm ob iam dictã cauſam, ſed ob aliãquoq;, quæ mox ex ijs, quæ ſequuntur, manifeſta fiet. Altera cauſa eſt, quòd 3 Reg 15. cùm Abſolom aduerſus patrem ſeditionẽ moueret, ſcribitur: Poſt quadraginta annos, dixit Abſolom ad regem Dauid, &c. Quos annos pleriq; Iudæorum Rabini, ab illa populi, vt regem haberent, petitione inchoari confirmant. Cuius quidẽ expoſitionis cauſa hæc mihi ſatis videtur eſſe probabilis. Cùm populus efflagitaret à Samuele regem, multis eis Samuel verbis ius Regiũ inculcauit, quò à propoſito eos auerteret, commemorans omne malum, quòd à regibus eis obuenturum eſſet dicens: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietq; ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & cõſtituet ſibi tribunos, & centuriones &c. Hunc autem apparatum in inſtruendis curribus ac cõſtituẽdis præcurſoribus & equitibus, neq; apud Saulem, neq; Dauidem in vſu fuiſſe, conſtat. Nuſquam enim per totam eorum vitam huiuſmodi apparatus ſcriptura mentionem facit. ABSOLOM verò primus in Iſrael regnum affectans, currus, equites ac viros qui ſe præcederent, conſtituit, quemadmodum eodem loco 2. Reg. 15. habetur. Ideo cum Propheta in memoriam reuocare vellet populo, dictum illud Samuelis, quo ius regis erat explicatum, vtq; ſic recordaretur quàm graue onus, cùm abiecto Samuele regẽ petijſſent, ſubijpſis impoſuiſſent, euſq; ſeditione Abſolonis retrò aſcendendo annos 40. qui interim elapſi erant, numerat. 2881.

Itaq; cùm hæc ratio ſuperiori de ætate Samuelis(tunc enim non minor fuit,cùm po-
pulus regem peteret,annis ſexaginta duobus,qua ætate ſenex& canus dici & eſſe po-
terat)pulchrè conueniat,non putauimus à vero alienum,ſi Hiſtoriam illam, eo, quo
diximus, anno factam eſſe affirmaremus. Porrò adhuc vnum eſt reliquum,quod le-
ctori ſcrupulum injicere queat: videlicet dictum illud 1. Reg. 13. Filius anni era
Saul, cùm regnaret: & duobus annis regnauit. Nam hæc verba id velle videntur
quaſi Saul duobus annis, non amplius regnaſſet: quod à noſtra ratione planè diuer-
ſiſsimũ eſſe apparet, cùm ei nos decem annos in regno tranſactos aſſcribimus. Ideo
paucis quoq; aperiendum erit, qui eorum ſit verborum ſenſus. Ac primùm quidem
certum eſt ex loco Acto. 13. citato, quòd omne tempus, quo Samuel ſolus, & cum
eo, & poſt eum Saul populo præfuerunt,quadraginta annorum eſt. Atq; id ex anni
quoq; ab exitu, vſq; ad templum Salomonis 3. Reg. 6. certiſsimum comprobatur
Moſe enim duxit populum annis 40. per deſertum, poſtea præfuerunt Iudices anni
357. Dauid regnauit annis 40. Salomo annis 3. Quarto enim ædificari cœptum eſ
templum. Hi anni collecti faciunt 440. Sed 3. Reg. 6. numerantur ab exitu ad
templum Salomonis anni 480. Ergo neceſſe eſt Samuelem & Saulem, quorum tem-
pus in veteri teſtamento tacetur, annis 40. imperaſſe: tot enim deſunt anni, ad com-
plendum illum numerum,qui 3. Reg. 6. ponitur. Quamobrem etiam in annis mun-
di nihil erit periculi, etiamſi tempus regni Saulis non præcisè habeamus. Sed quoni-
am non diffidimus, quin iiſdem annis decem, vt in Chronologia poſuimus, regna-
rit,diſſoluemus etiã hunc nodum,qui ex verbis illis naſcitur. Filius, inquit, anni era
Saul cùm regnaret, hoc eſt,annus abierat vnus poſt electionem Saulis in regem(qua
deſcribitur 1. Reg. 9. & 10.) vſq; ad confirmationem regni ipſius à populo, quæ fa-
cta eſt poſt deuictos Amonitas(vt ibi cap. 11.)in Galgala. Et duobus annis regnauit
id eſt, ex eo tempore quo confirmatum eſt ei regnum à populo, regnauit appro-
bante Domino duobus annis. Sed exactis his annis, ob maliciam & impietatem ſuã
abiectus à Deo,non amplius de iure(vt Lyra dicit) regnauit, ſed vſurpatiuè. Mox
enim poſt eius abiectionem, à Deo electus, & à Samuele vnctus eſt Rex Dauid, ad
quem ſtatim omne ius regni iure diuino pertinebat. Ac etiamſi Saul coram mundo
potenter id retineret: tamen coram Deo iam pro rege haberi deſierat. Ideo reſiduo
Propheta annos impij Saulis regni omittit, ac duos tantùm illos, quibus vtcunq; pi
regnauit Saul,memoria dignos putat. Et ne hoc quidem abſq; myſterio factum eſt
vt ſacrarum rerum ſtudioſo facile apparebit,ſi hypocritas &verè pios in mundo,cum
Saule & Dauide comparauerit. Alius fortaſsis alio modo explicare poſſet,cui id qui-
dem per me liberum eſto.

Anno regni Dauidis octauo in Hebron, interfectum eſſe diximus Isboſeth fili-
2898. um Saulis, quem Abner dux militum Saulis regem Iſraeli conſtituerat. Sed huic ad-
uerſari videtur,quod 2. Reg. 2. dicitur,Filius quadraginta annorum erat Isboſeth, &
regnauit annis duobus. Ad quod breuiter hæc reſpondere voluimus. Isboſeth du-
obus annis regnauit.ſ. priuſquàm bellum inter ipſum & Dauidem nimis exardeſce-
ret. Sed cùm Dauidis regnum, in dies magis magiſq; confirmaretur,bellumq; ob id
maioribus ſubinde viribus, aduerſus filium Saulis gereretur, atq; Isboſeth tantæ ge-
rendæ rei minimè apparet idoneus(ſicuti cap. 3. Reg. 2. videtur) omnem inter ſe re-
gni curam, neceſsitate quadam coactus Abner ſuſcepit, bellumq; contra Dauidem,
totum per quinquennium, ſolus adminiſtrauit. Atq; hos quinq; annos, quibus nihil
præter nomen regium apud Isboſeth remanſit,ſcriptura eidem non annumerat. Sed

breuiter

Anni Mundi

breuiter dicit, cum duobus annis regnaſſe: deinde domum Saulis à duce Abnero adminiſtratam, donec Isboſeth eum ad iram prouocarit, vt de tradendo Dauidi regno conſilium iniret, ac dum id molitur, ipſum fraude Ioab, Isboſeth verò, duorum filiorum Rechab inſidijs perijſſe: quibus ita extinctis, ſtatim ad Dauidem, offerentibus id primatibus, omne regnum Iſraelis translatum eſſe: Poſtquàm in Hebron ſuper domum Iuda regnaſſet annis 7. menſes ſex.

Diuiſo poſt mortem Salomonis Hebræorum regno, non vſq; adeò facilis erit in libris Regum, annorum mundi obſeruatio. Conferuntur enim vſque ad deſtructum Iſraelis, id eſt, decem tribuum regnum, anni regum inter ſe, ita vt iam 2991. Aſa (quo exemplo fiat clarius) in viceſimo anno Ieroboam, mox Nadab, in ſecundo anno Aſa &c. regnare incipiat. Atq; in hac annorum comparatione, pleriſq; in locis accidit, vt omninò quæ dicuntur, primo aſpectu impoſsibilia videantur. Vt ſtatim à principio regni Aſæ videre licet. Dicit enim ſcriptura 3. Reg. 15. in anno viceſimo Ieroboam regnauit Aſa rex Iuda. Et eodem capite: Nadab verò filius Ieroboam regnauit in Iſrael, anno ſecundo Aſa regis Iudæ, regnauitq; annis duobus, &c. Ac ſtatim ſequitur, Interfecit ergo illum Baeſa in anno tertio Aſæ regis Iudæ, & regnauit pro eo. Et mox: Anno tertio Aſæ regis Iudæ regnauit Baeſa &c. Quomodo hæc ſunt poſsibilia? Nadab (vt præcedentia de Ieroboam omittam) cœpit anno ſecundo Aſæ, & duobus regnauit. Inde Baeſa, interfecto Nadab, regnat anno tertio Aſæ. Quare non quarto? Sic enim neceſſe videbatur. Nam ſi Nadab duobus annis regnauit, & ſecundus Aſæ, regni eius fuit primus, ſequitur neceſſariò, ſecundum annum Nadab, cum tertio Aſæ conferendum. Quomodo ergo Baeſa eo anno regnat? Ad hunc & alios quoſdam ſcrupulos, qui in Regum libris occurrere poſſunt, diſſoluendos, regulas quaſdam ſcitu digniſsimas, nobiſq; à doctis viris traditas, hîc ſubjiciemus, quibus probè conſideratis, omnis in conciliandis, totam per hiſtoriam Regum, annis difficultas amouetur.

Prima Regula, Plerumque fit, vt anni Regum Iudæ & Iſraelis vltimi, non ſint completi: Sed quidam vix menſes aliquot complectantur, quidam verò modò ſint inchoati. Ideo per hanc regulam ſoluitur obiectio illa de Nadab & Baeſa, & ſi quæ alia eſt huiuſmodi, in hunc modum. Aſa regnauit anno 20. Ieroboam, ſcilicet in fine anni, fac, menſe vndecimo: atq; ſic incipit viceſimus & ſecundus annus Ieroboam, in anno ſecundo Aſæ, menſe quoq; ſecundo. Sed hic annus Ieroboam non eſt completus. Sequens enim in hiſtoria Nadab, &c. id ferre nequit. Dicamus ergo Ieroboam mortuum menſe tertio huius anni, hoc eſt, anno ſecundo Aſæ, menſe quinto, in quo incipit Nadab, & regnat anno integro, qui finitur menſe quinto anni tertij Aſæ. Poſt hæc regnauit fortè adhuc duos vel tres menſes. Deinde à Baeſa interfectus eſt. Atq; ſic cœpit Baeſa, anno tertio Aſæ, menſe ſeptimo vel octauo eiuſdem anni &c. Sic quoq; de reliquis eiuſmodi nodis iudicabis.

Secunda. Interdum accidit, vt pater bello occupatus, extra regionem profecturus, filium, cui regnum relinquere cupit, Regem deſignet. Sicuti noſtro quoq; ſeculo, à Carolo Auguſto factum eſſe cernimus, qui Hiſpanias ob bellum Gallicum relinquens, filium Hiſpaniarum regem conſtituit: Ita tamen, vt ipſi in regnum reuerſo, ſummum maneat imperium. Nihilominus interim filius & nomen & dignitatem regiam obtinet.

Tertia. Quandoq; fit, vt, cùm Rex aut ſenio confectus, aut morbo quodam correptus, imperio præeſſe non poſsit, filiũ quem ſucceſſorem velit, regem creet, regniq;

 ei habe-

Anni Mundi. ei habenas tradat. Ac tum filius verè regnare dicitur. Et anni quibus ſic regnauerit, etiamſi adhuc viuat pater, ſuo imperio aſſcribuntur. Vt noſtro quoq; ſeculo, in Ampliſs. Poloniæ Regno factum eſſe, vidimus, vbi inuictiſs. Rex Sigiſmundus ſenio confectus, Sigiſmundum Auguſtum filium, Poloniæ Regem deſignauit, qua dignitate, cum patre ad 20. annum vſq; vſus eſt.

Quarta. Fit quoq;, vt patre rege mortuo, filius præ ætate regnum adminiſtrare nequeat, id tamē ei per potentes regionis conſeruetur incolume, donec is adoleuerit, atq; ad regni gubernacula ſit idoneus. Anni tamen illi, per quos à maioribus populi regnum ei conſeruatum eſt, ipſi regi aſſcribuntur. Atq; hæc regula non tantùm in libris Regum habet locum, ſed per totam Iudicum hiſtoriam ſummè fit neceſſaria.

Quinta. Non ſemel quoq; euenit, vt regnum Iſraelis à Tyrannis ſit diuexatū, & à nullo certo rege adminiſtratum. Atque id tempus, quo abſq; rege legitimo fuerunt Iſraelitæ, in ſacris non refertur. Si quis autem Tyrannorum, magni Senatus, vel principum populi ſuffragijs, rex declaratus eſſet, tunc incipiebant annos imperij eius numerare. Intermedij verò, vt quos Tyrannis occupauerat, ex annis regum Iudæ, abſq; omni detrimento temporis colligi poſſunt. Notandum tamen, quòd hoc interdum non obſeruetur. Sed fit, vt anni tàm Tyrannidis, quàm regni legitimi, ſine diſcrimine vni aſſcribantur, vt in regno Amri. Verùm is non omninò principum fauore, aut ſuffragijs populi caruit.

Hæ regulæ, vt diximus, diligenter per libros Regum obſeruatæ, facilem noſtræ conciliationis annorum intellectū dabunt. Ac ne quis inſignis error, in annorum numeris, per hos libros oriretur, Deus ipſe certum eorum numerum complexus eſt: Cùm ab initio regni Ieroboam, qui Iſraelem á Domino, ad Idolatriam, aureorum Vitulorum cultum, ſeduxit, vſq; ad totius Iudææ deuaſtationem, in qua ne cultor terræ relinquendus erat, trecentos & nonaginta annos fore dicit &c. Ezechiel. 4. Qui anni abſque dubio viceſimo tertio Nabuchodonoſoris anno finem acceperunt. Nam eodem tempore, omnes reliquiæ Iſraelis & Iudæ, à Nabuzardano Chaldæorum militum præfecto, captiuæ ſunt in Babylonem ductæ, Sicuti circa annum Mundi 3360. copioſius dicemus.

3084. Tertio Regum capite primo dicitur: Anno ſecundo Ioram filij Ioſaphat, regnauit Ioram in Iſrael. Et cap. 3. Ioram filius Achab regnauit in Iſrael anno 18. Ioſaphat Porrò cap. 8. Anno quinto Ioram filij Achab regis Iſrael, regnauit Ioram filius Ioſaphat, &c. Hæc valdè diſsidere videntur. Sed ſi ad regulas modò traditas examinaueris ea, videbis nihil eſſe abſurdi. Nam Ioſaphat rex Iudæ, cùm anno decimo ſeptimo regni ſui, conſtituiſſet regi Achab aduerſus Syros ſubſidium ferre: Filium ſuum Ioram regem Iudæ deſignauit. Anno inde ſequenti, is erat decimus octauus Ioſaphat, filij verò Ioram ſecundus, regnauit Ioram filius Achab. Quinto deinceps Anno huius Ioram filij Achab, Ioſaphat confectus ſenectute (quinquageſimum ſextum enim exceſſerat annum) filio ſuo Ioram, quem antea deſignauerat regem ex conſenſu Primatum, regnum confirmat. Qui indè patre adhuc viuente, annis quatuor regnauit, qui anni ipſi Ioram, tanquam regi legitimo (vt vides in Chronologia) aſſcribuntur, ſecundum regulas, 2. & 3.

Sic quoq; Ahazias à patre bellum parante Rex factus eſt &c

3126. Iſraelitæ vexati Tyrannide Vide Regulam quinto loco poſitam

3189. Olympiades, certiſsimā Græcorum temporū regulam, à ſecundo Aeſchyli iudicis Athenarum anno, atq; poſt quadringenteſimū ſextum belli Troiani, initiū ſumpſiſſe, nō ſolùm Euſebius autor eſt, verū id probatiſsima quæq;, quæ in Chronologia

tum præ-

tum præcedunt tum ſubſequuntur,tẽpora, quoq; affirmant. Ea enim inter ſe ita con-
ſonant omnia,vt ſine maxima temporũ confuſione,quicquã in eis mutare nõ liceat.
Quare de hac re multa afferre non eſt opus. Eſt autem Olympias ſpacium quatuor
annorum. Helij enim quinquennale certamen agebant, quatuor annis in medio
expletis. Quod ab Hercule primùm, in honorem aui Pelopis conſtitutum, ac dein-
de multis intermiſſum annis, ab IPHICLO Praxonidis filio, iterum ad conſuetudi-
nem reuocatum eſt. Ab hoc tempore, Græca de temporibus hiſtoria vera creditur.
Seriem Olympiadum,eò quòd plurimum ad concilianda tempora conducunt, an-
nis mundi ex latere diligenter annotauimus, quò in ſequentibus χρονολογίας noſtræ fi-
des cuilibet appareret. Cæterùm anni Olympiadum ſemper à ſolſtitio,hoc eſt, men-
ſe Iunio inchoantur. Quare interdum fieri ſolet, vt factum aliquod in primo huius
Olympiadis anno accidiſſe dicatur, quod tamen in Chronologia in quartum an-
num præcedentis incidat. Ideo ſi huiuſmodi loca occurrerint, diligenter animaduer-
tas, quando annus præcedens deſierit, vel ſequens inchoetur, &c.
OSEA interfecto, Pekah per Tyrannidem regnauit annis octo, qui regno eius
non aſſcribuntur. Secundum regulam quintam. 3207.
Quæ ad hunc annum vſq; pro confirmanda temporum ſerie,tum in Chronolo-
gia,tum in hiſce cõmentarijs ſunt dicta, ſatis firmo ex ſacris literis fundamento niti 3217.
non diffidimus. Sed cùm poſt hæc, vltra ducentos triginta vnum annos, nullum ex
ſacris habituri ſimus teſtimonium, quibus temporum rationem firmaremus: Ne-
ceſſarium eſſe iudicaui, vt in tempore, fundamentum quoddam,ex probatiſsimis, ſi
eos habere poſſumus,autoribus,quod & in ſacris non contemnendam habeat autori
tatem, poneretur, ſuper quod fundamentũ, reliqua huius ædificij ſtructura non in-
concinnè,ſed exquiſitiſsima cura,ac quoad fieri poſſet,quaſi ad amuſsim,quod aiũt,
extrui poſſet. Quoniam verò ad huiuſmodi initium conſtituendum, apud noſtros,
qui nunc quidem extant, Chronographos, certi aut parùm,aut quod res docet, om-
ninò nihil(abſit inuidia dicto) reperire licet (Ita enim inter ſe, quotquot ego qui-
dem vidi, de temporibus diſsident, vt vix duos, qui idem ſentiant,quiq; de ſenten-
tia ſua firmi eſſent,inuenias)non potui melius inuenire conſilium, quam cuius me
de hac re ambigentem,vir & ingenio & omni moda eruditione admirabilis, D. An-
dreas Oſiander participem fecit: nempe, vt tempora ad certiſsimas Ptolemæi Aſtro-
logi æras (ſic enim vocant fundamenta illa,ad quæ cœleſtium corporum motus diri-
gũt) accommodarem: Initio ſumpto à magna Nabonaſſaris æra, quæ à cunctis
Ptolemæi ſectatoribus,cùm pro certiſsima,tùm pro antiquiſsima omnium habetur.
Sic enim fieri poſſe affirmabat, vt tempora, aliorum inſcitia confuſa, ſuo reſtitueren-
tur ordini. Quare cùm viderem huius quoq; Nabonaſſaris,qui nobis Salmanaſſer eſt,
in Sacris mentionem haud vno loco fieri, diligenter eius regni initium obſeruaui:
cumq; in progreſſu, tempora, ab illo initio, vſque ad Auguſtum Rom. Imperato-
rem, liquidiſsimè conuenirent: illud ipſum ſcilicet regni Salmanaſſaris initium, pro
ſequentis computationis fundamento ac Regula ponendum eſſe duxi. Ac ne ſubin-
de rationem vel huius vel iſtius facti reddere cogeremur, numerum annorum, cuili-
bet loco,in margine aſſcripſimus, quot ſcilicet annos Ptolemæus à regno Salmanaſ-
ſaris eouſq; elapſos eſſe ait &c. Et non dubito, quin hanc viam infallibilem ſequu-
tus,de huius computationis certitudine, æquo lectori aliqua ſaltem ex parte (ſi non
omninò) ſatisfecerim. Tamẽ ne quicquam hîc relinquatur,quod vel curioſum lecto-
rem perturbare poſſet,præcipua,quæ hîc objici poſſunt, argumenta paucis diſſolue-

 re libet,

Anni Mundi. re libet. Videntur autem hæc tria in primis objici poſſe. PRImum, An certum ſit, Nabonaſſarem eo tempore cœpiſſe, quo nos eius regni initium poſuimus, videlicet incipiente octaua Olympiade. SECVNDVM, Sit ne verum, Nabonaſſorē eundem eſſe, quem ſcriptura Salmanaſſarem vocat, qui cum Samaria Iſraeliticum Regnum deſtruxit, anno ſexto Hiskiæ regis Iuda. TERTIVM, Metaſthenis Perſæ Hiſtoria. Si itaque priora probabiliter vera, Metaſthenis verò hiſtoriam in tempore, cum vt plurimùm falſam, tum ſacris ſcripturis contrariam eſſe demonſtrauero: ſatis firmum computationi meæ fundamentum jeciſſe videbor. Ad primum igitur primò reſpondebimus.

Omnes qui de temporibus Alexandri Magni ſcripſerunt, vnà cum probatiſſimis, quos nunc quidem haberi contingit Hiſtoricis, in eo vnanimiter conſentiunt, Alexandrum Olympiade centeſima decima quarta incipiente, vita functum eſſe. At Ptolemæus magnæ conſtructionis lib. 3. cap. 8. ab initio regni Nabonaſſaris, vſq; ad mortem Alexandri Magni, vel initium regni Lagitarum in Ægypto, colligit annos 424. qui comprehendunt in ſe centum & ſex Olympiades. (Nam ſingulæ Olympiades quaternos complectuntur annos.) Quæ ſi à tempore mortis Alexandri, hoc eſt, à centeſima decima quarta Olympiade incipiente ſubtrahuntur, oſtendunt nobis certiſsimum regni Nabonaſſaris initium, Nempe Olympiadem octauam iam incipientem. Quemadmodum in Chronologia poſuimus, &c.

Quod autem Nabonaſſar idem ſit, quem ſcriptura Salmanaſſarem vocat ex annorum numero, qui tum ex ſacris literis à deuaſtata Samaria, vſq; ad annum 19. Nabuchodonoſoris magni, vel ad initium captiuitatis Iudæ, colliguntur, tùm etiam ab ipſo Nabonaſſoris initio, ad Nabuchodonoſorem illum, à Ptolemæo numerantur, certiſsima ratione demonſtratur. Sunt enim à deſtructo Iſraelis imperio, vſq; ad captiuitatem anni 133. qui hoc modo colliguntur. Ezechias regnauit poſt captam Samariam annis 23. Manaſſes 55. Amon. 2. Ioſias 31. Ioakim 11. Sedechias 11. poſtea Captiuitas. Sed Ptolemæus ab initio Nabonaſſaris ad hanc deſolationem ciuitatis Hieruſalem, numerare cogit centum quadraginta annos. Ait enim quintum annum Nabopollaſſaris (quem Nabuchodonoſorem eſſe dubium non eſt, vt mox videbis) eſſe centeſimum viceſimum ſeptimum à Nabonaſſaris initio, lib. 5. cap. 14. μεγ. συντάξεως His adde tredecim, vſq; ad captiuitatem Iudæ. (Nam 18. anno Nabuchodonoſoris, ciuitas capta eſt) habebis 140. numerum ſeptenario maiorem, eo, quem ſcriptura colligit. Sed ijs ſeptem annis Salmanaſſar antea regnauit, quàm Samariam caperet. Conſtat igitur ex temporum congruentia, eundem eſſe Salmanaſſarem Scripturæ, qui Ptolemæo Nabonaſſar eſt. De loco enim imperij vtriſque conuenit, quòd in Babylone, Aſſyria & adjacentibus locis regnauerit. Cæterùm quis de Nabopollaſſare me certiorem fecerit, inquis, quod idem ſit Nabuchodonoſor Magnus, qui Hieroſolymas euertit, ac populū Iudæ captiuum abduxit? Poterit ne alius quiſpiam eſſe, hoc nomine dictus? Ad hæc breuiter reſpondebo. Certum eſt ex ipſius Ptolemæi verbis loci prædicti, quòd de nullo alio, quàm de Babyloniorum rege dicat. Nam cùm Eclipſin Lunarem, cuius eo capite meminit, in Babylone obſeruatam eſſe ait, quo potius regnante eam accidiſſe dicat? Regéne domeſtico eodemq; Monarcha? an peregrino quodam ac eodem obſcuro? Domeſtico ac Monarcha opinor. Sic enim fieri conſentaneum eſt. Sed idem Nabopollaſſar, centum & viginti duobus annis exactis, poſt Nabonaſſarem regnare cœpit (vt Ptolemæus prædicto loco teſtatur) quo tempore Scriptura Iere. 25. Nabuchodonoſorem apud Babylo-

nios re-

...nios regnum accepiſſe affirmat. Sunt enim (vt ſequentia docebunt) à principio Salmanaſſaris, vſq; ad finem quarti anni Ioakim, quo Nabuchodonoſor imperauit, ſecundum ſcripturæ calculum, anni 122. Ergo cùm & locus & tempora iterum in vtriuſq; Scriptura ſcilicet & Ptolemæo æquiſsimo conueniant iure: Neceſſe eſt eundem eſſe Nabuchodonoſſorem ſcripturæ, & Nabopollaſſarem Ptolemæi. At obijciat quis, veterem Ptolemæi translationem, in qua pro Nabopollaſſare, Kaleſen legitur. Huic eadem quæ iam dicta ſunt, reſpondebo: Nempe, vtcunq; vocetur Rex ille à translatoribus, à græco exemplari, à loco imperij, & à tempore certum eſt; eum à ſcriptura dici Nabuchodonoſorem, cognomento, Magnum. Quare hæc pro confirmanda ſecunda propoſitione, videlicet, quod Salmanaſſar Scripturæ, & Nabonaſſar Ptolemæi, idem vnuſq; Aſſyriorum rex ſit, dicta ſunt. Etſi cui hæc non ſatisfecerint, eum oratum velim, vt aut proferat certiora, aut ſi hoc non poteſt, calumnijs abſtineat. Nunc ad tertiam quoq; obiectionem de Metaſthenis ſ. hiſtoria, accedamus.

Etſi hi commentarij non ob hoc à me ſunt inſtituti, vt alios autores aut carperem, aut ſcripta illorum condemnarem: ſed vt meæ potiſsimum computationis, ſi qua neceſſe foret, rationem redderem: tamen cùm videam omnem fermè controuerſiam, de temporibus poſt finem Babylonicæ captiuitatis in Eccleſia, à ſola Metaſthenis hiſtoria ortam, atq; adeò multum à quibuſdam eidem hiſtoriæ tribui, ut nullum ſit dubium, quin ſtatim huic noſtro labori, autoritatem eius obiecturi ſint: Neceſsitate quadam, vt meum de Metaſthene iudicium aperirem, coactus ſum. Quare confido neminem hoc iniquo animo laturum eſſe, ſi veritate ſuccurrens, huius traditionibus non vbiq; paruerim. Nam ex ipſius traditionibus ſi non ſunt mutilata exemplaria, euidenter apparet, eum præter quod multis locis errat, neq; cum hiſtoria Sacra in temporibus conuenire, neq; ſibi ipſi quibuſdam in locis benè conſtare. Ac nihil eſt, quòd mihi obijciant, Metaſthenem has traditiones, ex Suſiana Perſarum & Babyloniorum hiſtoria excerpiſſe. Non enim reluctor: Sed quod diligenter tempora obſeruarit, quemadmodum ibi, procul dubio, rectè fuerunt annotata, hoc non conceſſerim. Nam quid dicas de quàm plurimis nominis Chriſtiani Chronographis, qui omnes ſe tempora, vſq; ad captiuitatem Iudæ, libris ſacris computaſſe ſcribunt? tamen quotuſquiſq; eſt, qui, ſi eius computatio ad analogiam librorum regum tertij & quarti examinaretur, non multis in locis aberraſſe à verò compræhenderetur? Ideo nihil & huius te autoritas impediat, ſed vide potius, quatenus cum ſacris ſcripturis, ac Ptolemæi certiſsimis temporum obſeruationibus conueniat. Sic enim fiet, vt, etiamſi rem ipſam acu tangere tibi non contingat, tamen quàm proximè ad veritatem accedas. Sed recenſeamus nunc unum atq; alterum locum, è quibus errores illi ex parte manifeſti fiant. Omnes enim hîc enumerare nimis longum foret.

. Primùm, Ex Ptolemæo & ſacris literis certiſsimum eſſe conuincitur, quòd à Salmanaſſaris regni initio, vſq; ad Nabuchodonoſorem magnum, non plures elapſi ſint anni, quàm centum viginti duo (vt in ſequenti argumento apparebit) Metaſthenis verò traditio viginti annis hunc numerum excedit. Tribuit enim Salmanaſſari 17. Sennaheribo 7. Aſſar Adoni 10. Merodacho 52. BenMerodacho 21. Nabuchodonoſori primo, qui & pater magni Nabuchodonoſoris, 35. qui anni omnes iuncti, conſtituunt numerum centum quadraginta duorum annorum: quod manifeſtè & contra Ptolemæi certiſsimam obſeruationem, & contra ſacræ ſcripturæ irreprehenſibilem autoritatem repugnare cernitur. Atq; hunc errorem in genere demonſtraui. Verùm nunc videndum eſt, quibus in locis, aut quorum in imperio, errores illi

ANNI Mundi.

ſunt admiſsi. Nam & hoc neceſſarium eſſe exiſtimo, quòd depræhenſo morbi genere, facilior fieri ſolet curatio, Ideo paulò altius quædam repetemus.

II. Secundò, In confeſſo eſt, quòd ex ſcripturis, à ſexto anno Ezechiæ, quo Samaria à Salmanaſſare capta eſt, vſq; ad initium regni Nabuchodonoſoris magni, numerentur centum & quindecim anni. Hoc modo. Ezechias poſt captam Samariã regnauit annis viginti tribus. Manaſſes quinquaginta quinq;. Amon 2. Ioſias 31. Eliakim vel Ioakim 4. (in fine enim huius anni regnum accepit Nabuchodonoſor) Summa 115. Porrò Ptolemæus ab initio regni Salmanaſſaris, ad Nabuchodonoſorem, computat annos 122. à quibus ſi tempus poſt captam Samariam ſubtraxeris, videbis ſeptem annos reſiduos, quibus Salmanaſſar antea regnauit. Certum eſt ideo, ſextum quoq; annum regni Ezechiæ, ſeptimum eſſe imperij Salmanaſſaris. Cæterùm Metaſthenes Salmanaſſarem regnaſſe dicit annis 17. poſtea ſucceſsiſſe Sennaheribum & imperaſſe annis 7. Atq; ſic Salmanaſſar deſijſſet anno 16. Ezechiæ. Sennaherib verò anno 23. iſtius &c. Sed quid dicit ſcriptura. 4. Reg. 18. Anno 14. Ezechiæ regis aſcendit Sennaherib Rex Aſſyriorum &c. Et non longè pòſt in fine ſcilicet 19. cap. Reuerſus eſt Sennaherib rex Aſſyriorum, & manſit in Niniue, cumq; adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, à filijs ſuis Adramelecho & Saraſſare interfectus eſt, &c. Si nunc Metaſthenis traditio vera eſt: Quomodo aſcendit Sennaherib anno 14. Ezechiæ contra Iudam? Quomodo domum reuerſus ſtatim á filijs interfectus eſt? Quomodo deniq; ſeptem annis poſt Salmanaſſarem, ſi is decem & ſeptem regnauit, imperium tenuit? Sed ſcriptura errat. Abſit. Imò verbum Dei manet in æternum: omnis autem traditio hominum peribit. Luce ergo clarius videtur, Metaſthenem hoc in loco, ſeptem annis amplius à diuinis literis diſcrepare. Verùm ſi Salmanaſſarem decem annis regnaſſe dixeris, non errabis. Sic enim fieri poteſt, vt Sennaherib, ſeptimum imperij annum attigerit, quem tamen implere non potuit, ſicut multis id rationibus probare poſſem, quod tamen breuitatis gratia, quia haud magni momenti res eſt, prudens omitto.

III. Tertiò, Ingens is intolerabilis error eſt, quod Metaſthenes inter regnum PhulBelochi (Sic enim vocare libet regnum nouum Aſſyriorum) & inter regnum Merodachi, nullam omninò differentiã facit: Cùm id, tum ex temporis computatione tum verò ex Sacris literis perſpicuum ſit, quòd diuerſa hæc duo regna, ſucceſſu temporis, & maximè circa cladem Sennaherib, in Iudæa acceptam, facta fuerint, atq; adeò Aſſyrium nouum à Babylonio deuoratum eſſe (ut ſic dicam) cõſtet. Nam quòd diuerſa regna fuerint, quis ex his verbis non intelligit? cùm Ieremias cap. 50 dicit Grex diſperſus Iſrael: Leones eiecerunt eum: primus comedit eum rex Aſſur (Phul Teglat Phul Aſſar, Salmanaſſar, Sennaherib) iſte nouiſsimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor rex Babylonis. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Ecce ego viſitabo regem Babylonis, & terram eius, ſicuti viſitaui regẽ Aſſur &c. Huic adde hiſtoriam Ezehiæ ægrotantis, 4. Reg. 20. 2. Para 32. Iſa. 38. & 39. Illic enim manifeſtum eſt, Ezechiam ſtatim poſt diſceſſum Sennaheribi decubuiſſe, ac retroceſsionis Solis ſignum accepiſſe ſanitatis, & mox á Merodacho rege Babylonis, nuncios cum muneribus ad eum Hieroſolymam veniſſe. Sed eadem Scriptura dicit occiſo Sennaheribo, ſucceſsiſſe filium Aſſar Adonem in regno Aſſyriorum, quem Metaſthenes decem annis regnaſſe dicit, ac id quidem verè. Qui igitur fieri poſſet vt regnum Aſſar Adonis, & regnum Merodachi, quos eodem tempore diuerſis locis (ille enim in Niniue, hic in Babylone) regnaſſe conſtat, idem unumq; re-

gnum, &

num, & non diuerſa fuiſſent? At, inquis, fortè cognati fuerunt, &regnum diui-
erunt. Huic omninò contrarium eſt, quód Ezechias legatos Merodach tam huma-
iter accepit,eiſq; omnem theſaurum domus ſuæ oſtendit. Nam ſi Merodach ex-
ognitione hoſtis Ezechiæ Sennaheribi fuiſſet, ac cum Aſſar Adone aliqua interceſ-
ſſet ei familiaritas, nunquam tam ſtultè ſapuiſſet Ezechias, vt legatis eius tot hono-
s exhibuiſſet, aut theſauros, ac intima quæq; chara oſtendiſſet. Prætereo lubens,
uàm proni fuerint illi reges ad diuidendum imperium, cùm tot nationibus, quò id
ugerent, vndiq; arreptis qualibuſcunq; occaſionibus, bellum inferre, omniſq; gene-
s crudelitatem exercere, non ſint defeſsi. Certum eſt igitur, aliud eſſe regnum Aſ-
r Adonis, aliud Merodachi. Porrò quomodo Merodach in Babylone regnare cœ-
erit, atq; Aſſyriorum regnum, victo fortaſſe Aſſar Adone, ad Chaldæos, Babylo-
óſue tranſtulerit, quantum quidem coniectura, ex temporibus, & ſacris literis ſum-
a, conſequi potuimus, hoc loco referre non videtur à propoſito alienum. Eſt au-
m hæc mea de hac re opinio.

Sennaherib primùm imperium Aſſyriorum accepit ac reliquam Palæſtinæ par-
m, quæ à Salmanaſſe ſub iugum mitti nequierat, bello ſolicitare cœpit, mittens
lido cum exercitu principem THARTHANEM (Ieſa 20.) qui ſecundo Sennaheri-
anno (ſic enim Hæbræi tradunt)Azotum vrbem maritimam maximis viribus oppu-
auit. Ac cùm bellum tribus ferè protraheretur annis, neq; quicquam tanto apparatu
gnum efficeretur : Sennaherib impatiens moræ, res ipſe bellicas aggredi, ac totam in
Iudæam ad Ægyptum vſq;, igni ferroq; peruaſtare: tribus domi filijs Adramelecho,
araſſare, & Aſſar Adone pro regni cuſtodia relictis : Qui (ut credi licet) inter ſe de
imatu diſceptantes, ac quaſi civile bellum domi ſuæ excitantes, viro induſtrio ME-
ODACHO Baladanis filio, qui tum Babylonis præfecturam obtinebat, occaſionem
aud negligendam dederunt, vt de inuadendo Aſſyriorum imperio cogitaret. Itaq; pe-
etentim,quod aiunt, Babyloniorum animos ſibi conciliare,tum ad bellum neceſſaria
iquidem vt tum apparebat,res aliter geri non poſſet) præparare aggreditur. At Baby-
nij aliqui diutinæ ſeruitutis pertæſi,ac honorum & imperij auidi, facile in ſententiam
ius tranſierunt.Sed hæc omnia,vt conijcio,quaſi in angulo,donec maxima illa & me-
orabilis Sennaheribo clades in Iudæa eſt illata.Cuius nuncium non tantùm, ut cre-
bile eſt,Aſſyriorum animos valdè deiecit, verùm multo vehementiores, ad peragen-
um Regni negocium,Merodacho ſpiritus excitauit: Ita vt nulla interpoſita mora, pa-
m ab Aſſyriorum Imperio deſciſcens, hoſtem ſe eorum profiteretur. (Eouſq; enim
abylonios à victo Sardanapalo Aſſyrijs paruiſſe, non eſt dubium.) Et cùm audiret,
irabilem cladem Sennaheribo inflictam, Deumq; Cœlorum Ezechiæ regis curam
gere,qui eum non ſolùm ab immaniſsimo hoſte, verum etiam à morbo periculoſiſsi-
o eripuerit (fama enim hæc omnia in Babylonē pertulerat, vt ex Scriptura patet) in-
ictus eſt Merodach, vt cum hoc rege, qui Dijs maximè charus eſſet, quiq; commu-
em ſecum haberet hoſtem, amicitiam fœduſq; iungeret: Non tàm vt contra Aſſyrios
lli haberet ſocium, quā vt regnum ſuum recens natum,ab hac parte quaſi tutum red-
ret.Non enim ſperandum videbatur,vt Ezechias,cui Dij ſeſe tā perſpicuis teſtimonijs
xiliatores eſſe proderent,tantum ab Aſſyrijs acceptum damnum,inultum dimitteret,
æſertim ſi Aſſyrios domeſticis bellis,ac inteſtina diſcordia implicitos eſſe reſciſceret.
iſit igitur cum muneribus ad Ezechiam legatos qui humaniter amiceq; ab hoc
cepti, ac multis magniſq; beneficijs ornati, iterum dimiſsi ſunt. Sicut in Sacris
betur. Interea dum hæc fiunt, Senaherib tum ob acceptam in Iudæa cladem,
tum ob

Anni Mundi.

tum ob defectionem Babylonis, ſuis exoſus, à filijs in templo interimitur. Autore cædis in Armeniam, metu Aſſar Adonis fratris (natu forte maioris, quamuis Io ſephus aliter ſentiat) qui abſente patre procul dubio regnum præ cæteris admini ſtrarat, profugiunt. Inde accitis vndiq; auxilijs, regnum à fratre paternum exto quere tentarunt. Non enim credibile eſt, vt ſunt hominum animi ad alijs imperandu proni, quòd omni abiecta ſpe, nunquam fortuam ſuam, de recuperando regno tenta fuerint auſi. Hôc verò fratrum diſcordia, regno Merodachi maximũ incremẽtum ded Is enim ſuo cum imperio tutus, adiacentes vndiq; regiones, vel quòd ſponte iugum i ſius ſuſceperunt, vel vi atq; armis ſubactas, in ſuas partes pertraxit, donec tandem a tero ac decimo ſuæ defectionis anno, qui erat Aſſar Adonis decimus, totum Aſſyri rum, deleto Aſſor Adone, Imperium ſuam in poteſtatem redegit. Hinc Ptolemæ regnum Mardocempadi, qui nobis Merodach eſt, vt tempora conuincunt, inchoa cùm à ſecundo huius Mardocempadi anno, vſq; ad 19. Adriani Rom: Imperatori numerat annos 854. lib. 4. cap. 7. μεγ. συντάξ. Sicut in Chronologia quoq; annota mus. Hinc quoq; regnum Babylonis apud Ieremiam Merodach vocatur, cùm ait ca 50. Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, &c.

Ex hac itaq; (vt ad propoſitum reuertamur) probali opinione, iterùm ma feſtus fit, quò ad temporum ſeriem (ea enim collocari aliter non poteſt, ni de no temporum confuſionem parere velis) Metaſthenis error, cùm duodecim annos los, quibus Merodach ante ſubactam Aſſyriorum potentiam, in Babylone regn uit, ipſi poſt regnum Aſſar Adonis annumerat. Quibus ſi annos illos octo, qui in ter pore Salmanaſſaris & Sennaheribi abundant, addideris, invenies annos viginti, qu annis nos Metaſthenis traditionem in his regibus, à Sacra ſcriptura & Ptolemæo d ſidere, ſuprà demonſtrauimus.

Atq; hi mihi præcipui in hoc regno Babylonico Metaſthenis errores viſi ſun Qui in hunc modum patefacti, non ſolùm ex ea parte, qua de Babilonijs agit, Hiſt riam eius infringunt, verùm etiam totam illam regum Medorum ſeriem, totidem a nis, quot Babyloniorum, abundare, quauis luce clarius oſtendunt. Nam ſi tot anni diviſa ſub Arſace Monarchia, vſq; ad reunitam Monarchiam ſub Cyro in media, qu annis ex parte Babylonis, regnatum eſt: neceſſariò ſequitur, vt ſi in vno pauciores a ni, quàm autor referat, certa ratione inueniantur, etiam in altero, totidem annis m nus ſit imperatum. Cæterùm ne in immenſum exreſcat oratio, contractis velis, mea de Medorum regibus ſententiam paucis hîc obiter dicam. Duæ ſunt traditiones Medorum regibus: vna eſt Metaſthenis, quam & Diodorus Siculus lib. 3. ex Chte Gnidio citat, ea tanquam ex Suſiana Perſarum hiſtoria deſumpta celebratur. Alte eſt Euſebij, quam partim ex Herodoto, partim ex alijs, qui ad nos non peruenêre, auto bus, in ſuam Chronologiam aſſcripſit. Quòd autẽ relicta Metaſthenis ac Chteſiæ t ditione, Euſebium ac Herodotum in Medorum regibus ſequutus ſum, hanc accipe cau Quarto Reg. cap. 17. maniſeſtè dicitur, quòd Salmanaſſar non tantùm Babylonijs Aſſyrijs, verùm etiam ipſius Mediæ regionib. imperauit. Tranſtulit enim Iſraelitas poſuit eos in civitates Medorum, quod vtiq; ab eo non eſſet factum, neq; à Medis quo animo acceptum, ſi non ad imperium eius pertinuiſſent. Sed Metaſthenes Med rum regnum à deſtructa Sardanapali Monarchia, vsq; ad cyrum Perſam, ſemper pr prijs regibus eſſe adminiſtratum affirmat. Quod cùm aduerſus ſcriptura eſſe vic retur: neq; etiam tempora cum alijs conuenirent, conſultò eam traditionem negle mus. Ad hæc videbatur nobis Euſebiana traditio, atq; Herodoti, multò verius cu

ſcriptu

ſcriptura & temporibus concordare. Tradunt enim vtriq;, á deiecto Sardanapalo, nullos fuiſſe reges apud Medos, ſed ducum tantùm imperio obediſſe, vſq; ad DEIOCEM, qui multis annis poſt Salmanaſſarem fuit, quintóq; ab Arſace regnauit loco, ac primus regia dignitate cum nomine vti cœpit. Atq; hoc propter vicinum fortaſſe Merodachum, qui poſt ſubactos Aſſyrios Medorum quoq; regnum affectauit, quod modó poſt deletos Aſſyrios iterùm ſe in libertatem vendicauerat, &c. Etſi verò hæc ratio non de Suſiana hiſtoria, vt altera gloriatur, tamen ob id non abijcienda erit. Hoc enim nunquam dixeris, quòd eam aut Herodotus, aut etiam Euſebius, non ex certiſs: ſui ſeculi autoribus deſumpſerit. Et cúm Herodotum, multis ante Metaſthenem annis, vt cúm Perſarum Monarchia adhuc eſſet in flore, Hiſtoriam ſcripſiſſe conſtet: quare non maior ei fides adhibenda eſſet, quàm Metaſtheni? qui annis centum & ſeptuaginta poſterior fuit, ac tum demum ſcripſit, cúm totum Perſarum imperium ab Alexandri ſuceſſoribus multis iam annis miſerrimè eſſet dilaceratum. Verúm obijcitur mihi Chteſias, quia & is adhuc integra Perſarum potentia, ſuam de Medis traditionem in Græciam aduexit. His breuiter hæc reſpondeo. Si vel Chteſias, vel Metaſthenes, vel alius quiſpiam de Medorum imperio ſcribens, eam adhibuiſſet diligentiam, quam profectò oportuiſſet, vt ſingula eo ordine retuliſſent ex Beroſo, quo eundem Beroſum, in ijs qui extant libris, vſum eſſe cernimus, ut annos Regum inuicem, ſicuti in libris Regum quoq; fieri ſolet, contuliſſent: non eſſet quod vel de Chteſia, vel de Metaſthene quæreremus. Verúm quia hæc diligentia in eis deſideratur, ſequimur eum, quem interim pro certiſſimo habemus. Sed ſequatur quiſq; hoc in regno, quem voluerit, per me quidem licebit, modò in annis mundi, qui certiſsima ſerie ſunt ordinati, nullam confuſionem (vt ſic dicam) inuehat. Atq; hæc ad tertiam obiectionem, de tempore Nabonaſſaris, reſpondiſſe ſatis eſt. Ac licet adhuc plura, quæ mendis non carent, in Metaſthene reſtent: tamen cúm ea ſuis fortaſſe locis explicari poſsint, atq; nos ſatis propoſitum noſtrum, contra obiectiones illas, confirmatum eſſe exiſtimemus, ad reliqua nunc, quæ aut explicatione, aut defenſione opus habent, accingamur.

Porró & hoc non ommittendum eſt, quin pius lector de eo commonefiat, quòd in priori æditione, ſcripto emiſimus, totam Cœli machinā in contrarium actam eſſe à Deo in ſanitatis decumbenti Ezechiæ ſignum. Quod quidem eo tempore valdè & plauſibiliter amplificaui. Putabam enim id eſſe neſcio quo oraculo certius. Sed cúm poſt aliquot annos, cúm alius idē mecum ſentiret, & ea de re, in Schola Regiomontana, publicè diſputaturus eſſet, á Clariſsimo viro Domino Andrea Oſiandro admonitus eſſem, vidi in Sacris literis me hunc locum non diligenter inſpexiſſe, neq;, vt dignus erat, ſatis examinaſſe. Textus enim manifeſtè loquitur de Vmbra in horologio Achas 4. Reg. 20. Ieſ. 38. & non de Sole in Cœlo. Ideo ſi quis ſententiam illam antea eſt ſecutus, eum admonitum velim, vt ab ea ad ſaniorem Sacræ ſcripturæ intellectum diſcedat.

Extat Prophetia quædam de diſsipatione populi Ephraim Ieſaiæ ſeptimo, Cùm Reges Iſrael & Syriæ contra Ieruſalem bellum moverent, & Achas Rex Iuda trepidabundus neſciret, quó ſe verteret: Ieſaias á Domino mittitur, vt eum confortet: Tūc inter cætera dicit Propheta: Et adhuc ſexaginta quinq; anni, frāgetur Ephrahim, ne ſit populus. Hîc omnes ferè ſcriptores de initio & fine huius temporis incerti ſunt. Et maxima pars eorum, quos ego legi, putant, hos annos non eo tempore demum cœpiſſe, quo Prophetia hæc facta eſt: ſed multis annis antè, ſcilicet cùm Amos Propheta ſuam 3270.

Anni Mundi

Anni Mundi.

ta ſuam Prophetiam de Samariæ deſtructione protulerit: Quam factã aſſerunt anno 23. Oziæ regis Iudæ: ex eo namq; tempore computant annos 65. ad deſtructionem Regni Samariæ. Horum ſententiam hactenus & ego ſecutus ſum. Sed cùm diligentius verba prophetiæ inſpicere, & conſiderare, quid à Propheta diceretur: Vidi, quòd hæc minimè, quæ ab ijs dicuntur de prophetia Amos, cum verbis Prophetæ convenirent. Dicit enim Ieſaias expreſsis verbis: Et ADHVC anni ſexaginta quinq; : quæ locutio, meo quidem iudicio, non admittit, vt antea quàm hæc prophetia facta ſit, horum annorum initium ſtatuatur. Sed dicunt: Samariæ regnum non tam diu durauit, ex eo tempore, quo hæc prophetia facta eſt. Decimo enim & octauo anno pòſt, à Salmanaſſare deſtructum eſt. Fateor. Sed hoc quæro, an Ieſaias de deſtructione Samariæ, aut an aliud quippiam dicat? Certiſsimum eſt, quòd ſimpliciter dicit de Ephraim, quòd his decurſis annis, non amplius debeat eſſe populus, id eſt (vt ego intelligo) ſi tot anni tranſierint populus Ephraim, qui tunc adhuc populi nomen habebit, (quod etiam in captiuitate conſtitutus, habere potuit) omninò diſpergetur, ita vt nullam inter ſe congregationem aut communionem habere poſsint, ſicuti ij habent, qui vnus ſunt populus. Nam poſtquam in Medos translati ſunt, habitarunt in ciuitatibus Medorum, vt ſcriptum eſt 4. Reg. 17. Sed cùm Deioces, qui primus Regia dignitate apud Medos vſus eſt, potens fieret, & ab Aſſyriorum iugo Medi liberati (Merodach enim eorum potentiam ad Chaldæos transtulerat) facili de cauſa fieri potuit, vt Ephraitæ, inter Medos habitantes inde expellerentur, & porrò diſpergerentur, ne eſſent populus. Nam de hoc non dubium eſt, quin ſuos ritus & Ceremonias pertinaciſsimè obſeruarint, vbicunq; congregati fuerunt. Quibus, cùm earum gentium quibus cohabitabant, obſervationes quaſi condemnarent, tanquã vanas, eaſq; vt fieri ſolet, irriderent, facilimè ſibi earum odium acquiſiuerunt. Huc acceſsit, quòd ab Aſsyriorum Rege, cuius familia & nepotes tunc regno pulſi erant, eò eſſent collocati: vnde ſtatim ſuſpicio exoriri potuit, quòd maiore eos, à quibus conſeruati, fauore proſequuturi eſſent, ſi quã poſſent quàm hos, quos nunc vt peregrinos dominos, metuere debebant, Quos ſæpius etiã, ſub Aſsyriorum tutela, ſuis Ceremonijs &c. irritaſſent. Hinc, ne fortè collecti, ſeſe opponerent Medis, & accerſitis Regni hæredibus, tum in exilio conſtitutis, aut ipſis, qui cùm potentia eò tempore pollebant, Babylonijs, eiſq; regnum traderent: præſertim cùm apud hos quoq; magnus Iſraelitarum numerus eſſet, in vlteriores regiones, ad Septentrionẽ vt conijcio, expulſi ſunt, Quò omnis eis redeundi facultas abſcinderetur ad ſuos. Atq; hinc eſt, quòd Reverendus Dominus Andreas Oſiander putat, populos illos, qui Lithuaniam & Boruſsiã aliquando habitarunt, quorum adhuc mediocris multitudo eſt in Boruſsia, ortum ſuum habuiſſe. Cuius coniecturæ haud infirma argumenta ſunt, tàm lingua, quàm veteres eorum Ceremoniæ & Religio quarum adhuc ſtrenui cultores ſunt, ij, qui Sudaui Pruteni dicuntur, de quibus ſuo loco plura, cùm ad Ordinis Teutonici in Boruſsia principatum peruenerimus: nunc ea, quæ ad rem ſunt, proſequemur.

3321. Hoc anno, cùm lex Dei in templo Hieroſymis reperta eſt, incipiunt anni illi triginta, à quibus Ezechiel ſuam prophetiam orditur. Item anni 40. peccati domus Iuda, vſq; ad extremam terræ vaſtationem, &c. Ezech. 4. de quibus copioſius anno Mundi 3361.

Quæſtio de hoc anno oritur, ex initio libri Danielis. Dicit enim Propheta: Anno
3345. tertio regni Ioakim regis Iudæ, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, in Hieruſalem &c. Contra 2. Par. 36. Item 4. Reg. cap. 24. ab initio habetur, quomodo Nabuchodo-

noſo

Anni Mundi.

noſor aſcenderit contra Ioakim,eumq́; tribus annis tributariũ fecerit. Hoc fuit anno octauo(Ioſeph.lib. 10. cap.8.)regni Ioakim. Tertio verò pòſt, qui fuit regni eius annus vndecimus à rege Babylonis defecit, quoniam ſpe: quædam libertatis affulgebat, cùm rex Ægypti Nechao contra Babylonios bellum repararet. Hoc itaq; tertio anno ſeruitutis Ioakim (Sic intellige Danielem) miſit Nabuchodonoſor exercitũ in Hieruſalem,ac regem captum,duabus vinctum cathenis,vt Babylonẽ duceretur, fortè cum alijs nobilibus Hieroſolymitanis interfectum in agrum abiecit,qui ſine ſepultura manens,eſca ferarum volucrumq́; cœleſtium factus eſt,vt Ieremias cap. 22. prædixerat,Aſini,dicens de Ioakim, ſepultura ſepelietur,&c.Item cap. 36. Cadauer eius projicietur ad æſtum per diem,& ad gelu per noctem.

Ab hoc loco nihil eſt in regnoChaldæorum,quod prolixiorem explicationẽ deſideraret,præter id,quòd Monarchiã Nabuchodonoſoris multò ſerius incipimus,quã quidam ante noſtram ætatẽ fecerunt. Sed ne in hoc quoq; loco meã, qua id fecerim rationem ignores: Scias me Ioſephum eſſe ſequutum,qui lib. 10. cap.12. ait: Anno ſecundo Ægyptiacæ vaſtationis(quam anno 5. captiuitatis factam aſſerit cap.11.)vidit rex Nabuchodonoſor ſomniũ valdè mirabile &c.Huic quoq; accedit,quòd ante hæc tempora Nabuchodonoſor nullã habuit pacem,neq; aureum caput meritò dici poterat,cum de imperio quaſi incertus,tot adhuc vndique haberet hoſtes, Ægyptum, & Ammonitas,& Moabitas,& vt hiſtoriæ docent,potentiſsimum Medorum regem Cyaxarem,&c. Verum,quia hoc negotium nullam in annis mundi ambiguitatem parit, ſtatuat de eo quod cuique viſum fuerit. Ego quidem certiorem,quod iam ſciam,nullam de hac re ſententiam legi,præter hanc, quam ſequutus ſum &c.

DE CAPTIVITATE HIERVSALEM.

Anno nono, menſe decimo,decima die menſis,regni Sedechiæ venit Nabuchodonoſor rex Babylonis,ipſe & omnis exercitus eius,aduerſus Hieruſalem, & obſederunt eam,& extruxerunt contra eam munitiones in circuitu 4.Reg.35.Iere.39. & 52 3354.

Anno vndecimo Sedechiæ,qui fuit decimus octauus regni Nabuchodonoſoris, CAPTA eſt Hieruſalem, menſe quarto nona die menſis. In menſe autem quinto, decima die menſis ipſe eſt decimus nonus (ſcilicet inchoans) Nabuchodonoſoris annus venit NABVZARDAN princeps militiæ, & incendit domum Domini,& domum regis, & omnes domus Hieruſalem igne combuſsit. Ierem. 52. Atque hinc cœpit deſolatio ſeptuaginta annorum. Cæterum hîc obiter notandum. Quod annus Sedechiæ vndecimus tantùm ad quartum menſem completus eſt, dubium Lectorem reddere poſſet,quanam ratione nos eum pro integro ac completo in Chronologia computauerimus. Scias itaq; Ioachaz regem Iuda, quem populus poſt mortem Ioſiæ regem conſtituerat, regnaſſe tres menſes,& poſtea in Ægyptum à Nachaone abductum. Cum ei ſubrogaſſet Eliakim, quem & Ioakim vocauit. Poſt hunc Ioakim regnauit Iechonia itidem menſes tres. Hi ſex menſes in computationem annorum non venerunt. Sed hi vndecimo anno Sedechiæ, cùm is non ſit completus, adduntur illis menſibus,& diebus ſuperfluis, vt ſic annus ferè expleatur. 3356.

Deſolatio Hieroſolymæ facta eſt poſt	Diluuium	anno	1700	Olympiade 43. anno primo.
	Vocationem Abrahæ		1333	
	Exitum de Ægypto		903	
	Mortem Dauid		426	
	Templum Salomonis		423	
	Romam conditam		145	

fecerunt ſibi lucos, vt irritarent Dominum. Et Dominus tradet Iſraelem PROPTER PECCATA IEROBOAM, qui peccauit & peccare fecit Iſraelem. Ex his verbis luce clarius eſt, iniquitatem Iſraelis, ob quam eiecti ſunt, ab eo tempore cœpiſſe, quo Vituli aurei erecti, & excelſa à Ieroboam in diuinum cultum ſunt ædificata. Quod quidem factum eſt, primùm ac Ieroboam Iſraelis Imperium accepit. Quia verò iniquitas hæc à Ieroboam cœpta, non amplius 390. annis durare debebat, Sicuti Ezechieli Deus tempus definiuit: Hæc verò vſque ad id tempus, quo omnes reliquiæ Iſraelis admixtæ Iudæis, (Nam eouſq; ſemper aliqui ex Iſraele præcedentes clades effugerant, & cum Iudæis habitauerant) abductæ ſunt à Nabuzardano, à populo ſit & exercita atque defenſa: Neceſſe eſt, vt ab initio illius idolatriæ ſeu iniquitatis, ab initio regni Ieroboam filij Nebat, vſq; ad 23. annum Nabuchodonoſoris, nec plures, nec pauciores elapſi ſint anni, quàm trecenti nonaginta. Quos ſecundum calculum noſtrum totidem inuenies, vt ipſa Chronologia docere poteſt. Quare primum Ezechielis annorum numerum, cum noſtra computatione conuenire, manifeſtum eſt.

Reſtant nunc quadraginta anni peccati domus Iudæ, quos vt ſimili ratione inueſtigemus, neceſſe eſt. Sunt enim de his quoq; multæ & diuerſæ opiniones, quas tamen breuitatis gratia hîc omittimus. Secundo Paral. 34. legitur, Quomodo Ioſias rex Iudæ anno 18. regni ſui templum Domini purgari mandauit, in quo fortè liber Legis, qui multis iam annis abiectus delituerat, eſt repertus. Ac cùm regi recitata eſſent, quæ continebantur in libro, comminationibus eius perterritus eſt valdè. Cognoſcebat enim grauem à Deo pœnam reliquijs Iſraelis & Iudæ, ob transgreſsionem Legum diuinarum imminere. Miſit ergo ſcribas ſuos ad prophetiſſam nomine Oldam, quæ habitabat Hieroſolymis, quærens ex ea, quidnam faciendum eſſet, quò ira Dei mitigaretur? Quæ in hanc ſententiam reſpondit Regi: Hæc dicit Dominus Deus Iſraelis, Dicite viro, qui miſit vos ad me, Hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, cunctaq; maledicta, quæ ſcripta ſunt in libro hoc, quem legerunt coram Rege Iudæ. Quia dereliquerunt me, & ſacrificauerunt Dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocarēt, in cunctis operibus manuum ſuarum. Idcirco ſtillabit furor meus ſuper locum iſtum, & non extinguetur. Quibus verbis ineuitabile fatum, quod populo Iudaico & admixtis ei Iſraelitis imminebat, reuelatum eſt: Videlicet, ne quid ſperarent aliud, quàm excidium, captiuitates, & omnis generis miſerias, &c. Ex hoc itaq; tempore, quo cognouerunt Iudæi & Iſraelitæ, quantis peccatis Deum ad vltionem prouocauerant, initium ſumit tempus illud quadraginta annorum peccati domus Iudæ. Nam etſi peccatum eis notum eſſet, tamen ab eo non deſtiterunt: ſed pertinaciter excelſorum Idola in diuino cultu habere perrexerunt, donec tandem finito tempore conſtituto, à Nabuzardano ad vnum de terra cum idolatria ſua ſunt exterminati.

Obijciat autem quiſpiam: Quare hi anni quadraginta à tempore prophetiæ per Oldam editæ incipiendi ſunt? Illi verò domus Iſraelis, ab initio regni Ieroboam? Quare & hi non ab edita per Ahiam prophetia inchoantur? Reſpondeo, In cauſa eſſe, quòd hîc determinatum tempus in Scripturis habeatur, ſcilicet decimus octauus annus Ioſiæ. Illic verò nullius omninò certi temporis prophetiæ mentionem fieri, ſed tantũmodo Ahiam ad originem peccati Ieroboam reſpicere, Quare & iuſta ratione illinc annos iniquitatis Iſraelis deducimus. Nam ſi ab alio tempore, vtpote quo Ahia Iſraeli excidium prædixit, inchoandi eſſent anni illi, Scriptura tempus illud, quo prophetia eſt data, ſilentio non præterijſſet, &c. Cæterùm quòd anni peccati domꝰ Iudæ,

à decimo

à decimo octauo anno Ioſiæ ſint incipiendi, ipſe quoq; Ezechiel ab initio libri ſui teſtatur, cùm dicit: Et factum eſt in triceſimo anno, & ipſe eſt annus quintus transmigrationis regis Ioachim, &c. Hinc enim ſi retrò numeraueris ad 18. Ioſiæ, inuenies annos 30. Nam quòd Propheta non de ſuæ ætatis annis dicat, apud pleroſq; ferè Eccleſiæ doctores in confeſſo eſt, Sitq; ſenſus illius dicti, Anno 30. ex quo ſignificatum eſt populo Iudæ & reliquijs Iſraëlis, quòd terra eorum omninò eſſet deſolanda &c. Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem, &c. Lyra de hoc loco copioſius diſputat, quem conſulere poteſt lector.

Anni Mundi.

Porrò & hoc annotandum eſt, quòd per hos quoq; dies indicatum eſt tempus grauiſsimæ obſidionis Hieruſalem. Nam omnes illi dies, quibus Ezechiel vrbem in latere inciſam, obſidere iuſſus eſt, coniuncti, faciunt dies 430. hoc eſt, annum vnum, menſes duos, dieſq; ſex. Tanto namq; tempore fuit obſeſſa Hieruſalem grauiori obſidione. Nam alijs tribus menſibus diebuſq; 27. qui hoc obſidionis tempus accedunt, proficiſcebantur Chaldæi contra Ægyptios, qui dicebantur venire in Auxilium Iudæorum. Vide Hierem. cap. 34. 52. & 4. Reg. 25.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER SECVNDVS.

Argumentum.

SECVNDVS LIBER PERSARVM REGNVM, TEMPORumque ſub eo elapſorum, concordantiam continet, quibus liberatio populi Iudaici ex Babylone, & alia quædam ſcitu neceſſaria, cùm clariſsima ſeptuaginta Hebdomadum explicatione, ſunt inſerta.

ANNO quinquageſimo captiuitatis Iudæorũ, is erat annus triceſimus quintus imperij Aſtyagis Medorum regis, vt tandem, quod Deus per Ieſaiam prædixerat, de futura Perſarum potentia, compleretur, excitatus eſt Cyrus filius Cambyſis Præfecti Perſarum, & Aſtyagis ex filia nepos: Et compellente per literas HARPACO, cui Aſtyages obſeruatum Cyrum, proprium olim filium epulandum propoſuerat, aduerſus auum ſuum Aſtyagem, correptis armis, ingentiq; cum Perſarum manu inſtructus, in Medorum regionem hoſtiliter irrupit, cui cum exercitu obuiam factus Aſtyages, commiſſo prælio Cyrus victoriam obtinuit, auumq; captum, regnoq; exutum, priuatum viuere coëgit. Ac cùm ipſe victoria hac, totius Mediæ Perſidisq; regionis Rex dici meruiſſet, multorum magnorumq; populorum ac Regum inuidiam (Nondum enim cognitæ erant virtutes eius) in ſe contraxit. Quibus cum totis ferè viginti annis, bella, nulla interpoſita quiete, geſsit, donec vnum poſt alterum, partim quòd bello vincerentur, partim quòd vltrò imperata facerẽt, ſuæ poteſtati ſubiecit, totiuſq; Aſiæ ab Indis vſque ad Ægyptum, potitus, eſt ſolis Scytarum populis exceptis, qui à Perſis ſubigi nunquam potuerunt. Regnauit autem in Media CYAXARES (quem Xenophon filium Aſtyagis fuiſſe ait, Daniel verò Prophetes DARIVM MEDVM vocat) viginti annis cum Cyro, antequàm is Babylonem vrbem caperet: quem quoq; Cyrus tanquam parentem quoad vixit honorauit, Regiamq; ei poteſtatem vltrò attribuit, ac filiam eius matrimonio iunctam habuit. De qua re plura inuenies apud Xenophontem Pædias Cyri libro 8. quòd hîc eò tantum admonui, vt videres, quî hiſtoriæ prophanæ cum Danielis cap. 6. in hac parte conuenirent.

3406. Ieſa. 54. ego ante ... ibo (di. ... omni. mus) & ... ſos ... ba... ... abo.

Porrò

Anni Mundi.

Porrò Cyrus cùm plurimas Medis Perſisq́; adiacentes regiones, imperio ſuo au-dientes effeciſſet, bellumq́; aduerſus regem Babylonis, qui potentiſsimus omnium regum tum ex hoſtibus Cyri ſupererat, pararet: Nouus ei de improuiſo hoſtis exor-
3416. tus eſt. CROESVS enim Lydorum rex, cuius infinitæ fermè diuitiæ fuiſſe feruntur, vel quòd Aſtyagis caſum, cui cognatione iunctus erat, vlciſci vellet, vel quòd Babyloniorum regi auxilio venire cuperet (vtrunque enim traditur) vndiq; contractis copijs, bellum Cyro grauiſs. inferre conabatur. Cui[illegible] de aduentu cùm certior factus eſſet Cyrus, ipſe quoq; vt res poſtulabat, armis mili[illegible]bus rebusq́; cæteris ad tantum bellum neceſſarijs, exercitum inſtruxit. Quibus om[illegible]us, vt par erat, paratis, cum copijs in Cappadociam, ad Pteriam vrbem, circa quam expugnatam Crœſus ſtatiua habebat, multis itineribus pergit, ac caſtris loco oportuno, è regione hoſtilium caſtrorum locatis, crebris excurſionibus pro ſe vtrinque alius alterum laceſſere, donec tandem acri cōmiſſo prælio, multis vtrinq; cadentibus, in neutram partē inclinante victoria, noctis interuentu diremti ſunt. Altero poſt hanc pugnam die, Crœſus, aut quòd ſic in fatis erat, aut quòd non arbitrabatur Cyrum, qui & in eo conflictu ex ſuis quàm plurimos amiſerat, cum exercitu ad loca Lydorum munitiſsima ſequuturum eſſe: dimiſſo exercitu ſuo ad Sardium vrbem, in qua Regia Lydorum erat, regreſſus eſt, maioribus inde viribus altera æſtate Cyrum aggreſſurus. Præceperat enim iam omnibus ſuis copijs, atq; confœderatis ſcripſerat, vt ad quintum ex eo die menſem, Sardibus armis inſtructi præſtò eſſent. At Cyrus oblatam tam oportunè occaſionem minimè negligendam ratus, Crœſum præter omnium opinionem cum exercitu ſequutus eſt, ac compulſis intra vrbem hoſtibus qui obuiam ei facti erant, Sardes in circuitu obſidione cinxit, ipſamq́; decimoquarto die pòſt vi expugnatam, vnà cum theſauris maximis, quos Lydi multis iam annis conuexerant, ſuam in poteſtatē ſubegit. Crœſum verò captum tàm ob prudentiam, qua erat præditus, quàm ob fortunam eius admirabilem, per omnem vitam ſuam ſummos inter amicos habuit.

Portas arcas conteram vel vectes ferreos confringam, Et dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum.

2424.

Cyrus Lydorum regno ſubacto, ſex ferè annos in reliquis Aſiæ prouincijs occupandis ordinandisq́; conſumpſit. Septimo deinde anno, qui fuit ſexageſimus octauus captiuitatis Iudæorum, bellum quòd longo tempore animo agitauerat, contra Babylonem promouere cœpit. Ac cùm ad GYNDEM amnem, qui Mantienis ortus montibus, per Dardaneos in Tygrim alterum amnem fluit, peruentum eſſet, totam
3425. in deducendo flumine æſtatem, vt meabilem redderet eum, tranſegit. In ſequenti ex hoc anno ad Babyloniam feſtinanter exercitum duxit, quæ cùm viribus nullis expugnari poſſe appareret (omnibus enim ad reſiſtendum hoſtibus neceſſarijs inſtructiſsima erat, ita quoq; , vt obſeſsi earum rerum fiducia freti, magnis etiam conuicijs obſidentes laceſſerent, ac conatus eorum irriderent) à Cyro hoc modo capta eſt. Euphrates fluuius maximus mediam ſcindebat vrbem, quem Cyrus eadem arte, qua Gyndem ſuperiori anno, deducere ſuis copijs præcepit. Eo quo minus ipſum hoc machinari Babylonij intelligerent, omnes foſſas, ab ea parte, qua ad Euphratē tendebant, obſtructas terra reliquit, donec omnibus ex ſententia paratis, Babylonij diem feſtum ex conſuetudine celebrarēt, in quo plerią; aut vino dediti, aut ludis choreisq́; intenti, cuſtodiam murorum neglexerunt. Tum Cyrus oblata tanta oportunitate, foſſas hinc inde ad excipiendam vim fluminis præparatas, celeriter aperiri iuſsit, & ſic diminuto fluuio, exercitum per Euphratem mediam in vrbē introduxit. Ex Babylonijs pauci qui reſiſtere auſi, à Cyri militibus interfecti ſunt: cæteri in ædibus diē expectare iuſsi, dum nihil minus ſperarent, ab hoſte ſunt capti. Rex quoq; Babylonius in

arce

arce, quæ ob tumultum in vrbe excitatum temerè aperiebatur, á Cyri ducibus Gobria ANNI Mundi
Gadataq;, qui ad hoc præmiſsi erant, cum omnibus ſui corporis cuſtodibus trucidatus eſt, vt quæ Daniel ea nocte futura eſſe prædixerat, cōplerentur. Atq; in hunc modum Cyrus omnem Babyloniorum potentiam deleuit, & ad Perſas tranſtulit. Ab hoc ergo tempore numerat ſcriptura ſacra annos regni Cyri & Darij Medi &c.

Anno igitur primo Monarchiæ Cyri, cui concurrebat ſeptuageſimus annus ca- 3426.
ptiuitatis Iudæorum, vt perficeretur, quod Deus per Prophetas ſuos prædixerat, conceſsit Cyrus, edictoq; publico præcepit, vt quicunq; eſſent ex Iudæis, qui vellent in terram ſuam, de qua traducti erant à regibus Aſſyriorum & Babylonis, redire, ibiq; ſedes ſuas firmare, id facere eis liberum eſſet. At hæc quoque poteſtatem fecit eis, vt Templum Domini Dei cœli, quod deſtructum erat Hieroſolymis, iterum ex fundamento ad ſummum reædificarent. Et quicunq; ad hanc templi, extructionem ſumptus eſſent neceſſarij, ex Camera regis ſuppeditarentur. Quo edicto regis publicato, ad quinquaginta millia hominum ex Iudæis conuenerunt, qui omnes Barachia (cui poſtea ex ea re Zorobabeli nomen fuit) & Ieſu ſacerdote ducibus, felici auſpicio in terram patribus eorum promiſſam reducti ſunt.

QVOMODO ZOROBABEL DVX IVDÆORVM EFFECTVS SIT.

Operæprecium eſſe videtur, ſi paucis hoc loco referam, quid de Zorobabelis hiſtoria, & quo ea ſit tempore facta, ſentiam De ea autem dico hiſtoria, quæ 3. lib. Eſdr. cap. 3. &c. legitur. Video enim pleroſq;, atq; etiam doctiſsimos viros, eo in loco hæſitare, neq; quicquam, quod certò affirment, habere, atque ipſum quoque Ioſephum Iudæorum hiſtoricum, qui has res obſcuras diluere debebat, hoc in loco nemini doctorum ſatisfacere. Etſi verò id non eſt propoſiti mei, quenquam hîc erroris inſimulare: Non enim tantam mihi arrogo autoritatem ac ſcientiam, vt doctiſsimorum quorumq; virorum ſcripta condemnare ſim auſus, habent enim & ij ſuam laudem: tamen quaſi diuinans (quod vtiq; mihi conceſſum erit) meam ea de re ſententiam ſimplciter aperiam, quæ ſi doctis ſatisfecer t, benè ſi verò quibusdam, qui nil quàm quod ex eorum capite natum eſt, probant, diſplicuerit, non commouebor. Nam cuilibet per me liberum erit, ſequi quodcunque ſuum ſibi palatum optimum ſapuerit. Scribit ergo autor iſtius libri, qui tertius Eſdræ inſcribitur (quiſcunque tandem fuerit: perantiquum enim eſſe conſtat, quia Ioſephus hanc, de qua nunc agimus, hiſtoriam, in ſuos antiquitatum libros, ad verbum ferè ex eo tranſtulit) quòd Darius omnibus ſuis aulicis & principibus, &c. conuiuium magnum fecit, quo finito, alij duo iuuenes cum Zorobabele, qui regi à cuſtodia erant, dicta ſua Regi dijudicanda propoſuerunt. Et cùm Zorobabel Mulieres & Veritatem fortiſsima eſſe comprobaſſet, obtinuiſſe à rege, vt Dux Iudæorum factus, eos, qui volebant, in terram Iudæorum reduceret. De hoc Dario nunc quæſtio eſt, quiſnam is fuerit? Nam ſi de eo certi fuerimus, & de hiſtoria, & de tempore nullum erit dubium. Maior pars doctorum in ea ſententia eſt, fuiſſe hunc Darium illum, qui Hyſtaſpis filius, & hinnitu equi, poſt occiſos Magos, Rex creatus eſt. Sed huic manifeſtè repugnat hæc ipſa hiſtoriæ ſeries, quæ cum in hoc libro, tum in primo Eſdræ 1. & 2. traditur. Nam vtrinque dicitur, quód Zorobabel cum Ieſu Sacerdote, redeuntes primò, quorum ad 50. millia fuerunt, reduxerit atque ſecum aſportarit vaſa, ad miniſterium Dei à Cyro congregata. Item cœpiſſe eum ædificare Templum, ſicut præceperat Cyrus. Quæ vtiq; ſtatim poſt primum annum Cyri Monarchiæ facta ſunt, &c. Quare omiſſa hac

 opinione

opinione, dicimus, Darium iſtum, à quo hanc gratiã Zorobabel iniuit, fuiſſe Darium Medum Cyaxarem, qui cumCyro multis annis regnauit, ut ſupra dictum eſt. Nam ſi hoc dederis, nihil omninó difficultatis erit in cõcilianda hiſtoria huius tertij libri, cũ primo libro Eſdræ. Ordo enim librorum optimè ſibi ac pulcherrimè conſtabit. Zorobabel etiam iuuenis, & à Philone traditur 17. annorum, ac deniq; primi gregis ex captiuitate redeuntium ſine ulla temporum &hiſtoriarum perplexitate, dux fuiſſe dici poterit. Et non erit neceſſe, vt cum quibusdam, præter omnem rationem fingas eum, cùm primos in terram Iudæorum traduxiſſet, iterum ad RegemDarium eſſe reuerſum, atq; tum factam eſſe hanc hiſtoriam. Nam id opinari, palàm eſt contra Scripturam. At quò melius ſeriem rei intelligas, eam, vt geſta eſſe videtur, narrabo breuiter. Cyrus capta Babylone, conceſsit Iudæis redire in patriam, Templumq; Domini reædificare. Atq; hoc edictum, quo hæc ſignificabantur, editum eſt anno primo Monarchiæ Cyri, vt diximus. Hoc itaq; Cyri decretum, quòd Babyloniæ factum eſt, cùm ad Darium Medum, qui Ecbatanis habitabat, perlatum eſſet, ipſe quoq; confirmauit, vouens Deo Templum Hieroſolymis ædificandum, &c. Sed cùm is annus, quo hæc agebantur, ferè elapſus eſſet, nullus adhuc Dux eis, qui Iudæam repetere volebant, à regibus Dario & Cyro conſtitutus erat. Interim Zorobabel, qui alio nomine Barachias dicitur, apud Darium in Ecbatanis vitã degit, cupiens ſine dubio, tàm ſe quàm populum ſuum à ſeruitute liberari. Ac cùm aliam occaſionem nullam habere poſſet petendi à Rege, vt Iudæi liberati cum duce aliquo, in terram ſuam remitterentur: diuinitus hæc ei oportunitas eſt oblata, vt ſua cum ſententia Victor, ita ſibi conciliaret Regis animum, vt, quodcunq; peteret, ab eo eſſet accepturus. Quare cùm petiuiſſet populi ſui libertatem, & Templi Dei reparationem, ſicuti Rex Darius ante annum vouerat, acCyrus conceſſerat, Dux ipſe eorum, qui redire in patriam deſiderabant, ſine mora factus eſt, &c. Reliqua lege in Sacris. Hoc verò factum eſt anno ſecundo regni Darij, menſe eius primo (3. Eſdr. 5.) quando iam finiti erant anni ſeptuaginta Captiuitatis; vt ſic vndiq; veritas & miſericordia Domini, erga populum ſuum confirmata nobis appareret.

3427. Poſtquàm Iudæi ex captiuitate in terram ſuam rediſſent, Templumq; Domini Hieroſolymis, anno ſecundo aduentus ſui, reædificare cœpiſſent, á vicinis populis ædificationem relinquere coacti ſunt, ita vt poſitis tantùmodó fundamentis templi vſq; ad ſecundum annum Darij Hiſtaſpis filij, opus Domini intermitteretur. Hoc negocium ab Eſdra multis verbis deſcribitur. Sed in primo libro capite quarto, id tam confuſè agere videtur, vt non inanem operam me nauare confidam, ſi & hoc loco meum iudicium pio lectori paucis aperiam. Factum eſt, inquit Eſdras, vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando, Conduxeruntq; aduerſus eos conſiliatores, vt deſtruerent conſilium eorum, omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & vſq; ad regnum Darij regis Perſarum.

II. In regno autem Aſſueri, in principio regni eius, ſcripſerunt accuſationem aduerſus habitatores Iudæ & Hieruſalem.

III. Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam, &c. ad Artaxerxem regem Perſarum, &c. Hæc verba multis magna negocia faceſſerunt, in quibus tria agit Eſdras. Primò recitat, quomodo Templi inſtauratio ſit impedita, à poſito fundamento, vſq; ad regnum Darij, quem filium Hyſtaſpis fuiſſe, nulli eſt dubium. Deinde commemorat, quòd aduerſarij, Iudæos quoq;, ab initio regni huius Darij, qui & Aſſuerus dicitur, coram eo accuſarint. Tertiò addit & illam occaſionem, quæ temporibus Artaxerxis

facta

facta eſt, qua effecerunt aduerſarij, vt templi ædificatio vi, ſecundum Regis edictum, prohiberetur. De prima igitur parte, non eſt quod ambigatur. De reliquis verò hæ quæſtiones oriuntur. Sit ne illa accuſatio, quæ coram Aſſuero facta eſt, prima nec ne? Item, Quis ſit Artaxerxes ille, qui ædificationem fieri edicto prohibuit. Nam ſi de his cõſtabit, nulla huic loco relinquetur ambiguitas. Reſpondeo ergo ſimpliciter ad primam quæſtionem, & dico, Accuſationem, quæ initio regni Aſſueri facta eſt, poſteriorem eſſe ea, quæ imperante Artaxerxe accidit. Nam quòd priori loco inducta eſt ab Eſra, non ſtatim probat, eam quoq; priorẽ eſſe tempore. Attingit enim eam tantum modò hoc capite, vt textus cohærentia (modò animum aduertas) haud ambiguè docet. Sed quia antea quoq; Iudæi, ob ædificationem Templi, falsò, tanquam reconderent vrbem, erant accuſati, abrumpit quaſi ſermonem. & id factum, quod prius acciderat, ordinè narrat, vt ſic cauſam impediti operis Domini referri poſsit. Reddita verò tam diuturnæ ceſſationis cauſa, occaſionem prius illius accuſationis, cuius ſuprà meminerat, edocet, Nẽpe, quod Prophetæ Haggai & Zacharias impulerint Seniores, vt diu intermiſſum opus alacriter aggrederentur. Ac cùm quæſitum eſſet à præfectis alienigenarum, cuius id iuſſu facerent, &c. res ad Darium Aſſuerum delata eſt: qui cognita Cyri conceſsione, non ſolùm non impediuit opus Templi, ſed magnis etiam priuilegijs, ut id honorificè perficeretur, Iudæos ornauit. Hoc itaq; diligenter animaduerſo, facile de altera quæſtione conſtabit, Quis ſcilicet ille Artaxerxes impediens opus Domini fuerit. Nam cùm ex Ptolomæi obſeruationibus, atq; ex certiſsimis Perſarum hiſtorijs, quas Herodotus diligentiſsimè & veriſsimè conſcripſit, certum ſit, quòd nullus rex alius, præter Cambyſem, inter Cyrum & Darium Aſſuerum, in Perſia regnauit (Magi enim inter Reges legitimos non ſunt numerandi) Neceſſe erit, vt is Cambyſes, ſit idem Artaxerxes. Et nihil impedit quòd quidam dicunt, non inueniri in hiſtorijs, quenquam eſſe Artaxerxem dictum ante Darium Longimanum; ideo alium hunc eſſe Artaxerxem à Cambyſe. Nam ſimiliter non inuenitur in hiſtorijs, quenquam ante Hyſtaſpis filium, Darium appellatum, qui Perſis Medisq́; imperauerit. Attamen à Daniele & ab Eſra (modò is ſit eius libri autor) 3. Eſr. 3. Darius dicitur, qui Xenophonti eſt Cyaxares. Deinde ex eo quoq;, quod apud pleroſq; Eccleſiæ ſcriptores receptum eſt, demonſtratur, non potuiſſe alium eſſe Artaxerxem, quàm Cambyſem, qui Iudæos ædificare Templum prohibuerit. Nam in hoc vnanimiter conſentiunt, Templum Domini anno ſexto Darij Hyſtaſpis eſſe completum, vt primo Eſræ ſexto habetur. Quomodo igitur Artaxerxes ille, qui, vt ij volunt, longo tempore poſt hunc regnauit, Templi extructionem, quod multò antè perfectum erat, impedire potuit? Siquidem id ex textu Eſræ manifeſtum eſt, á Templi ædificatione, iuſsu Artaxerxis, populum ceſſare coactum; cùm (poſtea, quòd ex edicto regis, vi à vicinis cohibiti eſſent, ne ædificarent) ait: Tunc intermiſſum eſt opus Domini Dei in Hieruſalem, & non fiebat vſq; ad annum ſecundum regni Darij regis Perſarum. Sed hæc fortaſsis non moroſo lectori abundè ſatisfacient. Quare omiſsis alijs, ad ſequentia tranſibimus.

Anni Mundi.

DE REGE ASSVERO.

Quòd hiſtoriam Eſther, tempore Darij Hyſtaſpis filij, factam eſſe aſſerui, multæ ſunt cauſæ. Video enim hunc Darium, ab Eſra lib. 1. cap. 4. vocari Aſſuerum: quod quidem nomen illi fuit Regi, cui nupta eſt Eſther. Neque poteſt Aſſuerus ille eſſe alius, quàm hic Darius. Fuit enim multis annis ante aduentum Eſræ in Iudæam. 3445.

Nam

ANNI Mundi.

Nam Iudæi de Templi extructione coram Aſſuero ſunt accuſati,quôd poſt Eſræ ad
uentum fieri non potuit,cùm Templum iam perfectum eſſet. Deinde neq; Xerxe
poterit eſſe Aſſuerus. Nam anno ſeptimo Aſſueri, Eſther Suſis ad Regem, qui pacifi
cè viuebat,tanquam Regina ingreſſa eſt. Sed Xerxes ſeptimo imperij ſui anno,maxi
mo & grauiſsimo bello, quod Græcis intulit, occupatus fuit,quo certè tempore, no
potuit Suſis rei vxoriæ operam dare. Sic quoq; nec Cambyſes eſſe poteſt Aſſuerus,v
quidam falsò ſunt opinati, ac præcipuè Hebræi. Certum eſt enim,Cambyſem no
amplius octo annis regnaſſe,vt ex Ptolomæo & Herodoto demonſtratur. Sed Aſſue
rus anno decimo tertio regni ſui Mardocheum exaltauit: Eſth. 8. Ergo impoſsibil
eſt,Cambyſem eſſe Aſſuerum. Huc & illud pertinet,quod Darium, de quo dicimus
eſſe Aſſuerum,à longè confirmat,quod Herodotus lib. 3. aſſerit, vxorem huius,quan
ex animo dilexit,Atoſſam eſſe appellatam, quod nomen ipſi Eſther, in Sacris attr
buitur. Hadaſſam enim Hebraicè vocant. Eſth. 2. Sed quod Herodotus addit, fuiſ
eamCyri filiam,coniectura factum eſſe puto. Nam cùm Darius Atoſſam præ cæte
ris, quas habebat vxores & concubinas,diligeret, exteris occaſionem præbuit, vt a
bitrarentur, eam eſſe filiam magni cuiuſdam viri. Eſther enim ipſa quoad potuit ge
nus ſuum celauit, ob invidiam,quam Iudæi à cunctis gentibus ſuſtinere cogebantu
Sunt præterea multa, quæ hunc Darium Aſſuerum eſſe docent, quæ tamen breuita
tis gratia, hîc à me omittuntur.

Maxima pars doctorum in ea opinione eſt,Eſram & Nehemiam ſub hoc reg
3449. Dario vixiſſe, qui Hiſtaſpis fuit filius, atque ædificandam vrbem Hieroſolyman
miſſos eſſe, Quam quidem opinionem, Hæbreorum commentatores,qui miris modi
regum Perſarum hiſtoriam dilacerarunt, in Eccleſiam inuexerunt. Sed quàm ſeipſo
ij fallant,Eſras ipſe in ſuo primo libro teſtari poterit,qui ſcribit cap.6. Tres reges Per
ſarum conceſsiſſe, & pecunias ſubminiſtraſſe Iudæis, vt ædificarent Templum, &c
Primum fuiſſe Cyrum,alterum Darium,quem & Aſſuerum vocat,tertium Artaxer
xem,qui eſt Darius Longimanus,à quo ſe miſſum ſcribit Eſras 1. cap. 7. Cæterùm
poſt Darium,de quo hoc loco ſermo eſt,regnauit Xerxes,qui Græciam maximo cun
exercitu inuaſit. Poſt quem Artaxerxes Longimanus. Sed quia Xerxes plurimun
fuit occupatus bello Græcorum,non anxiè curauit res Iudaicas,Ideo ab Eſra non me
moratur, qui peculiariter de his ſcribit,qui manifeſtis approbationibus, mandatis a
priuilegijs, ædificationem conceſſerunt. Poſtremo,quò teſtetur Eſras, longo ſe tem
pore poſt conceſſam templi ædificationem,Hieroſolymam miſſum,ita exorditur ſe
ptimum caput primi libri (quo ſuam hiſtoriam narrare incipit) vt cernere poſsis
ipſum de noua re dicturum,&c. Hinc facile videre licet,illos quàm plurimum errare
qui horum Eſræ & Nehemiæ hiſtorias,hoc Dario Hyſtaſpis regnante, accidiſſe ſcri
bunt,&c. Neq; Ioſephus hoc loco ab errore liber eſt,vt nunc facilime iudicari poteſ

Bellum quod Xerxes copijs innumerabilibus, & maximis apparatibus contra
3479. Græcos geſsit, vnà cum diuitijs & potentia eius, Angelus Danielis X I. paucisſimi
verbis complexus eſt,cùm ea futura prædiceret, inquiens: Ecce ad huc tres reges ſta
bunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimijs ſuper omnes. Et cùm inualueri
diuitijs ſuis,cõcitabit omnes(ſcilicet,diuitias,id eſt, nationes ſibi ſubditas,&c.)aduer
ſum regnum Græciæ. Hæc Angelus. Tres reges quos ſtaturos id eſt,cum potentia ma
gna imperaturos,dicit,fuerunt Cyrus,Cambyſes, & Darius Hyſtaſpis (Magos enim
inter Reges non computandos cenſeo, vt ſupra dixi, eò quòd regnum nec legitim
adepti ſunt, potenter id adminiſtrarunt, neq; vero vltra ſeptem menſes obtinue
runt,

ſſunt.) Quartus eſt hic Xerxes, de cuius diuitijs, apparatibus bellicis, ac bello Græcis *Anni*
llato, &c. vide Herodotum ab initio ſexti libri vſq; ad finem. *Mundi.*
Anno ſeptimo regni Artaxerxis Darij Longimani, miſſus eſt Eſras Sacerdos,
cum reliquijs vaſorum Domini, à Nabuchodonoſore in Babylonem abductorum
Hieroſolymam, acceptis à rege priuilegijs, vt liceret ei ordinare Iudices, ac Præſides 3506.
in populo Iudæ & Hieruſalem, collapſamq; Iudæorum rempublicam inſtaurare.
Hinc incipiendas eſſe dixi, in Χρονολογίᾳ Septuaginta Danielis hebdomades. Quæ res,
cùm longiorem requirat explicationem, quam quæ eo loco aſcribi potuerit, hoc
nunc loco excutienda venit. Ideò ad eam accingamur.

DE SEPTVAGINTA DANIELIS HEBDOMADIBVS.

Si vnquam harum hebdomadum certa quædam computatio extitiſſet, ſuper-
uacaneum eſſet, quicquid in totam meam Chronologiam, & laboris & vigiliarum
inſumpſi. Sed cum adhuc, quod ego ſciam, nulla ſit inuenta, quæ exactè cum verbis
Angeli conſentiret, atq; in nouo & veteri Teſtamento probabilibus fundatis rationi-
bus niteretur: non tam fuit vtile, quàm neceſſarium, quam plurimum ad indagan-
dam huius rei veritatem, operæ poſuiſſe. Ideò cùm noſtra computatio, ſi non exactè
conuenit, tamen quàm proxime ad prophetiæ ſenſum accedere videatur, eam vt
promiſimus breuiter explicatam, hîc ſubijciemus. Quod quidem commodiſsime
fieri arbitramur, ſi ipſius Angeli verba, vt ex Hebræo translata ſunt, interpretabi-
mur. Quare ea inſpiciamus.

Aduerte igitur, inquit Angelus, & intellige viſionem: HEBDOMADES Septua-
ginta determinatæ ſunt, ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam. Tunc
auferetur præuaricatio, contegenturq; peccata nec non & iniquitas expiabitur Et ad-
ducetur IVSTICIA æternitatum, vt adimpleantur viſiones ac prophetiæ, vngaturq;
SANCTISSIMVS.

Hoc primum prophetiæ membrum, non obſcuris verbis docet, quòd ſeptua-
ginta hebdomades à Deo præciſe ſint definitæ (id enim vocabulum נֶחְתַּךְ næhthach
ſignificat) vt in eis ciuitas Hieroſolyma in habitetur à populo Iuda. Dicit enim id
temporis ſuper vrbem & ſuper populum, eſſe determinatum. Sed finito hoc ſepti-
manarum tempore, ſtatim ac quaſi inſtante, vt ſic dicam, (præcisè enim tempus eſt
definitum) affuturum eſſe dicit, vt Trangreſsio. ſ. legis Dei, auferatur, peccata con-
tegantur, atq; iniquitas expietur, vtq; his ſtatim ſuccedat IVSTICIA æternitatum,
vt viſiones ac prophetiæ adimpleantur, (hæ ſcilicet quæ ſunt de Christo Domino)
ac ſanctiſsimus, qui eſt Chriſtus filius Dei vnctus oleo lætitiæ: Pſal: 44. vngatur
Sed transgreſsio, aut præuaricatio auferri non potuit, niſi per innocentiam & ſatisfa-
ctionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, neq; peccata contegi, aut iniquitas expiari, niſi
per mortem atq; effuſionem ſanguinis ipſius, vt vtrunq; Teſtamentum copioſiſsime
demonſtrat. Sic quoq; nec Iuſticia æternitatum reduci potuit, neque viſiones ac pro-
phetiæ adimpleri, niſi reſuſcitato Domino qui traditus eſt propter peccata noſtra, &
reſuſcitatus eſt propter IVSTICIAM noſtram. Rom 4 Nam & de reſurrectione eius
prædixerunt Prophetæ, &c. Quare cum immediate poſt 70. hebdomades hæc fieri
debuerint, (vt verbum Næhthach, quod eſt, precisè determinatum eſt, cogit) neceſſe
eſt, vt ipſæ ſeptimanæ eo tempore finem acceperint, quo CHRISTVS pro peccatis
noſtris morte ſua ſatisfacere aggreſſus eſt, pergit ergó angelus.

Et cogno-

ANNI Mundi.

Et cognoſces atq; conſiderabis, ab EGRESSIONE VERBI, vt rurſus in habitetur, & ædificetur Hieroſolyma quoad (ſcilicet veniat) MESSIAS Dux, hebdomadibus ſeptem, & hebdomadibus ſexaginta duabus inhabitabitur, & ædificata erunt collapſa ædificia platearum, in preſſura temporum.

Hoc eſt alterum prophetiæ membrum, quo Angelus docet, à quo tempore ſeptimanæ iſtæ ſint incipiendæ, videlicet ab eo tempore, quo conceſſum eſt Iudæis, v habitarent & ædificarent Hieroſolymam. Quod quidem primum poſt captiuitaten factum eſt, cùm ESRA à Dario Longimano, cum reliquis vaſis Templi Domini i Iudæam remitteretur. Tunc enim & hoc ei in mandatis præceptum eſt, vt liberè pe totam regionem Iudæorum, ex ſuis conſtitueret Iudices, ac Præſides. Remq; publicam iterum inſtauraret, vtq; populum ſecundum leges Dei, quæ propriæ erant Iudæorum, viuere inſtitueret. Nam hæc ſunt verba regis, quibus hæc omnia fieri no tantùm concedit, verum, vt dictum eſt etiam præcipit. Tu autem Eſra, inquit, ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Iudices & Præſides, vt iudicent omni populo, qui eſt trans flumen. His videlicet, qui nouerunt legem Dei tui. Sed & imperitos docete liberè. Et omnis, qui non fecerit legem Dei & leges Regi diligenter, cito de eo fiat iudicium &c. Ideò cum Angelus dicat, ab eo tempore incipiendas eſſe has ſeptimanas, quo Hieruſalem liberè & habitari, & ædificari, Iudæis ſit conceſſum: conſentaneum erit eas ab hoc tempore, quo Eſras id priuilegium Rege accepit, inchoari. Nam ante id tempus tantummodo permiſſum erat Iudæis ædificare Templum, & ſacra ſecundum legem Domini adminiſtrare. Nunc autem cùm Eſras mittitur, accedit Reipublicæ confirmatio, & libertas ſub proprijs Magiſtratibus viuendi, quæ mehercule, vera vrbis ædificatio eſt. Nam ſi qua his deſtituta erit, vtcunq; ſit vallo muroq; munita, tamen vrbs dici meritò non poteſt.

Itaq; cùm & principium & finis harum hebdomatum ſint conſtituta, videamus etiam, qua ratione temporum ſeries, in noſtra Chronologia obſeruata, cum hiſce finibus conueniat.

Ac principio hoc ſciendum eſt, quod hæ ſeptimanæ non ſunt ſeptem dierum naturalium hebdomades, ſed tales, quales Leuitici 25. referuntur, vbi Deus præcipit, vt Moſes hebdomades annorum numeret, quarum ſingulæ ſepten annos complectantur. Habebunt ergo ſeptuaginta hebdomades, ſecundun hanc rationem annos 490. quibus Hieroſolymam habitari oportuit, à miſsione Eſræ, vſq; ad paſsionem Domini noſtri Ieſu Meſshia, ſicut in priori parte ab Angelo tempus eſt determinatum. Sed hîc de annis quæſtio mouetur, Lunares ne anni ſint accipiendi (vt Beda & alij quidam putauerunt) an Solares? Ego vt maior pars doctorum affirmat, Solares, qualibus in communi vita vtimur, accipiendos eſſe iudico. Nam & Iudæi annorum numerum, ſecundum Solis reuolutiones annotare ſolent, ac Lunaribus annis & menſibus tantummodo ad feſtorum obſeruationes vtuntur. Sicuti hodierna die apud noſtros Iudæos videre licet. Quare omiſsis annis Lunaribus ſecundum Solis curſum annos hos numeramus. Porro quemadmodum noſtra computatio, in annorum numero, cum his ſeptimanis congruat, ipſa te Chronologia, remota omni difficultate, docebit. Appoſuimus enim ex latere annorum mundi, ipſarum hebdomadum ſeriem, à miſsione Eſdræ initium facientes & ab anno ad annum deſcendentes, donec ad finem ſeptuageſimæ ac vltimæ hebdomadis peruenimus. Quia verò ibidem diximus, annos illos ſeptimanarum inchoari, à die duodecima menſis Niſan, cui apud nos reſpondet altera ex par-

a parte Martius, altera Aprilis, etiam ea de re videndum erit, qui cum Scriptura concordet. Nam de annis non eſt quod dubitare poſsis.

Anni Mundi.

Esdras libro primo capite octauo ſcribit, ſe cum ijs, qui ad reuertendum in terram Iudæ, ſecum congregati fuerunt, die duodecima menſis primi, à fluuio Ahava, t Hieroſolymam proficiſcerentur, mouiſſe. Et cùm dies illa, peculiariter ſit nominaa in ea profectione, atque adeò eius profectionis, qua Iudæis à Perſarum ſeruitute Nam ad id vſque tempus, à præfectis Perſarum trans Euphratem oppreſsi fuerant, t ex Esdra colligi datur) libertas apportabatur, initium fuerit: eam pro fundameno quoq; ac baſi ſeptimanarum, quas hoc anno incipiendas eſſe docuimus, ponere lacuit. Ac quamuis temerarium eſſe videatur, has res tam abſtruſas hactenus, ad dim vſq;, vt ſic dicam, inueſtigandas præſumere, cùm doctiſsimorum hominum, tàm eterum, quàm recentiorum ingenia, vt annos tantùm aliqua ex parte, cum hac prohetia conciliarent, inquirendo ſint defagata: tamen vſq; adeò me eius facti non œnituit, vt etiam ſupra quàm dici poſsit gauiſus ſim, cùm fundamentum hoc in veeri Teſtamento, peculiari Dei conſilio fundatum, tam pulchrè tamq; appoſitè, cum ummo huius numeri die, in nouo Teſtamento indicato, conuenire cernerem. Nam quemadmodum in Esdra dicitur, quòd is duodecima die menſis primi, ad reportandam populo ſuo libertatem, & cætera, iter eſt ingreſſus: ita quoq; in nouo Teſtameno, apud Euangeliſtas Marcum & Matthæum legitur, quòd eadem die duodecima menſis primi (ſed poſt annos 490. vt Angelus prædixerat, & hiſtoriæ teſtantur) Christvs, vt veram populo ſuo, imò toti Mundo, libertatem à peccato, à Sataa, à morte æterna, &c. reduceret, iter paſsionis ſuæ ingredi cœpit. Sic enim Matthæus ſcriptum reliquit: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſcitis, quòd poſt biduum paſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Et Marcus: Erat autem Paſcha, & Azymorum dies futuri poſt biduum. Nunc verò certum eſt: primo menſe, quartadecima die menſis, comedetis Azyma. Si igitur Euangeliſtæ paſsionem Domini biduo nte paſcha & Azymorum dies ordiuntur, nónne pulchrè cum die profectionis Esdræ conſonant? Sed de allegoria aliàs dicendum erit: nunc hæc abſoluemus. Quæ is, quomodo cœpit Christvs pati duodecima die menſis primi, aut biduo ante diem paſchæ? An non decimaquinta die paſſus eſt? Certè ſic. Nam & primo Azymorum die (quæ erat decimaquarta menſis) ad veſperam comedit paſcha, nouumque Teſtamentum in ſanguine ſuo inſtituit. Ac tum demum die proxima ſequenti, ruci eſt affixus. Sed nos non tam dicimus de fine eius paſsionis, quàm de principio paſsionis dico, qua morte condemnatus, pro peccatis Mundi abundè ſatisfecit) Decimaquinta enim die cùm moreretur Christvs, omnis dolor, omniſq; terror mortis ſuperatus eſt. Duodecima verò, dum quærebantur cauſæ & occaſiones à Saerdotibus ac Scribis, quibus eum occiderent: atque Iudas Iſchariotes vnus de diſcipuis eius abibat, & quærebat, quomodo opportunè illum traderet: dolores illi mortis, & terrores inferni, de quibus in Pſalmis ſæpè queritur Christvs, verè circumdare & inuenire illum inceperunt. Ideo rectè dictum exiſtimamus: Chriſtum dnodecima die menſis primi, paſsionis iter, vt nobis libertatem afferret, ingreſſum eſſe. Habemus enim, vt modò dictum eſt, ipſos Euangeliſtas huius rei autores, quia & ipſi à duodecima die paſsionem inchoant. Matth. 26. Marc. 14. Quamobrem cùm & anni, & dies in harum ſeptuaginta hebdomadum ſupputatione, qui certiſsimis ex hiſtoriis & auribus collecti ſunt, ita cum ſacra Danielis prophetia concordent, Quis non ex animo gratias immortales Deo referendas eſſe cenſebit, quòd tanto nos theſauro

D in hoc

Anni Mundi.

in hoc corruptibili ſeculo dignatus eſt? Theſaurum autem voco, tum hanc Danie[l] prophetiam, qua initium Regni Chriſti ad diem vaticinatus eſt: tum totam reliquan[m] ſcripturam, cuius per omnia tanta eſt certitudo, vt nihil aut certius inueniri, aut co[-] gitari poſsit vnquam. Contra verò quis non deplorandum ſtatuet, tam horrendan[m] Iudæorum cæcitatem, qui viſis tam manifeſtis etiam prophetarum ſuorum, de futur[o] Chriſto, præſagiis, tamen vt Chriſtum ſaluatorem ſuſcipiant, moueri nequeunt? V[e]rùm quò abripior? Pergamus ergo ad ea quæ reſtant explicanda.

Finitis tandem hebdomatibus ſexaginta duabus, יִכָּרֵת Meſsias (id eſt, affix[us] perimetur) ad quem nihil neque vrbs, neque ſanctuarium (ſ. attinebit) Nam popu[-] lum peruaſtabit Dux veniens, & terminus inundationis ac perpetuæ vaſtitatis impe[n]debit.

Antè dictum eſt, peccatum abolitum iri finitis iam ſeptuaginta hebdomadibu[s]. Id enim Angeli verba, abſque omni controuerſia, fateri cogunt. Ideo te non imped[i]at, quòd hîc dicitur, Poſt ſexaginta duas hebdomades perimendum Meſsiam. Diu[i]dit enim Angelus, illas ſeptuaginta hebdomades, in tres claſſes. Primæ tribuit ſe[-] ptem, alteri ſexaginta duas, tertiæ verò vnam hebdomadem. In primis ſepten[m] hebdomadibus ædificabitur vrbs, & reſtituetur Reſpublica &c. multis laboribus & vt ipſe dicit, in preſſura temporum. Deinde confirmata Republica &c. habitabi[-] tur vrbs ſexaginta & duabus ſeptimanis, quibus finitis, aderit CHRISTVS quem condemnatum morte, clauibus affixum (quod in cruce accidit) occîdent. Nam vo[-] cabulum ijcareth, quo Propheta vtitur, non ſimpliciter perimi ſignificat, ſed vt He[-] brææ linguæ doctis notum eſt, affigendi quoque ſignificationem in ſe habet. Sed n[e] cogitares (vt quàm plurimi, quia certam temporis ſeriem non habebant, ſunt dece[-] pti) quòd CHRISTVS ſtatim poſt illas ſexaginta hebdomades occîdi deberet, & vrbs atque Sanctuarium deuaſtari &c. mox ſubjicit correctionem, & addit, antè tame[n] fore, vt vna hebdomade multis confirmet, vt quidam interpretantur, Teſtamentum & in medio eius hebdomadis ceſſare faciat oblationem & ſacrificium &c Hæc igitu[r] hebdomas cæteris addita, numerum ſeptuaginta hebdomadum explet. Vtque ſi Angelus nihil aliud hac parte docere velit, quàm cùm expletæ ſint poſt conſtitutam & ædificatam vrbem 62. hebdomades, hoc eſt, anni 434. animaduertendum eſſ[e]. Tunc enim fore, vt adueniat MESSIAS, quem tamen, humilitate eius ſcandalizat[i] morte condemnatum occîdent &c. Nam & tempus in principio, ab Angelo præfini[-] tum, vt diximus, & computatio temporum, quam ex hac parte certam eſſe non dif[-] fido (quod tamen abſque omni iactatione dictum eſto) aliam huius loci interpretatio[-] nem non admittunt. Sicuti in ſequentibus, ni fallor, manifeſtius apparebit.

Nunc, ſi libet, & hoc perpende. Dicit Angelus futurum, vt occiſo Chriſto, nequ[e] vrbs, neque ſanctuarium amplius ad eum pertineant. Sic enim amicus meus Eraſmu[s] Aichler, piæ memoriæ, Hebrææ linguæ haud ignarus, cuius quoque interpretatione[m] hîc ſequor, hunc locum apud Prophetam diſtinguebat. Cuius familiaritate vti diu[-] tius non licuit, eò quòd Deus ipſum, quia homo pius, & veritatis amantiſsimus, atta[-] men aliquantulum meticuloſus erat, antè vocauit ex hoc ſeculo peſsimo, quàm ha[e] turbæ Interimiſticæ, Adiaphoriſticæ, & Blaſphemiæ in Dei iuſticiam &c. exoriren[-] tur. Vt ſic in ipſo compleretur IVSTI præripiuntur ante diem, ne videant ventur[a] mala. Obiit Norimbergæ anno Chriſti 1545. decima tertia die Septembris. Sed a[d] prophetiam reuertamur. Addit tamen Angelus, quòd multis ſeptimana vna confir[-]

maturu[m]

-naturus ſit teſtamentum (quod de vltima & ſeptuageſima intelligi debere, non eſt ambiguum, alioqui vna ſeptimana numero deeſſet) in cuius medio intercidere factu-rus ſit oblationem &c. Ac tum demum ſuper Cherubim (id namq; per Alas intelli-go) abominationem deſolationum futuram, &c. Si itaq; Chriſtus ſtatim poſt 62. heb-domades occiſus eſt: quomodo neq; vrbs, neq; ſanctuarium amplius ad eum perti-nuit, in qua poſtea multis Teſtamentum erat confirmaturus hebdomada vna? Quo-modo confirmauit Teſtamentum? Quomodo in medio eius intercidere fecit obla-tionem & ſacrificium? & cætera. Sed quid Soli lumen inferre conor? Res tam eſt aperta, vt negari nequeat. Ideo recitatis, quæ reſtant, Angeli verbis, videbimus tan-dem, vt ſingula, quæ hîc futura dicuntur, ſint adimpleta. Ex iis enim omnia, quæ ad huius quoque loci vberiorem intellectum ſunt neceſſaria, melius percipientur. *Anni Muṅdi.*

Ratum verò habebit Teſtamentum multis hebdomada vna, & in dimidio heb-domadis INTERCIDERE FACIET oblationem & ſacrificium. Ac ſuper Cheru-bim abominatio (in Hebræo: eſt plurale, ſed Chriſtus ſingulari eſt vſus Matth. 24. Marc. 13.) deſolationem, & vaſtitatis horrendæ ac perpetuæ.

Diximus 70. hebdomades in tres claſſes ab Angelo diuidi, ac primæ quidem hebdomades ſeptem attribui, quibus iterum habitari & ædificari vrbs debebat. At ſeptem hebdomades compræhendunt quadraginta nouem annos. Ergo conſideran-dum erit, quis in eo tempore ſtatus Reipublicæ Iudaicæ fuerit. Hunc autem nuſquam alibi melius ac breuius ob oculos poſitum inueniri poteſt, quàm in hiſtoriis Eſdræ & Nehemiæ, Quæ, vt mea fert opinio, ob hanc cauſam præcipuè conſcriptæ, & con-ſeruatæ ſunt, vt haberent poſteri, vnde hunc Danielis locum, de futuro Chriſti regno, intelligerent, atq; ſic aduentum eius, conſtituto tempore expectarent. Ideo ad hos li-bros te remitto, è quibus euidenter doceri potes, qua in preſſura temporum Hieroſo-lyma ſit reædificata. Hæc autē in primis ad hunc locum intelligendum videntur ne-ceſſaria, quæ in libris illorum continentur. Eſdras cùm veniſſet Hieroſolymam, com-perit populum alienigenis vxoribus commiſtum: Quare decimo menſe inquiſitio-nem fecit, vt Iudæos ab alienigenis ſuperaret. Deinde per integros duodecim annos nihil memoratur, quod factum eſſet circa Iudæos, niſi quòd magiſtratus ſint conſti-tuti, quorum meminit Nehemias cap. 2. His verò duodecim annis exactis, miſſus eſt Nehemias, anno viceſimo Artaxerxis Longimani. Is aggreſſus eſt, fortiter ædifican-dum murum. Quibus tum in anguſtiis fuerint Iudæi. cap. 4. & 5. &c. in Nehemia in-uenies. Completa tandem murorum ædificatione, ciuium numerum auxit, Leuitis officia in templo Dei, &c. facienda diſtribuit, præmia eis annua dari conſtituit, &c. Poſt hæc iterum inquiſitionem fecerunt, vt populum ab alienigenis ſepararent. An-nò demum triceſimo altero Artaxerxis, qui fuit annus quintus hebdomadis quartæ, Nehemias ad regem rediit, vbi manſit vſq; ad finem ferè regni Artaxerxis, ac tùm regreſſus eſt Hieroſolymam, circa annum tertium hebdomadis ſextæ, ac inuenit ma-ximam Reipublicæ à ſe conſtitutæ confuſionem. Leuitæ enim, quos miniſterio DEI præfecerat, cùm ordinatum ſtipendium à Magiſtratibus non acciperent in regionem iterum dilapſi erant: vnde nouus Nehemiæ labor exoriebatur, &c. Ita vt videas verè 49. annos elapſos eſſe, priuſquàm ſtabilis Reipublicæ forma Hie-roſolymis effecta ſit, &c. Cæterùm de ſexaginta duabus ſeptimanis, quæ poſt conſti-tutam ciuitatem, vſq; ad Chriſtum numerantur, ante ſatis diximus. Etſi quæ ad in-telligendas afflictiones, quas Iudæis in eo quoq; tempore obuenturas dicit Angelus (Vtriq; enim parti conuenit particula, In preſſura temporum) ſunt neceſſaria, ea quo-

 que ſuis

Anni Mundi.

que ſuis locis in ſequentibus referentur. Quod autem de populi peruaſtatione per Ducem bellatorem(vt meus Eraſmus vertit) futurum dicit: A Tito Veſpaſiani filio impletum eſſe, nemo eſt mediocriter eruditus, qui ignoret. Procedamus ergo ad vltimam quoq; hebdomadem explicandam.

Claſsis tertia hebdomadum, quæ vnicam tantùm compræhendit ſeptimam, duo breuiter docet, Primum, quid Meſsias ſit facturus, cùm aduenerit, finitis 62. hebdomadibus, vt dictum eſt. Alterum quod ſignum præcedere debeat vaſtationem vrbis & populi. Atque in his duabus partibus non obſcurè indicare videtur, ob quas cauſas, & Meſsias à Iudæis occidi, & vrbs atq; populus peruaſtari debuerit, Videlicet. Chriſtum ob id Iudæis fore exoſum, quòd & ſacrificium & oblationem intercidere facturus eſſet, Teſtamentumq; Nouum erecturus. Eos verò ob id exterminandos, quòd ſiniſtrè intellectis prophetis, hunc Chriſtum Saluatorem, non tantùm non agnoſcere, aut recipere voluerint, verùm etiam quòd eum contra ſuam ipſorum conſcientiam, morte condemnatum, funditus extirpare fuerint conati. Sed inſpiciamus verba prophetiæ. Ac id quidem membrum, qui docet, quid facturus ſit Chriſtus, cùm venerit, iterum in duo diuidemus, è quibus alterum hoc eſt,

Ratùm verò habebit Teſtamentum multis hebdomade vna.

Ac in his verbis duo ſunt obſeruanda: primum, de quo teſtamento hîc dicat Angelus: alterum, quomodo id Teſtamentum à Chriſto multis ſit vna hebdomade confirmatum. Ac de primo quidem facilè conſtabit, ſi ad vocem Hebræam Berith, qua Propheta vſus eſt, reſpicias. Ea enim, vt autor Epiſtolæ ad Hebræos interpretatur, id Teſtamentum ſignificat, de quo Ieremias c. 31. multis verbis agit, cùm ea quoq; voce vtitur, dicens: Ecce dies venient, dicit Dominus & percutiam cum domo Iſrael, & cum domo Iuda Berith chadaſcha, id eſt, Teſtamentum nouum, non ſicut Teſtamentum, quòd feci cum patribus eorum, in die, quo appræhendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Quia ipſi diſſoluerunt Teſtamentum meum, etiam cùm ego quaſi maritus Dominum haberem in eos, dicit Dominus. Iſtud autem eſt Teſtamentum, quod faciam cum domo Iſrael, poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in interiora eorum, & ſuper cor eorum ſcribam eam, & ERO EORVM DEVS, IPSIQVE ERVNT POPVLVS MEVS. Et non docebit vltrà vnusquiſq; proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſcite Dominum. Quoniam ipſi omnes cognoſcent me, à minore eorum, vſque ad maiorem eorum, dicit Dominus. Propitiabor enim iniquitati eorum. ET PECCATI EORVM AMPLIVS NON RECORDABOR. Eſt ergo ſenſus huius particulæ. CHRISTVS cùm aduenerit, confirmabit multis id Teſtamentum, quod Deus per Prophetam Ieremiam, annis multis antè, Iudæis eſt pollicitus, &c. Quomodo verò id finaliter ſanguine ſuo confirmarit, Epiſtola ad Hebræos cap. 8. 9. & 10. elegantiſsimè docet. Quare illuc te remitto.

Nunc ad alterum reſpondebo, quod eſt, Quomodo id Teſtamentum hebdomade vna confirmârit? Hic diuerſorum diuerſæ ſunt opiniones, ac multi in ea ſunt ſententia, Quòd Chriſtus ſtatim poſt ſexaginta duas hebdomades habitatæ Hieroſolymæ, prædicare cœperit: & ſic per ſemetipſum dimidia hebdomade, hoc eſt, annis tribus & dimidio, Teſtamentum illud prædicando confirmârit. Quod verò reliquum fuit huius hebdomadis, per Apoſtolos &c. Atq; in hanc ſententiam haud inuitus vel pedibus irem, ſi non eſſent multa, quæ ei aduerſarentur. Nam in primis id obſtat, quòd Angelus Chriſtum tum demum paſſurum & reſurrecturum dicit, cùm

hæ ſe

hæ ſeptimanæ præciſè ſint omnes finitæ, ſicut ſuprà docuimus. Deinde temporum quoq; ſeries, de cuius certitudine non diffido, vt antea quoq; dixi, hanc rationem non admittit. Nam quocunq; te vertas aliò, in ordinandis vel annis Regum, vel regibus ipſis, in regno Perſarum, poſt Darium Aſſuerum, neceſſe eſt, vt & hiſtorias & tempora confundas, vt paulò pòſt videndum erit. Tertiò & id reclamat, quòd Angelus poſt illa dicit: Et in dimidio hebdomadis, Iasbith id eſt, intercidere faciet (ſic enim exponuntur verba in hiphil) Oblationem & ſacrificium. Quod quidem non tàm morte Chriſti, quàm eius baptiſmate fieri cœpit, cùm is omnium noſtrum peccata, vt pro eis ſatisfaceret, in ſe ſuſcepit, &c. Deniq; nulla ratione dimidium hebdomatis conſtituere potes, ſi opinioni illi acceſſeris, vt ex temporum diligenti conſideratione ipſe videre potes. Ideo neceſſe eſt, ut aliam interpretationem afferamus quæ & cum temporibus conſonet, & ſcripturis non contradicat. Atq; hæc quidem haud erit difficilis, ſi verba Angeli, & eorum cohærentiam diligenter inſpexeris. Nã cùm ſuprà dixiſſet Angelus, Chriſtum poſt ſexaginta duas hebdomades peremptum iri: ac mox hanc correctionem ſubdidiſſet, Ante tamen fore, vt vna hebdomade multis Teſtamentum confirmaret: Pergit nunc & hanc hebdomadem explicare, Ac ait, Eam quidem confirmationem non ſtatim cum hebdomade, ſed in medio eius à Chriſto inchoandam, ita ut dimidia, quæ Iohannis prædicationem, & Baptiſma Chriſti præceſsit, magnum ſui deſiderium apud pios excitarit, qui certò ſciebant, & ex hac atq; alijs prophetijs edocti erant, quòd tempus Meſsiæ inſtaret. Si Verò hæc interpretatio non arridet, ſed vis per integram hebdomadem, à Chriſto multis confirmatum eſſe Teſtamentum, neq; hoc loco noſtrum tibi reſponſum negabimus.

Multis rationibus cùm ex Ioſepho, tùm ex alijs demonſtrari poteſt, quòd Iudæi cognitum habêre, eo tempore, ſicut per Prophetas promiſſum erat, expectandum eſſe Meſsiam. Ac ſi hæc non eſſent, vel id maximum eius rei indicium foret, quod Iudæi (vt Ioh. 1. habetur) Sacerdotes & Leuitas, maximam me Hercle legationem, ad Iohannem Baptiſtam miſerunt, percunctaturi, an is ipſe eſſet Meſsias? Hoc ergo cùm certum ſit, neceſſario ſequitur, quòd ij, annis antè triginta, vel ex paſtoribus, vel Simeone, vel Anna, vel Elizabetha, &c. vel poſt hos, ex eorum diſcipulis audierant, quòd is puer, qui ex Maria natus erat, eſſet Meſsias, magno cum deſiderio eum obſervare cœperint (Verbum enim de Chriſto nato ocioſum eſſe non potuit. Eſai. 55.) Ac tum quoque eum obſervarint, cùm tempus à Daniele prædictum, ut expectarent Meſsiam, iam eſſet finitum. Ac cùm viderunt eius vitam, eiusq; cum hominibus conuerſationem, omni carerere malicia, confirmati ſunt apud ſemetipſos, eũ certiſsimè eſſe Meſsiam, Aq; ſic pijs illis, qui ſciebant, ſe non poſſe per legem Moſaicam ſaluari, ſed opus habere Meſsia Saluatore, eo tempore, quo virilem ætatem, viceſimum ſeptimum annum puta, eſt ingreſſus, Teſtamentum vita ſua inculpabili confirmare potuit. Sed quæris: Quomodo potuerunt ij obſervare Ieſum, cum varijs locis eſſent diſperſi? Nam Simeon, Anna, &c. Hieroſolymis de Chriſto teſtimonium exhibuerunt, paſtores in Bethlehem, atq; horum fortaſsis diſcipuli alij locis alijs: Ieſus autem habitavit in Galilæa ciuitate Nazareth? Reſpondeo, hoc nihil omninò impedit, quòd diverſis locis habitarunt. Nam oportuit eos ſingulis annis tribus vicibus Hierolymis convenire, Deut. 16. ubi abſq; omni impedimento, eius conſervatione frui potuerunt. Quid? Si quibusdam diſputatio illa, quam in templo habuit, cùm eſſet 12. annorum, adhuc animis inſedit?

Anni
Mundi.

Adducerem plures coniecturas, ſi res poſtularet. Sed cùm non ſit neceſſe, hoc tantùm addemus: Maria mater Domini, cùm fuerit valdè pia, & charitatis plena, atq; non ignorarit, quòd hic Filius ſuus Ieſus, deberet ſalvum facere populum ſuum à peccatis ſuis, Matth. 1. Quid putas fecerit? celarit ne amicos huius opis indigentes? an prædicarit eis, à quo ſalutem expectarent? Si itaq; dicis, eam hoc aut pudore, aut metu tacuiſſe: tunc vide qua eam iniuria afficias. Affirmas enim eam in præcipuo charitatis officio deliquiſſe, Si quidem nullum eſt maius charitatis opus, quàm hominem iuuare docendo, vt ſaluus fiat: Taceo quòd natura fidei non ſit paſſa, vt agnitio Chriſti celaretur. Nam ubi fides, ibi & confeſsio neceſſariò eſt. Si verò concedis, amicos (non enim dico, quòd publicè docuerit) ab ea in angoribus conſcientiæ, conſolationem accepiſſe, vt fiduciam haberent in Filium eius Ieſum, qui verus ſit Meſsias, atq; ad hoc miſſus vt populum ſuum ſaluum faceret à peccatis ſuis: cogeris & id confiteri, fuiſſe quoſdam, qui & ea conſolatione Mariæ moti, ac filij eius Ieſu pia converſatione impulſi ſint, vt hunc tanquam Meſsiam, circa id tempus, quo vir eſſe cœpit, obſeruarent, ac ſic de cætero, vt dictum eſt, confirmarentur, donec tandem in medio hebdomadis facere & docere, ut ipſe Chriſtus inquit, Matth. 5. cœpit, vt oblatio & Sacrificium Moſaicum intercideret. Prior tamen expoſitio, meo quidem iudicio, magis recipienda videtur. Sed & hæc non contemnenda eſt. Nam cùm ſtatim nato Saluatore ab Angelo cœlitus miſſo docti ſunt, qui eum vnà cum Ioſepho & Maria in carne agnoſcerent, ac poſtea Simeon, Anna, impulſore S. S. eum in Templo agnitum prædicarunt, &c. non abſurdum, imò neceſſarium eſt dicere, ſemper ex eo tempore fuiſſe, qui præter parentes Chriſti eum verum Meſsiam eſſe cognouerint, &c. At res ipſa nos iam dudum vocat, vt de altera quoq; parte, quæ quid facturus ſit Chriſtus agit, dicamus. Nam & hæc ab Angelo cæteris adduntur,

Et in dimidio hebdomadis Iasbith, id eſt intercidere faciet oblationē & ſacrificiū.

Cùm tota hebdomas ſeptem complectatur annos, dimidium eius erunt anni tres & ſemis. Porrò annus dimidius, vt Iudæi, more Ægyptiorum computant, ſingulis menſibus dies 30. attribuendo (qui mors etiam in Apocalypſi Iohannis obſeruatur) continet dies 180. (Nam quinq; dies reliquos, ad complendum annum Solarem, ſic quoq; biſextum, in fine anni intercalare ſoliti ſunt) Quæramus ergo, in quam anni partem, hoc Medium vltimæ hebdomadis incidat, Hoc eſt, ubi quartus annus hebdomadis vltimæ cui concurrit 30. ætatis Chriſti, ſit medius. Deinde conſideremus, quid eo tempore, populum Iudæorum facere ſecundum legem oportuit. Nam his animadverſis, haud difficile erit videre, quomodo ſacrificium & oblatio faciente Chriſto ceſſarit, &c. Si itaq; à die duodecima menſis primi, à quo annos hebdomadum inchoari diximus, numerare incipis, inuenies dimidium anni cum vndecima die menſis ſeptimi finiri. Nam cùm de primo menſe 19. dies reſtent, deinde 2. 3. 4. 5. & ſextus centum & quinquaginta dies compræhendant, neceſſe erit de ſeptimo adhuc vndecim dies accedere, vt dimidium anni, hoc eſt 180. dies compleantur. Sed quid fieri oportuit eo menſe apud Iudæos? Audi Moſen Leuitici cap. 23. Loquutusq; eſt Dominus, inquit, ad Moſen, dicēs: Loquere filijs Iſrael, Menſe ſeptimo, prima die menſis, erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus Tubis, et vocabitur ſanctum, &c. Et mox: Loquutusq; Dominus ad Moſen, dicens: Decima die menſis huius ſeptimi dies EXPIATIONVM erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus. Affligetisq; animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius, qua dies expiationis eſt, ad expiandum

coram

coram Domino Deo veſtro: Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis: & quæ quippiam operis fecerit, delebo eam de populo ſuo, &c. His verbis mandauit Deus Iudæis, vt duo feſta in menſe ſeptimo ante feſtum Tabernaculorum celebrarent, quorum neutrum in veteri Teſtamento, ſicuti reliqua feſta, rationem habet præteritam. Nam Paſchæ, recordatio erat exitus de Ægypto: Pentecoſtes, datæ legis: Tabernacula habitationis in deſerto. Hæc duo verò nihil omninò præteriti habent, in cuius recordationem fierent. Nam quod Rabbi Salomo de priore dicit, quòd ſit inſtitutum ad recordationem ligationis ſeu oblationis Iſaac, non tam vllum habet in ſcripturis fundamentum, quam eſt ab eo inſulſiſsimè prolatum. Hoc tamen nemo Chriſtianus negabit, feſta illa Iudæorum, vmbras & figuras fuiſſe eorum, quæ ſub Chriſto fieri debuerunt. Ac cùm hoc de ijs, quæ cauſam quoq; præteritam habebant, ſit certum: multo magis & illa ad Chriſtum referenda erunt, quæ in veteri Teſtamento nihil omninò habent, in cuius recordationem fiant, ſed in futura tantùm reſpiciunt. Porrò cum Tubarum clangoribus nihil æquè videtur in nouo Teſtamento conuenire, atq; prædicatio Iohannis. Is .n. non obſcuris ſignificationibus tam à Propheta, Ieſaia cap. 40. quàm à ſemetipſo, dum verba Prophetæ refert, Iohan. 1. Tubæ comparatur, dum ille dicit: KolKora in deſerto. Et hic interpretatur, ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. Nam quòd Kora ita clamare ſignificet, ceu quis cornu ſonaret, nulli Hebrææ linguæ mediocriter perito ignotum puto. Sic quoq; βοάειν Grœcum, boare, ſeu alta magnaq; voce clamare, Latinis eſſe, nemo neſcit. Cùm itaq; dicat Angelus, In dimidio ſeptimanæ, vltimæ ſcilicet, fore vt adſit Chriſtus, qui Sacrificium, &c. ceſſare faciat: Idq; medium ab hac feſtiuitate non multùm diſtet: atq; ex aliis prophetiis, ac Teſtamento nouo conſtet Iohannem haud multis diebus ante Chriſtum prædicare cœpiſſe &c. quæ prædicatio Tubarum feſto omninò poteſt comparari: in eam ſum ſententiam adductus, vt dicerem, Iohannem circa id anni tempus, quo id feſtum celebrandum erat, ſuam vocem, vt prædicaret pœnitentiam, &c. extuliſſe. Nam quid id feſtum veteris Teſtamenti aliud referre poſsit, non video. Similiter quò & feſtum expiationis, quod decima die menſis ſeptimi obſeruari oportebat, qui dies celeberrimus erat, ſanctusq; vocabatur: quô etiam quod ſemel in anno tantùm fiebat (vt Leuit. 16. habetur, atq; ad Hebræ. ca. 9. eleganter explicatur) Summus Sacerdos in Sancta ſanctorum ingrediebatur, vt expiaret, tam ſanctuarium, quàm populum à peccatis, &c. vt locis prædictis videre potes: Quò hoc feſtum, inquam, referendum ſit aliò, quàm ad Baptiſma Chriſti, quòd mox poſt Iohannis prædicationem (initium prædicationis intellige) ſequitur, non diiudico. Nam qnemadmodum in veteri lege, Summus Sacerdos eo tantummodò die intrabat Sanctum ſanctorum, vt omnia quæ ad ſe & ad populum, &c. attinebant, expiaret &c. Ita quoq; & Chriſtum dicimus eo die, qui in dimidiam ſeptimanam incidebat (erat enim centeſimus ſeptuageſimus nonus, anni quarti, hebdomadis ſeptuageſimæ) ingreſſum eſſe ſancta ſanctorum, ac ſacerdotis munere fungi cœpiſſe, cùm Baptiſma, atq; in eo omnia peccata totius Mundi abluenda, & ſanguine ſuo poſtea expianda in ſe ſuſciperet, &c. Sic quoq; conferre poſſem debitam afflictionem populi, in die expiationis, &c. cum debita pœnitentia Chriſtianorum, in die Baptiſmatis, &c. Sed excreſceret opus in immenſum. Ideó data tantúm occaſione de his latius cogitandi, contractis velis, ad reliqua properemus. Nam ſi Deus vitam conceſſerit, fortè peculiari libro totum hoc 70 hebdomadum negocium, quod in hiſce Commentariis primis quaſi lineis adumbrauimus, abſoluemus. Cæterùm cùm omnia peccata, vt diximus, huic vnico Sacerdoti, Chriſto,

 ſint

Anni Mundi.

ſint impoſita, Atq; is eo die, quo baptizatus eſt, qui erat hebdomadis medium, offi-cium ſuum, quod erat, ex piare peccata mundi, ſit ingreſſus, procul dubio videre po-tes, quomodo in dimidio ſeptimanæ Sacrificium & oblationem ceſſare fecerit. Si-quidem nullum tum Sacrificium, nulla hoſtia fuit reliqua, quæ Deum placaret ex-tra Chriſtum, ſicuti vox Patris quoq;, eo die de cœlo audita, teſtatur, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Quaſi dicat: Nulla poſthac hoſtia, nullum ſacrificium Moſaicum mihi placebit: Sed hic habetis Filium meum, in hunc credite, hunc ſuſpicite, ac vt alibi dicit, HVNC AVDITE. Hic, hic, inquam, ſo-lus mihi placet, & propter ipſum omnes, qui eum audierint, &c.

Huc accedit & illud, quòd is annus fuit 49. annum Iubilæum præcedens, quo in menſe ſeptimo, die decima, ſequens, id eſt, quinquageſimus annus, debebat San-ctus & annus libertatis annunciari, de quo plura ſuo loco & tempore: Hoc loco ad-monuiſſe ſatis eſt.

Reſtat nunc vnicum huius extremæ partis membrum, de ſigno futuræ deſo-lacionis Hieroſolymæ & populi Iudæ, de quo quidem hoc primò ſciendum eſt: Quód totum illud deſolationis negocium, non inter limites 70 hebdomadum eſt computandum (ſicuti probatiſsimi doctores, tam veteres quàm recentiores, in hoc conſentiunt, ac ipſa quoq; Iudæorum hiſtoria teſtatur) ſed ipſi ſtatim hiſtoriæ Paſſi-onis & Reſurrectionis Chriſti ſubiungendum. Nam ex quo Chriſtus à Iudæis eſt re-probatus, à Patre verò in lapidem ſummum angularem, ſuper quem & Iudæorum reliquiæ, & gentes ſuperſtructæ, in Templum ſanctum in Domino creſcunt, eſt ele-ctus: ij viciſsim à Deo reprobati, atq; à facie eius abiecti ſunt, ita vt quodcunq; inci-perent, aut quocunq; ſeſe verterent, nil niſi omnia aduerſa experirentur, donec tan-dem poſt mortem Tiberii, C. Caligula abominandum illud ſuæ imaginis Idolum, in Sancta ſanctorum Hieroſolymitani templi ſtatui, atq; adorari præcepit. Quo fa-cto, & id completum eſt, quod hic dicitur: Et ſuper Cherubim abominatio erit de-ſolationum & vaſtitatis horrendæ ac perpetuæ. Nam ſimul ac idolum hoc in tem-plo collocari mandatum eſt, bellum ac vaſtatio Iudæorum initium ſumpſit, vt infrà & in Chronologia copioſius videre licet.

Hic imitatus ſum vulgarem opinionem. Infra lib. 5. Circa annum Chriſti 39 abominationem hanc copioſius explicabo.

Quando igitur de hac excellentiſsima Danielis prophetia, ita vt res tempusq; tulêre, pro mediocri inſtitutione, æquo lectori ſatis dictum eſſe confidimus: Ratio-nem quoq; obſeruati ordinis, in Perſarum regno, breuiter reddemus, ne quis vel Metaſthenis, vel aliorum quorundam erroribus intentus, noſtram in hac parte com-putationem calumniaretur. Cætera verò quæ hic quæri magis quàm obiici poſſunt, de ætate Chriſti baptizati, & cruci affixi ſuis locis commodius explicabuntur.

RATIO TEMPORVM REGVM PERSARVM.

Ab initio igitur regni Salmanaſſaris, vsq; ad annum ſeptimum Cambyſis regis Perſarum, ac inde vsq; ac triceſimum primum Darii Hyſtaſpis, certam eſſe conſtat computationem, tum ex antè dictis, tum ex Ptolemæi obſeruationibus: Sicuti ea tē-pora in margine paſsim ſunt annotata: Deinde ex Herodoto atq; Dionyſio Halicar-naſſeo, vſq; ad annum ſeptimum regni Xerxis, qui Græcis Olympiade 75. bellum in-tulit maximum, confirmatur, quemadmodum in Chronologia autorum loca cita-uimus. Sed quæ hinc ſequuntur, ſatis videntur eſſe ſcrupuloſa. In nullo.n. antiquo aut Chronographo, aut hiſtorico, definitũ tempus extat, quod ſcilicet annis Xerxes Perſarum regnũ obtinuerit, præter ſolum Euſebium, quem cæteri, qui iam antiqui-

tatis

ſtatis nomen habere poſſunt, in plerisq; ſunt ſequuti. Quia verò & is Euſebius, aliquibus locis, in hoc præſertim Perſarum regno, ab hiſtoriæ veritate (quod tamen cum pace quorundam dictum eſto) quo ad temporum rationem, diſcedere depræhendatur: quis hoc loco, non aliorum quoq; ſententia confirmatus, traditionem eius tutò ſequi poterit? Porrò Metaſthenes, qui de Suſiana hiſtoria gloriatur, Xerxis ne vnico verbo meminit. Atq; hic vnicus locus is eſt, qui doctiſsimos quosq; non mediocriter exercuit: ac mihi quidem, quamuis indigno vt eorum numero aſſcribar, plus faceſsit negocii, quam reliqua tota Chronologia, ita vt non ſemel de inueſtiganda veritate deſperarim. Sed cùm omninò animũ induxiſſem, quid certi ea de re conſtitui, ſi tamen aliquo modo id fieri poſſet, inueſtigare: tandem labor improbus omnem vicit difficultatem, atq; hunc ſcrupulum poſt longam diligentemq; autorum obſeruationem eum in modum exemit. *Anni Mundi.*

Thucydides, qui temporibus Artaxerxis Longimani vixit, tradit, Themiſtoclem, cùm Athenis ab ingratis ciuibus pelleretur, ad eundem Artaxerxem nuper regnare incipientem fugiſſe. Deinde Plutarchus in Periclis vita ait, pulſo ſtatim Themiſtocle, apud Athenas Imperatorem factum PERICLEM, atque id honoris obtinuiſſe annis quadraginta. Hæc cùm viderem, quærere cœpi, quo tempore Pericles diem obiiſſet (nam ſi hoc conſtaret, iam de fuga Themiſtoclis, & de principio regni Artaxerxis, è quo finis regni Xerxis apparet, certus eſſe poteram) Et inueni apud Thucydidem libro ſecundo ſcriptum, Hunc Periclem vita functum eſſe, cum bellum Peleponneſiacum duraſſet annos duos & dimidiatum. Porrò ex Xenophonte, qui Olympiadum 93. & 94. meminit, colligitur, bellũ hoc, quod Græci inter ſe viginti ſeptem annis, maximo totius Græciæ detrimento geſſerunt, initium habuiſſe Olympiade 88. (quemadmodum & Thucydides Olympiadis mentionem facit, ſed numerum omittit) Viceſimum enim & primum eius belli annum cum 93. Olympiade confert. Ex his ergo ſequitur, mortem Periclis anno tertio Olympiadis 88. accidiſſe, Hoc eſt, anno vrbis Romæ (vt facilior ſit computatio) 328. Sed is Athenas imperio rexit annis 40. vt Plutarchus probatus ac fide dignus autor aſſerit. Cœpit igitur anno vrbis Romæ 288. hoc eſt, anno quarto Olympiadis 78. Porrò Themiſtocles eodẽ anno, in fidem Artaxerxis nuper regnare incipientis confugit. Ergo conſequitur, Artaxerxem eodem anno (4. ſcilicet Olympiadis 78. regnum accepiſſe, & Xerxem, poſtquàm Græcos bello laceſsiuit, regnaſſe annis 14. aut non multò minus, vt patet in Chronologia. Cæterùm quod dixi, Artaxerxem Perſis imperaſſe annis 44. cogit me Thucydides, qui libro quarto hunc regem è viuis exceſsiſſe tradit, circa finem anni ſeptimi belli Peloponnenſiaci. Nam tantam in hac re Thucydidi fidem adhibẽdam eſſe cenſeo, qui iis temporibus vixit, quantam nulli poſteriorum, qui de auditis, vt vulgò dicunt, ſcripſerunt. Atq; hoc loco confirmato, viderint Metaſthenis defenſores, quid faciant. Nam eum multis hic refellere non eſt in animo. Cæterûm quæ inde ſequuntur, vſq; ad mortem Alexandri Magni, non opus habent defenſione. Siquidem annorum numerus, cum Ptolemæi obſeruatione liquidè conuenit, & ratio omiſſorum quorundam, qui ab Euſebio inter Reges Perſarum numerantur, aliquo modo in Χρονολογίᾳ eſt oſtenſa. Nunc, vt res poſtulat, ad reliqua deſcendamus.

Xeno. de Reb. Græcorum lib. 1.

Quòd Iohannan BenReſa annis triginta vno Iudæorum ducem fuiſſe ſcripſi, cauſa eſt, quòd & Philo teſtatur, ipſum ad Alexandri monarchiam vſq; vixiſſe. Sed cùm tempora non æquè reſponderent, coniectura potius hoc loco vti volui, quàm 3604.
quicquam in præcedentibus temerè immutare. Nam cùm tempora reliqua ſint

certa,

Anni Mundi. certa, non putaui multis hoc loco immorandum eſſe. Neſcio enim an quicquam e[x] eo fructus eſſe poſsit. Similis quoque de Iaddua ratio eſt, qui Alexandrum Magnum Hieroſolymorum vrbem introduxit, vt Ioſephus XI. lib. antiquitat. cap. vltimo te-ſtatum reliquit.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

TERTIVS LIBER MONARCHIÆ TERTIÆ,

Hoc eſt, Regni Græcorum poſt Alexandri mortem, compendioſam hiſtoriam continet.

CVm Danielis prophetia, præſertim octaui & vndecimi capitis, abſque ſequenti[s] temporis hiſtoria intelligi omninò nequeat, non tàm vtile quàm neceſſarium e[s]ſe duxi, breuiter, vt ſuis quæq; temporibus, quæ ad intellectum iſtorum capitum re[-]quiruntur, geſta ſunt, indicare. Ideo eam Græcorum hiſtoriam, quam ex probatiſsimi[s] hiſtoricis, olim in noſtrum vſum priuatum collegimus, ab hoc loco ſubiicere curaui[-]mus. Et peto, vt candidus lector, ſi quid in ea (vt plurimum fore non ſum neſcius) au[t] inelegantius, aut incommodius dictum fuerit, boni conſulat. Non enim eos nos eſſe profitemur, qui de Ciceroniana eloquentia, aut Liuiana grauitate gloriari poſsimus. Verùm ſi Chriſti gloriam, ſacroſanctumq; Dei Verbum, noſtris donis ac laboribu[s] aliquo modo ornare quimus, ſumus contenti. Cæterùm ſi quando res poſtulabit, v[t] obſeruati in computando ordinis rationem reddamus, id quoq; ſuis locis non negli[-]gemus. Nunc ad hiſtoriam accedamus.

3640. Poſtquàm fortiſsimus heros, ac totius orientis victor potentiſsimus, Alexander, vita functus eſſet, principes eius in diuerſa regna Imperium ſunt ſortiti. Nam Anti[-]pater Macedoniam & Græciam: Ptolemæus Ægyptum, Africam, Arabiæq; partem: Laomedon Mytilenus Syriam: Philotas: cum filio Cyliciam & Illyricum: Acropa[-] Mediam maiorem: Learchus Lyciam & Pamphiliam: Caſſander Cariam: Menan[-]der Lydiam: Leonatus Phrygiam minorem: Lyſimachus Thraciam Ponticq; regio[-]nes: Eumenes Cappadociam & Paphlagoniam ſorte obtinuerunt. Seleucus caſtris, Satellitibus Caſſander præponitur, &c. Iuſtinus lib. 13. Ioſephus lib. 12. cap. 1. Hi principes annis 14. ſe dilaniauerunt, ac veluti opimam prædam, à magno Leone pro-ſtratam, auidè diſcerpsêre catuli, ſeq; inuicem in rixam irritatos, prædæ æmulatione fregerunt. Oroſ lib. 3 cap. vltimo.

Poſtremò tamen ad hos quatuor principes ſumma imperii delata eſt. PTOLEMAEVS Lagi filius Ægyptum & magnam Syriæ partem, &c. obtinuit. ANTIGONVS Aſiam minorem. CASSANDER interfectis Alexanderi hæredibus Macedoniam. SELEVCVS Nicanor Babylonem & Aſiæ maioris regna, quæ Alexandro ſubiecta fuerant: poſtremùm his adiecit alteram Syriæ partem. Hi quoque & poſteri eorum, multis & atrocibus bellis, ſeſe inuicem defatigarunt, quemadmodum in ſequentibus referetur. Prædictum eſt autem Danieli, hoc regnum ita diuiſum iri, poſt Alexandri mortem, cap. 11. vbi hæc ab Angelo de Alexandri potentia prædicuntur: SVRGET verò Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa

Anni Mundi.

multa, & faciet quod placuerit ei, Et cùm ſteterit(id eſt, in flore fuerit regnum ipſi-
us (conteretur regnum eius,& diuidetur in quatuor ventos cœli: ſed non in poſteros
eius,neq; ſecundum potentiam illius,qua dominatus eſt. Lacerabitur enim Regnum
eius etiam in externos &c.

Etſi verò Principes,vt dictum eſt,Regnum inter ſe diuiſerunt: tamen vnanimi-
ter Regem fecerunt PHILIPPVM ARIDAEVM Alexandri fratrem, cui ipſi prin-
cipes omnes ſubiecti eſſe deberent. Verùm cùm ſinguli libidine dominandi vexa-
rentur, paruo hæc obedientia tempore manſit. Nam cùm PERDICCAS, qui ſum-
mum, tanquam tutor, cum Aridæo Imperium obtinebat, Ptolemæi potentiam in
Ægypto creſcere cerneret, inuidia motus, grauiſsimum aduerſus eum bellum excita-
uit, Annoq; ſecundo poſt Alexandri mortem,maximo cum exercitu Ægyptum in-
uadere conari: Ptolemæus contrà Ægypti viribus atque Cirenaicis copiis optimè in-
ſtructus, abſque omni cunctatione occurrere, atrocique commiſſo prælio, Perdiccas 3642.
amiſſo exercitu occubuit. Interea dum hæc geruntur,reliqui Alexandri duces,grauiſ-
ſimis odiis inter ſe decertarunt,maximasq; ſibi clades inuicem intulerunt, de quibus
conſulere poterit lector, Iuſtini ex Trogo compendium lib. XIII. vſque ad XVI.
Oroſium lib. 3.& quoſdam alios. Nam cuncta recenſere eorum bella, nimis lon-
gum foret, atque ab inſtituto noſtro alienum. Siquidem hoc loco ea tantummodò
indicare ſumus polliciti, quæ omninò ſunt illuſtria, aut ad intellectum ſcripturæ ali-
quo modo neceſſaria.

Cæterùm Ptolemæus victoria tam inſigni elatus,ex templò ſuis copiis in Syri-
am progreſſus eſt, eamq; ſuo imperio adiecit. Et in reditu Hieroſolymas,fraude in- 3643.
greſſus, occupauit, ac crudeliter ciues miſeros,hoſtileq; nihil timentes,afflixit,ac plu-
rimos quoque Iudæorum captiuos in Ægyptum abduxit, Ioſeph. lib. 12.cap. 1. Euſ.

De huius regis potentia dixit Angelus Danieli cap. 11. Et confortabitur Rex
Auſtri (id eſt, Ægypti, quæ reſpectu Iudææ ad meridiem iacet) vnus de principibus
eius,id eſt, Alexandri.

Anno poſt hæc quarto,is erat à morte Alexandri ſeptimus, ANTIGONVS to-
ta minore Aſia potitus eſt,in qua regnauit annis decem & octo. Porrò OLYMPIAS 3647.
mater Alexandri Magni, cùm ab Epiro in Macedoniam, proſequente Æacida rege
Moloſſorum, veniret, ab Eurydice vxore Aridæi (quæ muliebri æmulatione percul-
ſa, abutens valetudine mariti,regia ſibi officia vendicabat)& ab Aridæo rege, Mace-
doniam intrare prohibita eſt. Qnod videntes Macedones, ſiue memoria Philippi
mariti Olympiadis, ſiue Alexandri filii eius, magnitudine & indignitate rei moti,ad
Olympiada tranſierunt, cuius iuſſu & Eurydice & Rex Aridæus occiduntur. Sed nec
Olympias diu regnauit. Nam cùm viros principes paſsim crudeliter necari iuberet,
fauor Macedonum in odium verſus eſt. Qua de cauſa diffiſa Macedonibus,cum Ro-
xane nuru ſua,&Hercule Alexandri filio,in Pictuam vrbem aufugit,ibiq; à Caſſandro
fraude circumuenta, capta viuiſq; exempta eſt.Filius Alexandri cum matre Roxane,
in arcem Amphipolitanam cuſtodiendus miſſus eſt, Iuſt. lib. 14. Oroſ. 3. cap. vl-
timo.

Caſſander occaſione hac regno Macedoniæ potitus, Theſſalonicen regis Ari-
dæi filiam vxorem duxit,& regnauit annis decem & nouem. 3648.

Quarto verò poſt hæc anno, qui fuit ab Alexandri morte vndecimus, Antigo-
nus ardens cupiditate dominandi, liberaturum ſe bello Herculem Alexandri filium,
ab obſidione ſimulans, bellum atrox Caſſandro inferre parat. Verùm Ptolemæus & 36[illegible]

Caſſander

Anni Mundi.

Caſſander fraude cognita, ſocietatem cum LYSIMACHO Thraciæ rege, & SELEVCO, qui tum Aſiæ maioris regna (vt mox dicemus) obtinebat, ineunt, bellumq; aduerſus Antigonum, terra mariq;, magnis viribus inſtruunt, ac nauali apud Gazam Palæſtinorum vrbem commiſſo prælio, DEMETRIVS Antigoni filius victus eſt. Victor Ptolemæus moderatè hac victoria vſus dicitur. Siquidem & amicos Demetrii non ſolûm cum ſuis rebus dimiſit, verum etiam additis inſuper muneribus honorauit, & ipſius Demetrii priuatum omne inſtrumentum ac familiam reddidit, adiecto honore verborum: Non ſe propter prædam, ſed propter dignitatem iniiſſe bellum. Iuſtinus lib. 15. Oroſ. 3. Ioſeph. lib. 1. contra Apionem. Plutarchus in vita Demetrii.

Altero poſt acceptam cladem anno, Demetrius bellum, maximo apparatu, contra Ptolemæum inſtaurat, cui Ptolemæus cum claſſe obuiam factus, congreſſu
3653. primo, omnem penè claſſem cum exercitu amiſit, victusq; celeri ſe fuga in Ægyptum recipit. Hac victoria elatus Antigonus, REGEM ſe cum Demetrio filio appellari iubet. Quod exemplum cæteri omnes ſecuti, regium ſibi nomen & dignitatem aſſumpſerunt.

3654. Anno deinde ſequenti, qui erat poſt mortem Alexandri decimus quartus, venit SELEVCVS NICANOR, poſtquàm omnes maioris Aſiæ regiones, quæ Alexandro ſubiectæ fuerant, domuiſſet, in Syriam eamq; ſuo imperio adiecit.

Ab hoc igitur anno ſupputant Iudæi Annos Græcorum in Syria, quibus vtuntur libri Machabæorum & Ioſephus. Atq; huius ſupputationis grauiſsimi teſtes ſunt, ipſa temporum harmonia, Et Ioſephus, qui lib. 12. cap. 6 numerat hos annos à Regno primi Seleuci in Syria. Huc accedit, quòd Chaldæi ab hoc tempore annos (quos Ptolemæus vocat ſecundum Chaldæos) numerare ſunt ſoliti, quemadmodum in Chronologia in margine iſtius anni indicauimus. Hic Seleucus omnium Alexandri ſucceſſorum potentiſsimus fuit, ſicut prædixerat Angelus Danieli: Et alius, inquiens, præualebit ſuper eum (id eſt, alius fortior & potentior erit rege Ægypti) & dominabitur ditioni: multa enim dominatio eius. Plurima enim per orientem bella, inter ſocios regni Macedonici geſsit. Babyloniam expugnauit, Bactrianos nouis motibus aſſurgentes perdomuit, tranſitum deinde in Indiam fecit, quæ poſt Alexandri obitum, velut detracto excuſſoq; ceruicibus iugo, præfectos eius occiderat.

3664. Anno 24. poſt mortem Alexandri, Antigono bellum eſt illatum, quod Ptolemæus & Caſſander, cum eiuſdem factionis ducibus, multis iam annis, communibus viribus contra eum inſtruxerant, eam ob cauſam, quòd ſe omnes ſigillatim ab Antigono decipi viderent. Commiſſa igitur pugna, tantò grauior ruina fuit, quantò fuit potentior apparatus. In ea enim Macedonici imperii vires conciderunt, in ipſoque bello Antigonus interfectus eſt, cui ſucceſsit filius Demetrius, qui variis caſibus, inconſtantiq; fortuna iactatus, regnauit annis decem & ſeptem.

3667. Anno deinde tertio, Caſſandro vita defuncto, ANTIPATER & ALEXANDER filii eius ſucceſſerunt, qui magna cum diſcordia regnauerunt annis quatuor (quamuis Iuſtinus lib. 15. ſub finem, & Oroſius lib. 3. cap. vltimo, Philippum Caſſandri quoque filium patri ſucceſsiſſe tradant) Antipater cùm in annis tribus regnaſſet, matrem ſuam Theſſalonicen propria manu interfecit, eò quòd in regni diuiſione pro-
3670. penſior fuiſſe Alexandro videbatur. Quo ſcelere Alexander motus, in vltionem matris, bellum ANTIPATRO denunciat, in auxilium vocato Demetrio, qui ſpe inuadendi regni Macedonici, nullam fecit moram. Cognito verò, quòd Lyſimachus rex Thra-

ciæ, con

næ,conciliare pacem inter fratres conaretur, ne ſpe ſua fraudatus, Macedoniæ reg-
no excideret, ipſe Alexandrum in vrbe Laryſſa occîdit, regnumq́; eius occupauit,
quod obtinuit annis ſex. Vide de hoc bello Plutarchum in vita Pyrrhi.

DEMETRIVS augmento Græciæ & totius Macedoniæ elatus, Aſiam, quam magna ex parte amiſerat,recuperare inſtituit. Ptolemæus autem,Seleucus & Lyſimachus, experti priori certamine, quantæ vires concordiæ eſſent,pacta ſocietate,adunatisq; exercitibus, bellum aduerſus Demetrium, transferunt in Europam. His ſe comitem belliq; ſocium,Pyrrhus rex Epyri iungit, ſperans Demetrium Macedonia poſſe depelli: nec ſpes fruſtra fuit. Quippe exercitu eius corrupto, ipſoq; in fugam verſo, regnum Macedoniæ Pyrrhus inuaſit, ſeptemq; menſibus id obtinuit. Dum hæc fiunt,Lyſimachus generum ſuum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum ſibi ſoceri fraude querentem, interfecit: filiam quoq; ſuam Euridicen, querelarum ſociam, in cuſtodiam tradidit, Atq; ita vniuerſa Caſſandri domus, Alexandro Magno, ſeu necis ipſius (ferunt enim Alexandrum ab Antipatro Caſſandri patre, veneno extinctum) ſeu ſtirpis deletæ pœnas, partim cæde, partim ſupplicio luit. Poſt hæc inter Pyrrhum & Lyſimachum bellum eſt exortum, in quo Lyſimachus victoriam obtinens,pulſo Pyrrho,Macedoniam occupauit annis ferè ſeptem. 3676. 3677.

Demetrius tres iam continuos annos,multis & varijs iactatus caſibus,cúm honeſtè in prælio mori potuiſſet,Seleuco ſe dedere maluit. Hinc Seleucus rex Syriæ & Aſiæ appellatus eſt. Ptolemæus hoc bello finito, cum magna rerum geſtarum gloria moritur, cui ſuccedit filius PTOLEMAEVS PHILADELPHVS, qui antè biennio cum patre regnauerat. Hic fuit rex amans pacis & honeſtarum artium. Biblia ſacra, eius iuſſu, magnis ſumptibus in Græcam linguam ſunt translata. Iudæi quoq; his temporibus, ſummis in honoribus fuerunt, etiam apud exteros reges. Vide Ioſeph.lib. 12. cap. 2. Quòd verò dixi,Ptolemæum Philadelphum duobus annis viuo patre regnaſſe,cogit me Iuſtinus & Oroſius,qui affirmant, eum à patre regem conſtitutum, maximo Ægyptiorum applauſu: deinde Ptolemæi Aſtronomi obſeruatio,quam anni mundi 3691. adiecimus. 3679.

LYSIMACHVS cúm ſuprà modum in ſuos domeſticos, & principes regni ſui tyrannidem exerceret, ab omnibus ſuis ducibus ac ſocijs derelictus eſt, qui certatim ad Seleucum deficiebant, eumq; pronum iam, ex æmulatione gloriæ & regni, vt bello Lyſimachi regna concuteret, hortati ſunt. Hoc certamen vltimum commilitonum Alexandri fuit, quod velut ad exemplum miſeriæ humanæ reſeruatum fuerat. Lyſimachus quatuor & ſeptuaginta annorum erat. Seleucus Septuaginta ſeptem Sed in hac ætate vtriq; iuueniles animos & inſatiabilem Imperij cupiditatem gerebant. In eo bello Lyſimachus, amiſsis antea varijs caſibus, quindecim liberis, poſtremus ſuorum interfectus eſt. Lætus tanta victoria Seleucus, & quod maius victoria putabat, ſolum ſe de cohorte Alexandri manſiſſe victoremq; victorum extitiſſe: non humanum opus ſed diuinum munus eſſe gloriatur: Ignarus prorſus, non longè pòſt, ſe humanæ fragilitatis exemplum eſſe futurum. Nam poſt menſes ſeptem à PTOLEMAEO κεραυνῷ fratre Philadelphi regis Ægypti, cuius ſororem Lyſimachus in matrimonio habuerat, per inſidias circumuentus occiditur, regnumq́; Macedoniæ, quod Lyſimacho eripuerat, cum vita pariter amittit. Hic Ptolemæus regnum Macedoniæ obtinuit anno vno. Atq; ab hoc tempore Macedonia aſsiduis tumultibus per quatuor annos vexata eſt. Galli duce Belgio Ptolemæum Ceraunium vicerunt & occiderunt. Cui ſucceſsit MELEAGRVS menſibus duobus. Huic 3684.

 Antipa-

Anni Mundi. Antipater diebus 45. Huic SOSTHENES annis fermè duobus. Hoc defuncto regnum
ad ſtirpem Demetrij Antigoni filij redijt, qui poſtea Macedoniam obtinuerunt, do
nec victo PERSEO Romanorum prouincia facta eſt.

ANTIOCHVS cognomento θεὸς, qui tertius in Aſia & Syria regnauit, pluri
3704. mùm Ægyptiorum regi moleſtus fuit. Crebris enim incurſionibus regionem eiu
deuaſtabat. Philadelphus autem (vt erat rex ad pacem quàm ad bellum procliui
or) quò certaminibus finem imponeret, filiam ſuam BERENICEN Antiocho vx
òrem dedit, qui antea de LAODICE altera vxore duos habebat filios, SELEV
CVM cognomento Callinicum, & ANTIOCHVM, qui ob rapacitatem, quam ad
modum iuuenis exercuerat, ἱέραξ dictus eſt. Sed Antiochus, mortuo iam Philadel
pho ſocero, Laodicen iſtam aliquandiu repudiatam, amore eius victus, in regnun
cum filijs ſuis reuocauit, quæ inconſtantem mariti animum timens, ne Berenice
ſibi rurſus præferret, ſummum regis beneficium ſummo ſcelere compenſauit. Ipſun
enim Antiochum, haud longè pôſt quàm reuocata fuerat, veneno extinxit. Seleu
cum filium natu maiorem, ad Berenicen cum filio, quem Antiocho genuerat, ob
ſidendam miſit, qui falſis promiſsionibus ei, vt munitione exiret, perſuaſit: egreſ
ſam vnà cum filio crudeliter interfecit. His demum perpetratis ſceleribus, regnau
in Syria annis viginti.

Defuncto autem Philadelpho, ſuccedit filius eius PTOLEMAEVS EVER
3717. GETES, qui in Ægypto regnauit annis viginti ſex. Hic aduerſum Seleucum regen
Syriæ magnum exercitum comparauit, ac totam Syriam, in vltionem ſororis in
teremptæ, vaſtauit, atq; omnem penè Aſiam cepit. Sed quia ſeditionem audierat in
regno Ægypti exortam, ſpolians ac diripiens, quæ poterat, Seleuci regna, in Ægy
ptum reuerſus eſt: Eoq; omnia vaſa precioſa, Deorumq; ſimulachra duo millia
quingenta, in quibus fuerunt & illa, quæ Cambyſes Cyri filius ex Ægypto ad Perſa
tranſtulerat, ſecum portauit.

De his rebus futuris, dixit Angelus apud Danielem, cap. XI. & poſt finem an
norum fœderabuntur (ſcilicet reges Ægypti & Syriæ) filiaq; regis Auſtri (Berenice
veniet ad regem Aquilonis (Antiochum θεὸν) vt faciat amicitiam, & non obtinebi
fortitudinem brachij: nec ſtabit ſemen eius (id eſt, nec ipſa, nec ſemen eius, obti
nebit regnum) & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, & genitor eius, & qui con
fortabat eam in temporibus (id eſt, ipſa Berenice, & filius qui hæres regni eſſe debe
bat, & maritus, tradentur ad mortem, ſed tùm demum, cùm Philadelphus dien
obierit. Is enim confortabat Berenicen in regno, dum viuebat &c.) Et ſtabit de ger
mine radicum eius plantatio (id eſt, frater Berenices EVERGETES eodem patr
natus) veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis (Syriam, qu
reſpectu Iudææ ad Septentrionem ſita eſt) & abutetur eis, & obtinebit. Inſuper &
Deos eorum &c. Vide Danielem, qui cognita ex hac parte hiſtoria, facile intellig
poterit &c.

Poſt diſceſſum Ptolemæi, Seleucus cùm aduerſus ciuitates, quas Ptolemæu
partim per deditionem, partim vi ceperat, claſſem ingentem comparaſſet, repen
te orta tempeſtate, naufragio eam amiſit, nec quicquam illi ex tanto apparatu, præ
ter nudum corpus, & Spiritum, paucosq; naufragij comites reſiduos fortuna fecit
Hac miſeria Seleuci, ciuitates, quæ iam in Ptolemæi poteſtatem venerant, motæ, vl
trò Imperio eius ſeſe reſtituerunt. SELEVCVS cùm viribus Ptolemæo par eſſe vi
deretur, rurſus eum bello petit. Sed homo ad ludibrium fortunæ natus, facile bello

victus,

 Anni Mundi.

victus, haud maiori comitatu, quàm ex naufragio paulò antè emerſerat, trepidus Antiochiam confugit. Inde fratrem Antiochum, qui in Cilicia agebat, per literas in auxilium vocat, oblata ej, in præmium latæ opis, Aſia inter fines Tauri montis. Is alioqui auidus regni, occaſionem totum illud fratri eripiendi nactus, veniendi nullam fecit moram. At Ptolemæus audito, regem Antiochum in auxilium Seleuco venire, ne cum duobus vno tempore dimicandum foret, in annos decem cum Seleuco pacem firmat. Antiochus bellum aduerſus fratrem, cui auxilio venerat, ſuſcipit, & Gallorum auxilio, quorum multos mercede conduxerat, vicit. Deinde ab Evmene Bythiniæ rege, qui ex diſcordia fratrum, Aſiæ occupandæ viam inuenerat, victus atq; Aſia pulſus eſt. Longa denique ac diuturna fuga agitatus, cùm nuſquam inueniret requiem, ad Ptolemæum hoſtem confugit. Qui confeſtim in vincula eum coniecit, è quibus cùm haud longè pòſt, fractis excuſsisq; catenis, eſſet elapſus, in fuga à latronibus captus atque necatus eſt. Seleucus jiſdem fermè diebus, equo præcipitatus vitam pariter cum regno amiſit. Sic fratres hi ſcelerum in parentem, Berenicen, & filium eorum, commiſſorum, pœnas dederunt, Iuſt. lib. 17.

His ita extinctis, regnum Syriæ ad Seleucum κεραυνὸν Callinici filium deuolutum eſt, Is poſt tres annos, à principe quodam regni ſui, Nicanore, dolo interfectus eſt. 3739.

Altero anno Syrij ex Babylonijs Antiochvm cognomento Magnum euocauerunt, qui accepto poſt mortem fratris regno, Syrijs imperauit annis 36. 3742.

Anno ex quo Antiochus regnum acceperat altero, Ptolemæus Ægypti, patre & matre interfectis, regnum Ægyptiacum occupauit. Huic ex facinoris crimine cognomentum Philopator ex contrario fuit. Aduerſus hunc præualidum Antiochus exercitum comparauit, ac irrumpens in eam Syriæ partem, quæ tum Philopatori parebat, omnes in ea ciuitates per Theodoti proditionem accepit: cuius quidem rei ſucceſſu ita eſt inflatus, vt totam Ægypti regionem Imperio ſuo adjicere totis viribus agitaret. Sed conatus ij paulo momento, quàm vana ſint hominum conſilia, aperuerunt. Nam cùm Philopator magnis vndiq; collectis copijs, in prælium aduerſus Antiochum deſcenderet, atq; ad Raphiam vrbem, in finibus Palæſtinæ, qua Ægyptum aſpicit, ſitam, facto conflictu, haud magno negocio Antiochus victus, fugatus, ac pacem à Philopatore petere coactus eſt: Atq; ſic momento temporis omnes Syriæ ciuitates, quas proditione occupauerat, iterum amiſit. Hac victoria inſolentior tumidiorq; factus Philopator, Hierosolymarvm vrbem ingreſſus, Sanctum Sanctorum prophanare conatus eſt, vbi à Deo grauiter punitus, in Ægyptum reuerſus, ſupra modum miſeros alioqui, in his bellicis tumultibus, Iudæos afflixit. Quoſdam enim captos beſtijs conculcandos obiecit: quoſdam alia crudelitate ad necem tradidit, De qua re vide 3. lib. Maccha. qui nunc in Biblijs Venetiæ nuper impreſſus inuenitur. Cæterùm huius belli apparatum & exitum copioſiſsimè deſcribit Polybius Megalopolitanus, hiſtoriarum lib. 5. Iuſt. 30. admodum breuiter attingit &c. 3743. 3747.

Hanc quoq; rabiem horum regum multò antè depinxit Angelus Dan. 11. vbi dicit: Filij autem illius (Seleuci Callinici) prouocabuntur (in vltionem patris) & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum. Et veniet properans (ſcilicet Antiochus Magnus. Frater enim Seleucus, in ipſo belli apparatu interemptus eſt à Nicanore. Ideo iam ſingulari numero vtitur propheta) & inundans: & reuertetur in Syriam, & occupabit eam indeq; progredietur furore tumens, vſq; ad munitionem eius (id eſt, reuertetur in Syriam, & occupabit eam, indeq; progredietur furore tu-

 mens

Anni Mundi

mens vſque ad Raphiam, primam Palæſtinæ ciuitatem, qua Ægyptum aſpicit) Et prouocatus rex Auſtri (Ptolemæus Philopator) egredietur & pugnabit aduerſus regem Aquilonis (Antiochum magnum) & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo (Antiochi) in manu eius, Et capiet multitudinem. Et exaltabitur cor eius (id eſt, inflatus tanta victoria, contemnet & blaſphemiabit Deum, eiusq; Templum prophanare molietur) & dejiciet multa millia (id eſt, qua nimis proceſſerit impius eius conatus, in furore aduerſum Iudæos exardeſcet, & multa millia eorum affliget, mortiq; crudeliter objiciet) ſed non præualebit (id eſt, impedietur diuinitus, vt non efficiat, quod de eis ſtatuerit, vt vides lib. 3. Machabæorum.

3760. Porrò anno poſtquàm hæc geſta ſunt decimo tertio, moritur immanis & crudelis illa beſtia Ptolemæus Philopator, cúm multis ac nefandis ſtupris ac ſcortationibus inceſtuoſis exitium vitæ ſuæ acceſſiuiſſet, relicto ex Euridice ſorore ſua quinquenni filio, qui Ptolemæus Epiphanes dicebatur: & poſt mortem patris regnauit annis viginti quatuor.

3761. Defuncto igitur Philopatore, Antiochus contempta paruuli regis filij ætate, iterùm Ægyptum occupare molitur, itaque Phœnicen, cæterasq; Syriæ ciuitates, quæ Ptolemæi imperio ſubiacebant, inuaſit. Sed Alexandrini, ſumma adacti neceſsitate, legatos confeſtim Romam miſerunt, qui à Senatu, quibus poſſent precibus efflagitarent, vt P. R O. tutelam pupilli ſuſciperet, regnumq; Ægypti ab Antiochi & Philippi Macedonis iniuria tueretur. Hi enim pacta ſocietate Ægypti regnum affectabant. Quod cùm in Senatu relatum eſſet, legati ad Antiochum in Syriam miſsi ſunt, qui denunciarent ei, vt à regno pupilli abſtineret, qui poſtremis patris precibus fidei ſuæ commendatus eſſet. Sed Antiochus ſpretis Romanorum legatis, Syriam &
3761. adiacentes regiones ſubigere perrexit. Coacti itaque tutores pupilli, hac Antiochi pertinacia, S C O P A magna cum virtute militum in Cœle Syriam proficiſci iuſſerunt, qui multas in ea ciuitates expugnauit, ac Iudæam quoque, quæ iam Antiochi partes ſequebatur, quartò demum anno, in Ptolemæi poteſtatem redegit.

Anno deinde vrbis Romæ 556. T. Quintio Flamminio, Sex: Ælio Pæto Coss:
3763. deſcendit Antiochus cum magna militum manu contra Scopam in Cœle Syriam, congreſſusq; cum eo ad fontes Iordanis fluuij, victoriam obtinuit, Scopa fugato, omnesq; quas is ceperat vrbes, ſuæ iterùm poteſtati ſubiecit. T. Liuius lib. 3. Dec. 4. Ioſephus lib. 12. cap. 3.

3770. Hinc in Aſiam filios cum ingenti exercitu præmittit: ipſe cum claſſe centum tectarum nauium, & ducentis leuioribus nauigijs ſubſequitur, ſimul per omnem Ciliciæ & Cariæ oram tentaturus vrbes, quæ in Ptolemæi ditione eſſent, ſimulq; Philippo Macedoniæ regi (qui iam contra Romanos arma ſumpſerat) cum exercitu nauibusq; auxilium laturus. Sed cum Philippo, antequàm adeſſet Anriochus, debellatum eſt. Itaque cum hybernaſſet Epheſi, omnes Aſiæ ciuitates in antiquam imperij formulam redigere conatus eſt. Cumq; in Thraciam iam traieciſſet, à Romanorum legatis ad Lyſimachiam vrbem reuocatur, vt certamina inter ipſum & Ptolemæum Ægypti regem dirimerent. Ac cúm minus ea de re conuenirent, ac Antiochus ſuperbè Romanis legatis reſponderet, relato hoc ad Senatum negocio, Antiochus S. C. hoſtis Romani populi iudicatus eſt.

Anno poſtquàm in Europam veniſſet quarto, reuerſus eſt Antiochus in Syri-
7374. am: cumq; ea hyeme Raphiæ hybernaſſet, Ptolemæo Epiphani firmandæ paci

gratia

gratia, filiam CLEOPATRAM in matrimonium dedit, concedens ei Cœle Syriam, Samariam, Iudæam & Phœnicen, dotis nomine. Sed ſub hoc amicitiæ prætextu, regnum Ægypti occupare ſtudebat, quod præmaturè Ptolemæus cum ſuis olfaciens, cautè præuenit. Orbatus ergo hac ſpe Antiochus, bellum aduerſus Romanos ſummis viribus inſtruxit, principioq; belli Eubœam inſulam (quæ nunc Nigropontus dicitur) in ſuam poteſtatem redegit. T. Liuius lib. 5. Decad. 4

Anni Mundi.

Sequenti anno, qui fuit vrbis Romæ annus 563. de bello Antiocho inferendo ad populum latum eſt, bellumq; ſummo populi conſenſu decretum, T. Liuius lib. 3775. 6. Primo itaq; Antiochus congreſſu apud Thermopylas ab Attilio & Glabrione cæſus, fugatus, & tota Græcia expulſus eſt.

Altero anno poſt, victus eſt Antiochus ad Magneſiam à Scipionibus: pacem 3776. petenti, ea conditione dederunt Romani, vt omni Aſia cis Taurum montem abſtineret. (Liuius lib. 7. Decad. 4.) Ac viginti obſides Romanis daret, inter quos duos quoque filios ANTIOCHVM EPIPHANEM & DEMETRIVM dedit, &c. Idem lib. 8.

Porrò altero à Scipionum victoria anno, Antiochus rex Syriæ cùm graui tri- 3777. buto pacis à Romanis premeretur, ſeu inopia pecuniæ compulſus, ſeu auaritia ſollicitatus, Beli Templum in Perſide (vt Strabo lib. 16. Geogr. refert. Alij Dodonæi Iouis habent) ſpoliare conatus eſt: qua re cognita, finitimorum concurſu Barbarorum, omni cum comitatu deletus eſt. Iuſtin. lib 32.

Huius Antiochi bella & fortunas, cum Ptolemæo Epiphane ac cum Romanis, pulcherrimè quoq; (vt plæraq; alia, de hoc Syriæ regno, &c.) Angelus apud Danielem adumbrauit, dicens, Conuertetur rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò maiorem quàm antè (contra Philopatorem habuerat) Et in fine temporum annorumq; (cùm iam diu regnarit) veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimijs. Et in temporibus illis multi conſurgent, aduerſus regem Auſtri (Philippus enim Macedoniæ rex adiungetur Antiocho, & ipſorum duces contra Ptolemæum aſſurgent) filij quoq; præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem: & corruent (id eſt, multi Iudæorum deficient à lege, & impijs regibus ſeſe adiungent, atque in alijs regionibus transquilliores ſedes quærent: ſed ij poſt modum defectionis ſuæ graues dabunt pœnas, vt vides 3. Machabæorum, & apud Ioſephum.) Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitiſsimas (id eſt, Antiochus in Syria & Phœnice munitiſsimas vrbes denuò oppugnabit & capiet) Et brachia (id eſt, vires) Auſtri non ſuſtinebunt. Et conſurgent electi eius ad reſiſtendum (id eſt, Alexandrini mittent Scopam cum electa militum manu, vt in Ptolemæi poteſtatem redigat ciuitates Cœle Syriæ & Phœnicis, &c. & non erit fortitudo (in caſſum laborabit) Faciet enim veniens (Antiochus) ſuper eum (Scopam) iuxta placitum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem eius. Et ſtabit (id eſt potens erit) in terra deſiderabili (id eſt, Iudæa terra Sancta) & conſumetur (tradetur) in manu eius. Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius (id eſt, Antiochus etiam Ægyptum affectabit) & recta (vel amicitias) faciet cum eo & filiam fœminarum (Cleopatram) dabit ei (Ptolemæo Epiphani) vt euertat illud (id eſt, vt prætextu amicitiæ occupet regnum Ægypti) & non ſtabit, nec illius erit (non potietur regno Ægypti, nec ſuccedet ei ex ſententia) Et conuertet faciem ſuam ad Inſulas, & capiet multas (id eſt, in Aſiam & Europam trajiciet, & quaſdam inſulas in mari Mediterraneo ſitas occupabit, vt Eubœam, & alias quaſdam Cycla-

 dum,

Anni Mundi.

dum, &c.) Sed quidam princeps (L. Cornelius Scipio, Aſiaticus dictus, Africani
frater, Cos. Romanus) deſtruet eum, vt exhibeat ei contumeliam ſuper contume-
liam, quæ eis aliàs obuentura eſt (id eſt, faciet vt Antiochus ignauiam & impoten-
tiam ſuam aduerſus Romanos ipſe agnoſcat, vt habetur apud Liuium ſuprà me-
moratis libris, & turpiter recedentem pellet Europa in Aſiam, & coget eum igno-
minioſè Aſia abſtinere cis Taurum montem &c.) Et conuertet faciem ſuam ad im-
perium terræ ſuæ (id eſt, victus à Romanis reuertetur in Perſidem, & regna ſua ma-
ioris Aſiæ) & impinget (theſauros è Beli templo ſurripere volens, non habebit ſuc-
ceſſus &c.) & corruet, ac non inuenietur. Hæc Angelus de Antiocho magno. Nunc
ad hiſtoriam redibimus.

3778. Anno igitur regni Græcorum in Syria 125. vrbis Romæ 566. is fuit annus
mundi 3778. interfecto Antiocho ſucceſsit Seleucus Philopator (qui & Soter
apud Ioſephum appellatur) & regnauit annos duodecim. Hic Seleucus nihil me-
moria dignum fecit. Fuit enim rex ignauus, homo prodigus, delitijs ac voluptati-
bus deditus, Expilator facultatum ſubditorum. Erat autem ijs temporibus, qui-
dam Hieroſolymitani Templi præpoſitus, nomine SIMON, is regi pecunia egenti
theſauros templi prodebat. Miſſo igitur rex HELIODORO principe ſuo, eos au-
ferri iuſsit. Sed Deus piorum oratione exoratus, valdè miſerabili cruciatu Heliodo-
rum in templo afflixit, & theſauros Gazophylacij ad tempus liberauit. 2. Mach. 3

Dixit quoq; Angelus de hoc Seleuco in Daniele: Et ſtabit in loco eius (Antio-
chi magni) vilis quæſtor, decore regio, & in paucis diebus conteretur, non in furo-
re, nec in prælio &c.

Hîc obiter notandum erit, de IANNA ſecundo Hyrcano, qui his temporibus
3783. Iudæorum ducatum obtinuit, atque ab Antiocho Epiphane interfectus eſt. Is namq;
poſtremus ex Dauidis ſtirpe Iudæorum dux fuit, atq; poſt eum in accepit radix Iſai
ex qua naſci debebat Chriſtus MESSIAS, fieri truncus putris, de quo ſpes nulla, vt
apparebat, eſſe poterat, quòd regerminaret: Qui tamen ſuo tempore protulit GER-
MEN, quod Maieſtate & potentia ſua cœlum & terram implet. Quemadmodum
Ieſaias cap. vndecimo prædixerat: Et egredietur virga de radice Ieſſæ, & ramus de
radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c.

Cæterùm anno vrbis Romæ 572. deceſsit Ptolemæus Epiphanes, relinquens
3784. duos filios minores ætate, quàm qui regno præeſſe poſſent. Natu maior Philome-
tor, alter Phyſicon dictus eſt. Philometor regnum poſt mortem patris obtinuit an-
nis 35. Hic admodum ſegnis, & quotidiana luxuria ita fuit marcidus, vt non ſolum
regiæ maieſtatis officia intermitteret, verùm etiam ſenſu hominis nimia ſegnitie ca-
reret. Iuſt. lib. 34

Porrò anno regni Græcorum in Syria 137. venit ANTIOCHVS EPIPHANES
3790. qui Romæ obſes fuerat, in regnum patrium, & regnauit in eo annis duodecim. Fuit
TYPVS Antichriſti, hic Antiochus. hic Epiphanes homo admodum callidus & verſutus, quemadmodum eius res ge-
ſtæ declarabunt.

In principio regni eius, miſit Iaſon ſummus ſacerdos Iudæorum MENELAVM
qui & ONIAS dictus eſt, ad regem, vt tributa ei penderet. Sed Menelaus ſeipſum
regi commendans, in ſe fraude ſacerdotium retorſit. Acceptis itaque à rege man-
datis, Iaſonem Hieroſolymis expulit: ipſe multis ſceleribus commiſsis, ſeditioni-
busq; excitatis, pontificatum geſsit, vſque ad tempora Machabæorum. Poſtremò a
Antiocho Eupatore, Epiphanis filio, interemptus, dignas ſcelerum ſuorum pœnas
dedit. Vide 2. Macha. cap. 4. 5. &c.

Ann

Anno ſexto regni ſui, deſcendit Antiochus in Ægyptum, prætexens ſe filiorum *Anni Mundi.*
regis Ptolomæi tutorem fore (Regina enim Cleopatra ſoror erat Antiochi) Sed ſub
hoc prætextu, regnum Ægypti ſuo adijcere quærebat. Potitus itaq; cætera Ægypto, 3795.
relicta Memphi, maiori Ptolomæo, qui dicebatur Philometor: ipſe præſidijs in vr- *Dan. 11.*
bibus alijs collocatis, & præcipue Peluſij validiſsimo relicto, vt clauſtra Ægypti te- *Dani. 8.*
neret, in Syriam receſsit. Et in reditu ex Ægypto in Syriam, ad Hieroſolymam exer- *Et cùm*
citum duxit, eamq; ſine omni conflictione cepit. Nam Menelaus nihil hoſtile ti- *pax ſpera-*
mens, ei portas aperuit. Ingreſſus ergo rex ciuitatem, potentiſsimos quosque Iudæ- *bitur, occi-*
orum interfecit, ac facultates eorum diripuit. *det plu- rimo.*

Biennio exacto, cùm Ptolomæus Philometor iam adoleuerat, & cognita frau- 3797.
de Antiochi, præſidia locis aliquibus expulerat, atq; à Romanis auxilium aduerſus
vim Antiochi petiuerat, adeò eſt commotus Antiochus, vt animo acerbiſsimo in-
feſtiſsimoq; bellum contra Ptolemæum pararet. Cyprum ex templò claſſem miſit
ipſe primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœle Syriam proceſsit, inde in
Ægyptum ad Alexandriam modicis itineribus deſcendit. Cumq; ad Leuſinem
transgreſſo Nilo, qui locus non procul ab Alexandria abeſt, veniſſet: occurrerunt
ei Legati Romani, Quos cum aduenientes ſalutaſſet, dextramq; Popillio porrigeret,
tabellas ei Popilius ſcriptum habentes tradit, atque omnium primùm id legere iu-
bet. Quibus perlectis, cùm ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſi-
bi eſſet, dixiſſet: Popilius pro cætera aſperitate animi, virga quam in manu gerebat
circumſcripſit Regem, ac, Priuſquàm hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum,
Senatui quod referam. Obſtupefactus tam violento imperio rex, parumper cùm
hæſitaſſet, Faciam, inquit, quod cenſet Senatus. Et furibundus Ægypto excedit,
(T. Liuius lib. 5. decad. 5. Iuſt. lib. 34. Ioſeph. lib. 12. cap. 6. Atque in hoc reditu, mi-
ſit principem exercitus ſui Hieroſolymam, qui Templum DOMINI omnibus vaſis,
ornamentis aureis, & precioſis ſpoliauit, abominandumq; Idolum Iovis Olympij
in templo domini Dei altiſsimi erexit: Ac Iudæos patrias & ſanctas leges relin-
quere præcepit: præſidia ſceleſtiſsimorum hominum in arcem poſuit, qui pios ho-
mines, legem Dei ſanctam abijcere nolentes, crudeliter necarent. Et vt paucis di-
cam, talem tyrannidem & crudelitatem exercuit, qualem nullis ſcriptis ſatis expli- *Dan. 11. Populus*
care poſſumus. Extant libri Machabæorum his de rebus ſcripti, quos potes conſulere. *autem*

Poſt hæc Antiochus præfectos ſuos, in omnes fines terræ Iudæorum miſit, qui *ſciens*
populum Iudaicam legem Dei relinquere cogerent. Sed MATATHIAS ſacerdos, *Deum*
vir pietate clarus, congregatis vndique fidelibus, adverſus Antiochi duces arma cor- *ſuum ob-*
ripiens, patrias leges vindicauit. Et cùm vno anno præfuiſſet populo, vita exceſsit. *tinebit & faciet &c.*

Anno ſequenti, qui erat 146. poſtquàm in Syria Græci regnare cœperant, ſur- 3799.
rexit Iudas MACHABAEVS Matathiæ filius, & iuuantibus ſe prono animo fratri- *Hic Apol*
bus, cæteriſq; pijs, qui patri ſuo adhæſerant, hoſtes prouincia expellere cœpit (1. Ma- *lonius*
cha. 2. & 3. Ioſeph lib. 12. cap. 7.) APOLLONIVS verò Dux Antiochi, valido *quam cha-*
collecto exercitu, primus contra Machabæum in aciem deſcendit à quo etiam pri- *rus fuerit*
mus cum omnibus ſuis copijs occidione occiſus eſt. Poſt hunc deſcendit SERON, *Antiocho*
alius Antiochi Dux, adverſus Iudam, qui primo ſtatim congreſſu fuſus ac fugatus *docebit. T*
eſt, 1. Mach. 3. Ioſeph. 12. lib. 9. cap. &c. *Liuius lib. 2. decad. 5*

Altero poſtquàm hæc geſta ſunt anno, profectus eſt Antiochus Epiphanes in
Perſidem, ut pecunias, ad ſuſtentandum contra Iudæos bellum, graui exactione co-
geret. Præfecit autem regno Syriæ Lyſiam, cui quoq; exercitum, quem paratum

 habebat

Anni Mundi.

habebat, cum mandatis de extirpandis Iudæis, tradidit. Hic Lyſias miſit Ducen
quendam, GORGIAM nomine, in Iudæam, cui obuiam factus Machabæus, cum
haud longè à principio lib. cum exercitu in fugam vertit, ac caſtris exuit. Ceciderunt in eo prælio de Syriorum
exercitu hominum tria millia, 1. Macha. 4. Ioſeph. 12. lib. 10. cap.

Sequenti anno, qui erat regni Syriaci centeſimus quadrageſimus octauus, con
3800. gregauit Lyſias exercitum ſexaginta quinq; millium virorum, & in aciem contr
3801. Iudam deſcendit, commiſſoq; prælio apud Bethzuram, amiſsis de exercitu quinq
millibus in fugam verſus eſt.

Poſt hanc victoriam Iudas cum exercitu lætabundus Hieroſolymam aſcendit
ac purgavit Templum Domini, ædificiaq; collapſa inſtaurauit, atq; ea, quæ ad ſa
crificandum neceſſaria erant, omnia reparauit noua. Et primum poſt deſolationen
ſacrificium obtulit, viceſimo quinto die menſis Casleu (cui apud nos reſpondet No
uember) eodem die, quo ante tres annos Idolon erat in templo collocatum.

His ſecundum legem peractis, cúm vndiq; gentes finitimæ ad delendos Iudæ
os conſpirarent, & paſsim eos crudeliter necarent, egreſſus eſt Machabæus cum ſui
copijs, & hoſtes vbicunq; locorum eos adortus eſt, vicit ac fugauit, ſuoſq; miſerè affli
ctos celerrimè liberauit, 1. Macha. 5.

Interea dum hæc geruntur, Antiochus grauiſsimo morbo correptus in Baby
lone decubuit: ac cùm nullum recuperandæ ſanitatis ſignum appareret, maximis &
corporis & animi cruciatibus, circa finem anni, vitam finiuit. Cauſæ mortis eius mi
ſerrimæ traduntur 1. Macha. cap. 6.

Accedamus nunc etiam ad Danielem, & videamus, quibus modis reliqua pro
3802. phetia, de hoc callidiſsimo crudeliſsimoq; Tyranno facta, ſit adimpleta. Sunt au
tem duo de hoc rege viſiones Danieli revelatæ.

Prima de hac beſtia viſio continetur octauo capite Danielis, in hunc modum
De vno autem ex eis, inquit (ſcilicet cornibus regni Græcorum, videlicet à regibu
Syriæ) egreſſum eſt cornu vnum modicum (Antiochus Epihanes, contemptus pri
mò, deiectus & humilis obſes Romæ) & factum eſt grande contra meridiem (Exer
citu enim maximo Ægyptum terruit, & in Romanorum fidem confugere adegit
& contra Orientem (Nam ad Elemaidem vſq; progreſſus eſt, &c.) & contra terran
deſiderabilem (hoc eſt, contra Iudæam, quemadmodum præcedentes hiſtoriæ plu
ſatis demonſtrant) Et crevit vſque ad exercitum cœli (hoc eſt, potentior factus e
populo Dei ſancto in Iſrael, Nam hos exercitum cœli vocat, & ſubiecit eos ſibi, &c.
& deiecit de exercitu & de ſtellis (id eſt ſanctiſsimos quoſque trucidauit) & eos con
culcauit. Et uſq; ad Principem exercitus creuit, & ab eo tulit diurnum ſacrificium, &
deiecit locum ſanctificationis eius. (Hæc intelliguntur, puto ex devaſtatione ſupr
indicata.) Tempus antem datum eſt ei contra diurnum ſacrificium, propte
peccata. (Audis cauſam, ob quam Deus permittit populum ſuum ab inimici
& hoſtibus ſuis, tam miſerè affligi) Et proſternetur veritas in terra (id eſt, popu
lus abijciet omnem Dei timorem, & legem, atque ad Græcorum ritus accedet
& faciet & proſperabitur (id eſt, Rex hæc & alia audens, non impedietur, ſed quod
cunque propoſuerit facere contra Iudæos, efficiet) Hæc tamen eius crudelitas no
vſque adeò erit diuturna. Nam poſtquàm cœpta fuerit, erunt dies bis mill
trecenti, & mundabitur ſanctuarium. Cùm enim ſe contra Principem princi
pum elevauerit, ſtatuto ſuo tempore ſine manu conteretur. Tempus auten
quod hîc deſcribitur, ſex annorum, trium menſium & dierum viginti eſt, ex

quo

 Anni Mundi.

quo Antiochi calliditas in furorem verſa, omnia diuina ac humaana crudeliter deuaſtare cœpit (Fecit enim initium ſuæ crudelitatis eo anno, quo in Ægyptum primum expeditionem fecit, de qua ſuprà, &c.) Finito itaq; tempore à Deo præſcripto, mors repentina immanitatis eius finem fecit. Altera de hoc Tyranno prophetia, extat Danielis vndecimo, quæ multò hac illuſtrius depingit eius Tyrannidem. Sed quia plurimis verbis ſcripta,& non tantùm ad hunc Antiochum, ſed etiam ad Antichriſtum, paſsim à doctoribus refertur, conſultò, hîc eam omiſimus. Eſt autem prophetia illa per ſe facilis intellectu, cognitis præcedentibus hiſtorijs, quatenus ad Antiochum referri poteſt. Hoc tamen annotandum puto,vbi textus ait, Et venient naues Cithijm ſuper eum, & reuertetur &c. ibi legationem Romanorum ex Macedonia (quam Hebræi, vt 1. lib. Machabæorum docet, regionem Cithijm vocant) ad Antiochum miſſam ſignificari, qua de re ſuprà anno mundi 3797. Nam Popilius ex Macedonia in Ægyptum traiecit, vt Liuius tradit lib. 45.

Anno Græcorum in Syria 150. obſedit Iudas Machabæus arcem Sion in Hieruſalem. Audito verò quod Antiochus Eupator, filius Epiphanis, magnis copijs in Iudæam deſcenderet,obſidionem ſoluit, & aduerſus eum in prælium aſcendit. At cùm magnum nimis Eupatoris exercitum, copijs tam exiguis proſternere diffideret: reuerſus eſt poſt primam pugnam Hieroſolymas, quas mox inſequens, Eupatoris exercitus obſidione cinxit. Eupator autem cùm ex Lyſia, Philippum regnum eius inuadere, cognouiſſet, pace cum Iuda facta, copias contra Philippum ducere feſtinauit. Viſis verò templi munitionibus, quòd eſſent inexpugnabiles, pactis non ſtetit: ſed impudenter muros templo circundatos dirui iuſsit. Deinde contra Philippum aſcendit in Syriam, ſecum ducens ſceleſtiſsimum ſacerdotem Menelaum, omnium malorum caput: qui poſtquàm duodecim annos pontificatum obtinuiſſet, apud Beroeam vrbem Syriæ interfectus eſt, 1. Macha. 6. *I*oſeph: lib. 12. cap. 14. Menelao interempto, ſacerdotium inuadit Alcimus, qui non melior Menelao, plurimorum quoq; malorum autor fuit. 3803.

Anno ſequenti, qui fuit regni Græcorum in Syria 151. venit DEMETRIVS SOTER, frater Antiochi Epihanis, cùm Roma, vbi obſes fuerat, aufugiſſet, in Syriam: cumq; ingreſſus eſſet Tyrum ciuitatem maritimam, milites Antiochum Epiphanis filium, & Liſiam compræhenderunt, vt viuos eos ad Demetrium adducerent, Quos Demetrius in conſpectum ſuum venire prohibuit, militibusq; necandos commendauit. Occiſus eſt ergo Antiochus Eupator, cùm regnaſſet duobus annis. Dum hæc geruntur, Onias filius Oniæ pontificis,quem Iuſtum appellant, cùm videret Iudæam miſerè affligi, & bellicis tumultibus vndiq; diuexari, fugit in Ægyptum ad Philometorem, Et impetrato ibi loco in Heliopoli, ædificauit templum ad ſimilitudinem illius, quod erat Hieroſolymæ, aſſerens ad defendendam hanc Idolatriam, dictum Iſaiæ 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti &c. cùm tamen Iſaias in eo loco, tantùm de regno Chriſti, & illo ſpirituali &c. loquatur. Vide Ioſeph. lib. 13. ca. 4. 3804.

Demetrius autem cùm regnum Syriæ obtineret, miſit BACHIDEM & ALCIMVM ſacerdotem contra Machabæum in Iudæam, Alcimus ſe amicum Iudæorum ſimulans, fraude Hieroſolymam ingreſſus eſt, ibiq; principes ſexaginta viros vno die interfecit, congregauitq; magnam impiorum, qui legem Dei abnegauerant,multitudinem, li plagam magnā fecerunt in Iſrael, Sed Iudas aduertens omnia mala,

Anni Mundi

mala, quibus affligebant,pios,deſcendit in omnem Iudææ regionem,ſternens,inter-
ficiens, & depellens Legis aduerſarios. Videns ergo Alcimus, quòd vinceretur
pijs, rurſus ad Regem Demetrium acceſsit, auxiliumq; contra Machabæum petiuit
Demetrius NICANOREM ducem ſuum ex templò cum exercitu miſit, qui cùm
Hieroſolymam, ſimulata amicitia, ingreſſus eſſet,ſtuduit Iudam dolo compræhen-
dere: ſed retectis Iudas inſidijs fugit, exercitumq; breui tempore collegit. Nicano
cùm blaſphemaſſet Deum, & contra templum Domini atrociſsimas minas protu-
liſſet, adverſus Iudam deſcendit ad Bethoron, ibiq; commiſſo prælio primus cec-
dit: reliquus exercitus, amiſſo duce,in fuga ad vnum interemptus eſt. His ita tran-
actis Iudas cum Romanis amicitiam ac ſocietatem fecit. Hæc itaq; eo anno geſt
ſunt.

3805. Anno verò qui ſequebatur, & Syriaci regni erat 152. menſo primo, qui e
Martius, deſcenderunt contra Iudam,Bachides & Alcimus, & præualuerunt in præ
lio, & interfecerunt Iudam, cùm principatum obtinuiſſet 6. annis 1. Macha. 9. Hui
interfecto mox ſufficitur frater IONATHAS, qui Iudæis præfuit annis decem &
octo. Atq; hic Ionathas in principio ſui principatus, Bachidem, cui ſe tota Iudæ
iam dederat,ad Iordanem fluuium vicit. Atq; hæc anni huius geſta circa Syriam &
Iudæam feruntur.

Anno 153. menſe ſecundo, hoc eſt, Aprili, præcepit Alcimus deſtrui muro
3806. Domus ſanctæ interioris, & dirui opera Prophetarum. Cumq; iam domoliri co
piſſet, paralyſi à Deo percuſsus mortuus eſt, ſacerdotij ſui anno quarto. Poſt mor
tem Alcimi reuerſus eſt Bachides ad regem, quieuit Iudæa annis duobus, 1. Mach
3808. 9. Ioſeph.lib. 13. cap. 1. Tertio poſt hæc anno,is erat regni Syriæ centeſimus quin
quageſimus quintus, Bachides iterum magno cum exercitu in Iudæam venit,& ob
ſedit Ionathan cum Simone in Bethbeſſen. Sed à Ionatha callidè circumuentus
pacem cum eo facere compulſus eſt. Poſt hanc expeditionem non reuerſus eſt Ba
chides in Iudæam, & ceſſauit gladius ex Iſrael,habitauitq; Ionathas in Machmas &
iudicauit populum, & extirpauit impios ex Iſrael, 1. Macha. 9.

Anno regni Græcorum in Syria 160. principatus autem Ionathæ nono, ven
3813. ALEXANDER EPIPHANES filius Antiochi, in Ptolemaidem,& regnauit ibi,con
tra quem Demetrius magnum exercitum comparauit. Et ne Ionathas ad Alexan
drum deficeret, conceſsit ei Demetrius liberè parare exercitus, & arma curare, ei
obſides quos habebat reddidit,ac muros reficere permiſit. Alexander verò audien
Ionathæ famam, SVMMVM Sacerdotem eum conſtituit, quo beneficio Ionatha
ita ſibi deuinxit, vt Demetrius multis & magnis largitionibus apud eum, nihil om
ninò efficere poſſet. IONATHAS igitur ſummum ſacerdotium hoc anno accepit
menſe ſeptimo, in die ſolenni Sceno pegiæ, 1. Macha. 10.

Poſt hæc cùm magnum Alexander exercitum collegiſſet, cum Demetrio co
greditur, & vſq; ad noctem protracto prælio,Demetrius interijt, poſtquàm regna
ſet annos decem. Iuſtinus lib. 35. dicit hunc Alexandrum fuiſſe hominem obſc
ro genere natum, Prompalum nomine, & ab Ariarathe Cappadociæ, Attalo Aſi
& Ptolemæo Ægypti regibus ſubornatum, vt ſe filium Antiochi mentiretur, at
Demetrij regnum inuaderet &c.

Porrò cùm Alexander Syriæ regnum obtinuiſſet, deſpondit ei Ptolemæu
3814. Philometor filiam ſuam Cleopatram in Ptolemaide. Ionathas ad nuptias inuita
tus, multis honoribus ab vtriſq; regibus affectus eſt, anno regni Syriaci 162.

Ann

Anno 165 venit Demetrius, eius, qui ab Alexandro victus, filius, in Syriam, & auxilio Cretenſium occupauit vrbes aliquot. Deinde conſtituit ducem in Cæle-Syria Apollonium, qui nimis ſibi confidens, aduerſus Ionathan exercitum eduxit, à quo tandem ſumma virtute celeriter victus eſt. Multas vrbes in ea expeditione Ionathas cepit. Templum Dagon, olim Philiſtæorum Dei, quod erat in Azoto, vnà cum vrbe incendit. Hoſtium ad octo millia cæde & incendio perierunt, 1. Macha. 10. 3818.
Interiecto tempore Ptolemæus plurimis contractis copijs aſcendit in Syriam, vbi ei ſine mora, in omnibus ciuitatibus, quæ hoſtile nihil timebant, portæ patuerunt, in quibus præſidia reliquit, atq; totum Alexandri generi ſui regnum, ſuo adijcere quæſiuit. Ac filiam ſuam Alexandro abſtulit, & Demetrio vxorem dedit. Commotus itaq; Alexandro hoc nefando ſoceri ſui, quem ſibi fidiſsimum crediderat, ſcelere, animo magis irato, quàm copijs inſtructus, aduerſus eum, ex Cilicia, in qua motus quoſdam ſeditioſorum ſedauerat, in aciem deſcendit. Ac prælio haud timidè ab vtraq; parte inito, Alexander ob ſuorum paucitatem victus, fuga ſalutem quærere coactus eſt. Quam tamen nec hoc modo inuenire potuit. Cùm enim in Zabdielis Arabum regis fidem confugiſſet, ab eo, vt Ptolemæo gratificaretur, decollatus eſt. Arabs caput Alexandri ad Ptolomæum miſit, qui tunc diademata duo Ægypti & Syriæ ſibi impoſuerat: Sed non diu his honoribus fretus. Tertio namq; die, poſt quàm acceperat Alexandri caput, fato defunctus eſt. Syri omnia eius præſidia, paſſim in vrbibus collocata, trucidauerunt, ac Demetrium Nicanorem, qui vxorem Alexandri Ptolomæi filiam duxerat, in regnum ſuſceperunt, 1. Mach. 11. Ioſeph. lib. 13. cap. 7. pulchrè hoc bellum deſcribit, quem potes conſulere.

Cæterùm Philometore, vt dictum eſt, defuncto, frater eius Ægypti regnum accepit, qui dictus eſt PTOLEMAEVS EVERGETES II. & ob corporis deformitatem PHISCON cognominatus. Fuit is immanis & crudelis beſtia, ita ut contra omnem naturæ legem, canino more, cum ſorore, & ex eadem concepta filia corpus miſcuerit, ac filios proprios, à quo facinore etiam crudeliſsima quæque beſtiarum abhorret, ſuis ipſius manibus immaniſsimè trucidarit, diſſecuerit, atque vxori epulandos propoſuerit. 3819.

Anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo, principatus verò Ionathæ decimo ſexto, obſedit Ionathas arcem Sion: ſed à Demetrio in Ptolomaidem vocatus, cúm gratiam coram eo inueniſſet, libertate, cum omnibus quæ ad Iudæam pertinebant, donatus eſt. Præſidium tamen ex arce non eſt deductum. 1. Macha. 11. Ioſeph. lib. 13. cap. 7. Porrò Demetrius cúm in circuitu regni ſui nullum bellum timeret, exercitum domeſticum omnem dimiſit: qua de cauſa omnes eum milites odio habere cœperunt. Cumq; anno proximè ſequenti, qui fuit regni Græcorum in Syria annus 168. veniſſet Antichochus Sedetes, quem Ioſephus lib. 13. cap. 10. etiam Theon vocat, cum duce Tryphone, omnis exercitus ad eum defecit. Quo celeriter inſtructus Antiochus, cum Demetrio ſine mora congreſſus, deſertum à militibus, toto regno exuit. Poſt hæc regnauit in Antiocha, & Ionathæ Iudæorum Pontifici omnia, quæ à prioribus regibus erant conceſſa, confirmauit. Simonem, fratrem Ionathæ, omni regioni à Tyro uſque ad Ægyptum præfecit. Ionathas adverſus alienigenas, qui Iudæam vaſtabant, bellum ſuſcepit, atque eos tota Iudæa expulit. Poſtea cum Romanis & Spartiatis amicitias ac fœdera renouauit. Poſtremò cum Demetrij ducibus, ad Eleutherum fluuium, congredi paratus fuit: qui timore perculſi, noctu receſſerunt. Mane facto Ionathas 3820. 3821.

Anni Mundi

Ionathas cùm hoſtes fugiſſe intelligeret, bellum in Arabiam tranſtulit, Zabadæos
vicit, & omnem inde regionem vſq; ad Damaſcum peruaſtauit.
Sequenti anno SIMON Aſcalonem & Ioppen oppida valdê munita occupa-
3822, uit. His ita compoſitis, muros Hieroſolymæ reædificare, aliaq; Iudææ loca munire
cœperunt. In fine anni Ionathas inſidijs circumuentus, à Tryphone occiditur, cum
præfuiſſet Iudæis annis decem & octo. Huic à Iudæis ſuffectus eſt SIMON frater ei-
us, qui Sacerdotium & principatum obtinuit pacificè annis octo, 1. Mach. 11. cap. &c.
3823, TRYPHON cùm anno regni Siriaci 170 quo & Ionathan interfecerat, in Sy-
riam reditum pararet, nefariè Antiochum Dominum ſuum interemit, & aſſumpt
diademate regnauit. Demetrias verò in Cilicia agens, atq; de his certior factus, cum
Simone amicitiam & pacem fecit, ne ſibi cum duobus bellum eſſet, in repetend
Siriæ regno. Interea Simon Gazam expugnauit, & ab Idolis purgauit: habitatore
in ea conſtituit, qui obſervarent legem Dei &c. Altero poſt hæc anno occupauit ar
cem Sion, ac mundauit eam à contaminationibus, & intrauit in eam tertia & vice
ſima die menſis Aprilis, & habitauit ibi. Filium quoq; Iohannem, qui dicitur Hirca
nus, conſtituit Ducem totius regionis Iudææ, qui habitauit in Gazaris.
Anno 172. congregauit Demetrius ingentem exercitum, & profectus eſt i
3825, orientales regiones, vt auctis inde copijs, Tryphonem facilius Syria pellere poſſe
Populi verò Orientis, pertæſi Arſacidæ regis Parthorum crudelitatis, non inuiti D
metrium acceperunt. Itaq; cùm & Perſarum, Elimæorum Bactrianorumq; auxili
iuuaretur, multis prælijs Parhos fudit. Ad poſtremum tamen, pacis ſimulatione d
ceptus, captus, & in cuſtodiam miſſus eſt. 1. Macha. 14 Iuſt. lib. 36. Cleopatra ver
Demetrij vxor, cum in Seleuca eſſet, & Tryphonis crudelitatem, quam in ſubdit
exercebat, audiret accerſiuit fratrem Demetrij Antiochum, dictus eſt SOTE
vel PIVS, eumq; in matrimonium acceptum, regem conſtituit. Hic Antioch
3827, anno Græcorum 274 collectis copijs in Syriam deſcendit: ad cuius aduentum om
nis exercitus à Tryphone diſceſsit, ita vt pauci cum eo reliquerentur. Fugau
ergò eum Antiochus vſq; ad Doram caſtellum Phæniciæ, ex quo cùm poſt longa
obſidionem fugam pararet, ad Apamæam in auguſtia quadam concluſus, ad
ipſius internecionem compulſus eſt. Regnauit Tryphon annis tribus, 1. Mach.
Ioſeph. lib 13. cap. 11. Strabo lib. 14. Antiochus occupato Siriæ regno, CEND
BEVM contra Simonem in Iudæam miſit, cui obuiam facti ſunt filij Simonis Iud
& Iohannes, qui dictus eſt Hyrcanus, comiſſoq; prælio victores extiterunt, & quieta
reddiderunt terram, 1. Macha. 15.
Anno 177. menſe vndecimo, Simon Iudæorum Dux & ſummus Pontifex,
3830, genero Ptolemæo, terræ Ierichus præfecto, dolo interfectus eſt, in conuiuio, cùm
præfuiſſet populo annis octo. Patri Simoni ſucceſit Iohannes Hyrcanus, qui ſum
ma cum laude præfuit populo annis 31. Ioſephus lib. 13. cap. 17.
Antiochus ægrè ferens exercitus ſui cladem, quam ſub Simone acceperat, ru
3831, ſus forti collecta manu Iudæam vaſtare cœpit. Hyrcanum Hieroſolymis concluſ
Accepta tandem pecunia, obſidionem ſoluit. In hac obſidione Antiochus Pij n
men meruit. Nam cum in feſto Tabernaculorum, hoſtias cæderent Iudæi, ſacri
cantes, hoſtium more non tantùm non impediuit: ſed etiam taurum eis optimè ſag
natum in holocauſtum miſit. Hac eius pietate moti ſunt Iudæi, vt absq; omni de
beratione ſeſe pecunia ab eo liberarent. Hyrcanus aperto Dauidis ſepulchro, inge
tes theſauros inuenit. Ioſeph. lib. 13. cap. 15.

Ann

Anni Mundi.

Anno duodecimo regni ſui profectus eſt Antiochus contra Parthorum regem Phrahartem, auxiliares habens multos Iudæos: & cùm toto ferè Parthorum regno potitus eſſet, cùm exercitum in hyberna diuiſiſſet, ab ipſo Phraharte aggreſſus inte- 2839.
riit. Ioſeph. lib. vt ſuprà Iuſtinus 38.

Anno ſequenti, qui fuit vrbis Romæ 617. venit Demetrius (qui à Parthorum 3840.
rege Arſacida ante 13. annos captus fuerat, & in ipſa captiuitate, multos honores à Barbaris acceperat, filiamq; regis Parthorum loco vxoris habuerat) in Syriam, & regnauit ibi annis quatuor.

Anno deinde quarto, Is fuit vrbis Romæ, annus 630. cùm Demetrius exercitum contra Hyrcanum parare inſtitueret, Syri propter innatam eius ſuperbiam, 3843.
ab eo defecerunt, & ad Ptolemæum Ægypti miſerunt, vt eis regem ex Seleuci progenie natum daret. Qui miſit ALEXANDRVM ZEBENNAM cum exercitu magno. Is pugna commiſſa, Demetrium ſuperauit, & in fuga oppreſsit. Occupato itaq; & confirmato Syriæ regno, biennio id cum pace tenuit. Deinde ex proſpero ſucceſſu rerum (vt rebus ſecundis fieri ſolet) inflatus, ſpernere iam etiam ipſum Ptolemæum, à quo ſummis honoribus affectus erat, ſuperbia & inſolentia cœpit. Itaq; Ptolemæus acquiſita prius ſororis Cleopatræ gratia, quam Demetrius & Antiochus fratres vxorem habuerant, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii viribus ſuis adeptus erat, ſummis operibus inſtituit. Et Antiocho GRYPHO, qui iam à matre rex conſtitutus erat, auxilia mittit Commiſſoq; prælio, victus Alexander Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cùm militibus ſtipendia deeſſent, templum Iouis ſpoliare conatus, depræhenſus in ſacrilegio, concurſu multitudinis in fugam verſus eſt. Ab omnibus ergo deſertus, ſolus à latronibus captus, perductusq; ad GRYPHVM interficitur. Iuſtin. 39.

Anno vrbis Romæ 640. regni verò Gryphi octauo, Antiochus cui ab vrbe Cyzyco, in qua enutritus erat, CYZICENO cognomen fuit, contra fratrem Gry- 3852.
phum exurgit. Et ab hoc tempore, bellicis tumultibus agitatum eſt regnum Syriæ, cùm fratres & fratrum filii inter ſe de imperio certarent: donec Romanorum prouincia facta eſt. His temporibus cùm Iohannes Hyrcanus domi pacem haberet, & à regibus Syriæ, qui inter ſe diſcordes erant, eſſet liber, quibusq; iam poſt Antiochi 3855.
Pii mortem, nullum vectigal reddidiſſet, magnas opes colligere cœpit. Ac Samariam, quæ rurſus à Iudæis defecerat, grauiſsima obſidione cinxit. Samaritæ cùm fame duriſsima premerentur, ab Antiocho Cyziceno auxilio petiuerunt, qui primùm vt venit, ab Ariſtobulo Hyrcani filio, quem pater obſidioni præfecerat, cum exercitu in fugam verſus eſt. Samaria poſt obſidionem annuam capta, ſolo æquata eſt. Ioſeph. lib. 13. cap. 17.

Anno vrbis Romæ 650. mortuus eſt Iohannes Hyrcanus, poſtquàm 31. annis præfuiſſet Iudæis. Poſt mortem eius ſuſcepit principatum & ſacerdotium ARI- 3862.
STOBVLVS Iohannis filius. Hic primus poſt Babylonicam captiuitatem, ex Iudæorum principibus, diademate & regiis honoribus vſus eſt. Fuit homo crudelis erga cognatos: matrem & captiuos fratres tenuit: Antigonum fratrem germanum, quem eſſe regni participem paulò antè voluerat, ſine omni euidenti cauſa nefariè interfici iuſsit. Iudæorum tamen rempublicam interea auxit. Mortuus eſt regni ſui anno primo. Defuncto Ariſtobulo, vxor eius SALOME fratres mariti è vinculis liberauit, & IAMNEVM ALEXANDRVM regem conſtituit. Hic vt primùm regiam dignitatem accepit, fratrem æmulum è medio tulit. Tam iniqua res eſt regnandi cupido, vt ſimilem ſui æquo animo nunquam perferre poſsit.

 Anno

Anni Mundi.

3865. Anno tertio huius Alexandri,qui fuit annis vrbis 653.Cleopatra regina Ægy-pti,filium Ptolemæum Lathurum regno pellit, adempta ei ſorore, quam matri-monio iunctam habuerat. Hanc Alexandro natu minori filio ſuo,quem fratris lo-co in regnum aſſciuerat, vxorem dedit. Lathurus in Cyprum fugit. Neq; Alexan-der diu cum matre regnauit. Timens enim crudelitatem eius, relicta & matre & vxore clàm aufugit. Regnauit Cleopatra expulſis filiis ferè 10. annis. Dum hæc geruntur, Alexander Iudæorum rex, confirmato regno, rebusq; publicis, ita vt fa erat, diſpoſitis contra Ptolemaidem & Gazam, quæ à Iudæis rurſus defecerant, ex-peditionem fecit, & in principio belli Ptolemaidem obſedit. Ptolemaitæ cùm nul-lum ab Antiochis, qui inter ſe de imperio certabant, auxilium ſperare poſſent: ora-tum ad Ptolemæum Lathurum in Cyprum legatos miſerunt, vt quàm celerrime poſſet, eis auxilio veniret. Ptolemæus accepta ſpe recuperandi paternum regnum cum triginta millibus inſtructus aduentabat. Sed priusquam in conſpectum Phœ-niciæ venit, Ptolemaitæ ſententiam mutauerunt. Alexander enim aduentu Pto-lemæi territus,obſidionem ſoluerat, & in Iudæam receſſerat. Quare cùm ampliu non indigerent auxilio, Ptolemæum ab vrbe arcebant. Qui cauſa tam iniqua, vt ipſi videbatur, motus, vrbem vix aduentu ſuo ab obſidione liberatam, denuò op-pugnauit, diuiſisq; copiis, partem ad Iudæam populandam miſit. Iis obuiam factu Alexander, ingentem ad Iordanis fluuium cladem accepit, &,vt, Ioſephus refert, ad triginta millia virorum eo prælio amiſit. Ptolemæus hac victoria elatus, crudeliter in oppreſſos ſæuire cœpit. Compulſus ergo extrema neceſsitate Alexander, Cleo-patræ Ægypti reginæ auxilium implorat: quæ,ne filius, ſubacta Iudæa, in Ægyptum irrumperet timens, valida eum manu in Cyprum recedere coëgit. Alexander hoc periculo liberatus, cum Cleopatra amicitiam fecit,& in Cœle Syriam exercitum du-xit. Gaderam vrbem munitam decem menſes obſeſſam cepit. Amathunta ma-gnum eorum, qui ſuper Iordanem habitant, propugnaculum expugnauit: in cuius oppugnatione, calliditate hoſtium ducis circumuentus, decem millia lectorum militum vnà cum præda amiſit: nihil tamen perterritus tanta accepta clade,ad ma-ritima loca progreſſus eſt. Raphiam & Antheodonem (quæ poſtea ab Herode A-grippiada vocata eſt) vi cepit. Poſthæc etiam Gazam obſedit & poſt multa prælia, poſt multas hoſtium eruptiones, eam per proditionem accepit, qua crudeliter di-ruta, Hieroſolymam reuerſus eſt. His gerendis ferè ſeptem annos conſumpſit Ale-xander. Ioſeph. antiq. lib. 13. cap. 19.

3874. Anno deinde vrbis Romæ 662.interfectus eſt Antiochus Gryphus, per inſidi-as Herodiani,poſtquàm regnaſſet annis 29. Huic ſucceſsit filius Seleucus, qui fratrem patris Antiochum Cyzicenum bello vicit, victumq; trucidauit. Huius deinde fi-lius, breui elapſo tempore, adiuuante Antonio pio, cum Seleuco prælium commi-ſit,eumq; tota Syria expulit Fugiens hinc in Ciliciam,cum graue tributum à popu-lis exigeret,à ſubditis in palatio ſuo vnà cum amicis concrematus eſt. Hoc motu vix ſedato, venit Antiochus Seleuci frater Philippus, aſſumptis ſibi regalibus or-namentis, in aliqua parte Syriæ regnauit. Ptolemæus verò, quem mater olim Ægypto pepulerat, & in regnum, anno vrbis Romæ 663. reuocatus erat, quartum fratrem Demetrium Eucerum, à Gnido Damaſcum duxit, ibiq; regem conſtituit. His duobus fratribus cùm pertinacius reſiſteret Antiochus, occiditur. Syriam itaq; obtinuerunt Demetrius & Philippus fratres.

Dum

Anni Mundi.

Dum hæ mutationes & conflictus fratrum, & ipſorum filiorum, in Syria exiſterent, multa quoq; à ſuis paſſus eſt Alexander Iudæorum rex. Maxima enim populi multitudo ab eo defecit, quibus cùm fortius reſiſteret, confugere eos ad exterorum auxilia compulit. Nam cùm ſummis in anguſtiis eſſent conſtituti, Demetrii Syriæ regis vicini fidem implorauerunt. Qui cauſam inuadendi Iudæorum regnum nactus, magno cum exercitu Alexandrum petit. Sed & Alexander non minori manu cum Demetrio decernens, facile victoriam obtinuit, hoſteſq; cæſos fugatoſq; prouincia expulit. Collectis inde Demetrius ex fuga militibus, ad Beroeam vrbem progreſſus, Philippum fratrem obſedit, qui Parthorum auxilio liberatus eſt. Parthi Demetrium captum, in Parthiam abduxerunt, vbi ad vitæ finem vſque, magno cum honore fuit. Poſt hæc venit Philippus in Antiochiam, & toto Syriæ regno potitus eſt. Obtinente itaque Philippo Syriæ regnum, venit Antiochus, cui Liber Pater cognomentum fuit, & principatum in Damaſco accepit. Hic quoque Alexandrum Iudæorum regem bello laceſsiuit. Sed quia Alexander huic pugnandi copiam non daret, ad Arabas progreſſus, ab eis in pugna interfectus eſt. Poſt hunc regnauit in inferiori Syria Aretes, qui ſimiliter Alexandro bellum intulit: ſed accepta pecunia in Damaſci regnum receſsit. Ioſephus lib. 13. cap. 21. Cùm ita inter ſe digladiarentur, & de imperio certarent fratres, ipſorumq; Filii: coacti ſunt Syri, ſpretis ſuis ipſorum regibus, ſeſe in externam tutelam committere. Ideo in regnum vocauerunt Tygranem Armeniæ regem, qui cum pace eis præfuit annis octodecim. Interim reguli Syriaci in angulis delituerunt, nullum motum excitare valentes, donec tandem victo Tygrane, tota Syria Romanorum prouincia facta, & his omnis de regno potiundo ſpes adempta fuit. Is Tygranes cùm Syriæ regnum octo annis 3892.
obtinuiſſet, ingentem ab Armenijs in Syriam exercitum duxit, ea ſpe ac propoſito, vt totius Palæſtinæ populos ſubigeret. Audito verò, Lucullum poſt deuictum Mithridatem Ponti regem, Armeniam populari, re infecta, ad ſua defendenda recedere coactus eſt.

Anno poſt hæc tertio, is fuit annus vrbis 683. L. Lucullus Tygranem apud 3895.
Artaxa vicit, qua victoria vix vlla Romanorum clarior fuit, De qua Plutarchus in Lucullo. Hoc rege ſuperato, Lucullus Antiochum Cyziceni iunioris filium, qui in Cilicia his annis, quibus Tygranes regnauit, delituerat regem Syriæ appellauit. Sed Pompeius cùm in Syriam veniſſet, rurſus ei regnum ademit, ac Romanorum prouinciam fecit. Iuſt. 40.

QVOMODO HIEROSOLYMA à POMPEIO CAPTA, IVDAEIQVE ROMAnis ſubiecti ſunt.

ARiſtobulus Alexandri Iudæorum regis filius, Hyrcani, qui matre regnante Sa- 3902.
cerdotium obtinuerat, frater, cùm defuncta Alexandra Hyrcanum principatu cedere compuliſſet, tribus annis regnum abſque omni moleſtia obtinuit. Quartò verò incunte anno, qui fuit vrbis Romæ 690. Antipater Idumæus, vir præpotens & diues, pater Herodis, qui poſtea Iudæorum Rex à Romanis dictus eſt, perſuaſit Hyrcano, vt ad Aretam regem Arabum fugeret, eumq; ſollicitaret, vt eius auxilio in regnum reſtitueretur. Re itaque clam vtrinque compoſita, Antipater cum Hyrcano noctu in Arabiam fugit. Rex Areta quinquaginta millia lectorum militum, contra

Ariſto-

Ariſtobulum in Iudæam cum Hyrcano miſit. Ariſtobulus autem, quia tantis copijs reſiſtere non poterat, Hieroſolymis ſe continuit: ac dubio procul cum vrbe captus eſſet, niſi Scaurus Pompeji Magni Legatus, qui tum in Damaſco ſtatiua habebat, & ab Ariſtobulo pecunia corruptus erat (ab eo enim quadringenta, vt Ioſephus ait, talenta acceperat) Antipatrum, Hyrcanum, regemq; Arabum obſidionem ſoluere coegiſſet. Nam ni mox diſcederent, pro Romanorum hoſtibus eos ſe habiturum minitabatur. Hyrcanus igitur hac ſpe fraudatus, ad Pompeium fugit, inq; ipſius fidem ſe cum Antipatro commiſit. Pompeius vtramq; partem audiens, ſuperbiam & iniuriam Ariſtobuli agnoſcit, qui inflammato ira animo erga Pompeium, Hieroſolymam recedens, bellum Romanis inferre ſtatuerat. At priuſquam pararet ad bellum neceſſaria, à Pompeio Hieroſolymis obſeſſus eſt. Romanorum itaq; potentiam agnoſcens, ſuaſu amicorum ad Pompeium egreditur, & magnam ei pecuniæ ſummam promittit. Principes verò vrbis, qui alioqui ab Ariſtobuli partibus ſtabant, in hanc ſententiam ire detrectabant, pecuniamq; ſe Pompeio daturos manifeſtè negabant. Cumq; minus inter ſe conuenirent principes, relicto rege apud Pompeium, portas vrbes clauſerunt, & Pompeium introitu prohibuerunt: Qui ardens ira, Ariſtobulum in cuſtodiam miſit, vrbemq; Hieroſolymam magnis viribus oppugnare adortus eſt, qua à partibus Hyrcani tradita, Templum tertio menſe, poſt-
3903. quàm obſederat, expugnauit, Anno vrbis Romæ 691. M. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſs. anno Tertio Olympi. 179. His ita peractis, Hyrcanum ſummum ſacerdotem appellauit: & cùm omnes res in Syria & Aſia compoſuiſſet, Ariſtobulum cum filio vno & duabus filiabus (alter enim filius Alexander effugerat) in vincula coniectos, Romam abduxit. Atque hoc tempore Romanis primo ſubiecti ſunt Iudæi. Ioſeph. 1. lib. bell. Iud. cap. 5. Antiq. lib. 14 cap. 2. vſque ad 9.

Anno mox ſequenti venit Alexander filius Ariſtobuli, qui è vinculis elapſus
3904. fuerat, in Iudæam, ac multis breui tempore contractis copijs, paternum regnum recuperare ſperabat. Sed à Gabinio paulò momento victus, omni ſpe de regno potiundo excidit. Eodem anno aufugit Ariſtobulus Roma in Iudæam, & regnum iterùm affectabat, qui ab eodem Gabinio ſecundo captus & vinctus, Romam miſſus eſt. Ioſeph. lib. 14. cap. 10. 11. & 12.

Septimo deinceps poſtquàm hæc geſta ſunt anno, cùm Gabinius regem Ægypti Auletem, qui ab Alexandrinis eiectus erat, in regnum ex S. C. reduxiſſet, atq;
3911. inde in prouinciam (Syriæ enim præſidebat) reuerteretur, Iudæam iterùm tumultuantem inuenit. Nam Alexander filius Ariſtobuli ad XXX. M. Iudæorum collegerat, & Romanis reſiſtebat. Congreſſus itaque cum eo Gabinius vicit, & plus minus X. M. de exercitu Alexandri proſtrauit. Diſpoſitis deinde rebus Iudæorum, ſummam adminiſtrationem ANTIPATRO reliquit, & CRASSO ſucceſſori prouinciam tradidit. Hic Craſſus cùm ad bellum Parthicum proficiſceretur, pecunias ſacras, quas Pompeius victor vrbis, ne religionem pollueret, intactas reliquerat, ex templo Dei abſtulit. Sic ſenſim appropinquante Chriſto, Iudæorum res ſunt imminutæ.

COM

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER QVARTVS.

Anni Mundi.

Argvmentvm.

QVARTVS LIBER, INITIVM ROMANAE MONARchiæ, Herodis regnum, Hiſtoriam à natiuitate vſque ad reſurrectionem Chriſti, & tempus miſsi Spiritus ſancti, & alia quædam ſcitu digna & neceſſaria, præcipuè verò Iubilæi æterni à Chriſto annunciati & inchoati explicationem &c. Compendio tradit.

ANno vrbis Romæ 706. C. Iulius Cæſar oppreſſa Repub: Romanorum, Imperium, quod decem regnis ampliſsimis conſtabat, ſolus obtinuit. Imperij autem regna hæc fuerunt, Aphrica Ægyptus, Syria, Aſia, Græcia, Illyrica, Italia, Gallia,
Hiſpania & Britannia. Hæ regiones multa alia in ſe minora regna continebant, vt 3918.
ex Coſmographis facile videre licet. Sequenti anno Pompeius ex Pharſalica pugna in Ægyptum fugiens, à Ptolemæi tutoribus occiſus eſt. Cæſar Ægypti regem Ptolemæum ſuperauit. Ægypto potitus, regnum Cleopatræ conceſsit. In hoc bello Ægyptiaco egregia Antipatri parentis Herodis virtus apparuit. Multis enim ac præ-
claris factis ita ſibi deuinxit Cæſarem, vt ab eo in numerum ſummorum amico- 3919.
rum reponeretur. Hinc Cæſar nauigio in Syriam vectus, ſacerdotium Hyrcano confirmat, ac totius Iudæorum prouinciæ curam Antipatro, quem & ciuitate Romana donauit, commendat. Ioſeph. lib. 14. cap. 17.

Cæterùm Antipater, poſt diſceſſum Cæſaris, filios ſuos Iudæis præfecit. Maiorem natu Phaſelum Hieroſolymarum, Herodem verò, qui iam decimum quintum annum agebat, Galilææ ducem conſtituit. Hic cùm occaſionem exercendæ virtutis nactus eſſet, ſtatim excellentis & bellicoſi animi ſpecimen edidit. Latrones enim, qui duce Ezechia Syriam vaſtabant, deleuit & prouinciam à latrocinijs purgauit. Hoc facto ſummos ſibi Romanorum principes amicos fecit, & præcipuè Sextum Cæſarem, C. Iulij Cæſaris cognatum, qui Syriæ eo tempore præſidebat. Phaſelus frater Herodis non minore virtute præditus, ſimili cura & diligentia rempublicam Hieroſolymis adminiſtrabat: ita vt Antipatro, & propter ſuam & filiorum induſtriam, à plerisq; Iudæis ſummi honores vltrò ſint delati. Sed potentes hanc gloriam Antipatro inuidentes, effecerunt, vt Hyrcanus Herodem, ad dicendum pro capite cauſam Hieroſolymas vocaret. Quæ res ita exaſperauit Herodem, vt quo ad regno potitus eſt, potentibus Iudæorum inimicus eſſet. Et quàm primùm iudicio fuit abſolutus, Exercitum Hieroſolymam duxit: ſed patris & Phaſeli fratris aduentu mitigatus, in ſuam prouinciam receſsit. Ioſeph lib. 14. cap. 18.

Interea dum hæc in Iudæa geruntur, C. Cæſar Romæ in ſenatu, à Bruto & 3922.
Caſsio, ac quibuſdam alijs coniuratis nefariè occiditur, anno imperij ſui quinto. Mortem Caji Cæſaris diuina ſtatim vltio ſubſecuta eſt, quam & Deus varijs in aëre & in cœlo ſignis prænunciauit, inter quæ præcipua fuêre, Stella crinita horrendæ magnitudinis, quæ ſeptem noctes poſt necem Cæſaris, eximio fulgore, magno mortalium metu apparuit. Solis præterea lumen caligine obſeſſum. Toto namq; illius anni ſpacio pallens globus, & ſine ſplendore oriens, imbecillem & tenuem ex ſe calorem emittebat: inde aëris intemperies, maximaq; frugum cruditas extitit. Plutarchus in Vita Cæſaris, Plinius lib. 2. cap. 30.

Anni Mundi

Caſsius parricida, poſt perpetratum ſcelus, in Aſiam fugit, vt exercitum inde atq; pecunias cogeret. Ac cùm in Syriam perueniſſet, tributa à circumiacentibus populis exigere cœpit. Cùm aliquam prouinciæ partem, Antipatri filijs commiſiſſet, egregia Herodis induſtria apparuit. Nam cùm pater ei illas prouinciæ partes exigendas tradidiſſet, quas in reddendo tributo difficiliores putabat, prius præſcriptum pecuniæ numerum exegit, quàm reliqui exactores initium facerent. Hanc ob induſtriam Caſsio ſummus amicus factus eſt. Cùm tandem ſatis copioſum, Caſsius & Marcus Syriæ præfectus, exercitum collegiſſent, quem contra Antonium & Cæſarem Octauianum iuuenem (qui eo anno Imperator dictus eſt) ducerent: Herodem totius Syriæ ducem conſtituerunt, omnemq; claſſem Syriacam ei cum exercitu commiſerunt. Poſt hæc Malachus quidam Iudæus Antipatrum veneno per inſidias interfecit, & Iudæorum principatum ad ſe rapere conatus eſt. Sed Herodes hunc, breui tempore poſt commiſſum ſcelus, in littore maris apud Tyrum interfecit.

3923. Sequenti poſt hæc anno, qui fuit vrbis Romæ 711. C. Cæſar Octauianus Auguſtus Romanorum ſecundus Imperator, imperium accepit, & obtinuit annis 56. Primo imperij anno Antonium in Celtis ad Mutinam vicit, vbi vtriq; Coſs. interiere, quibus defunctis, ipſe Octauianus cum Q. Pedio Coſs. creatus eſt. Amicitiam cum Antonio & Lepido iniuit. Imperij regna inter ſe partiti ſunt. Deinde ſecundo imperij ſui anno, Auguſtus cum Antonio Caſsium & Brutum in Philippis vicit, qui ſibi ipſis mortem conſciuerunt. Hoc anno multi nobiles Romanorum proſcripti ſunt, & M. Cicero fons eloquentiæ Romanæ interfectus eſt.

Interea Antigonus Ariſtobuli Iudæorum regis filius, cùm videret Romanos bellis ciuilibus eſſe occupatos, non mediocrem recuperandi paterni regni ſpem concepit, atque exercitum breui tempore haud contemnendum collegit: Ptolemæiq; Minæi, ac Marionis Tyriorum Tyranni auxilijs adiutus, Iudæam inuadit. Herodes primùm ea loca, quæ Marion ceperat, rurſus ſubegit: Deinde cum Antigono congreſſus, eum vicit, fugauit, totaq; Iudæa, in qua iam altiora loca occupauerat, expulit. Hac victoria clarus Herodes Hieroſolymam venit, ibi coronas ei, tam Hyrcanus, quàm populus, virtutis præmium obtulerunt. Haud longè pòſt apud Antonium accuſatus, qui tum Aſiam ex pacto obtinebat, ſummam inuenit gratiam.
925. Et ſequenti anno (qui fuit vrbis Romæ 713.) Tetrarcha ordinatus, omnis ei Iudaicorum negociorum cura commiſſa eſt. Reſiſtentes Iudæorum primates ſecuri percuſsiſſet Antonius, ni Herodes pro ſalute ipſorum Antonio ſupplicaſſet. Sed cùm apud Tyrum pertinaciùs accuſarent coram Antonio Herodem, à Romanis militibus, annuente Antonio multi ſunt interfecti. Diſcedente hinc Antonio, venit Pacarus Parthorum rex, cum Barzafarne Satrapa, in Syriam, illectusq; ab Antigono qui magnam ei pecuniæ ſummam promittebat, Iudæis bellum infert. Captis tandem Hyrcano & Phaſelo fratre Herodis, & Herode fugato, Antigonum Iudæorum regem inſtituit: ipſe Hieroſolymis ſpoliatis & prouincia vaſtata, in regnum ſuum reuertitur.

Antigonus regno potitus, Hyrcano præſcidit aures, quò mutilatus ſacerdoti-
3929. um gerere amplius non poſſet. Phaſelus in Carcere omni ſpe libertatis recuperandæ adempta, continuis ictibus caput ad parietem colliđendo vitam finiuit. Herodes cùm miſerè fugitando nullum ſolatium inueniret, relictis mulieribus & amicis, quos fugiens ſecum abduxerat in Maſſada Idumææ caſtello, Romam ad Antonium pergit. Et atrociſsima hyeme, vix ab Ægypto Rhodum nauigio delatus eſt.

appro-

Appropinquante Vere nauigauit in Italiam: ac poſtquàm Romam veniſſet, omnem quam paſſus eſſet calamitatem & miſeriam, Hircani vincula, mortemq; fratris, Antonio coràm retulit. Antonius miſericordia motus, Cæſari Octauiano totiq; Senatui Herodem commendat, patriſq; ipſius propenſum animum, quem erga Ramonos habuerat: deniq; perfidiam Antigoni, qui ſpretis Romanis, ab hoſtibus Parthis regnum accipere maluerit, declarat. Et quantò eſſet vtilius, Herodem Romanorum amicum, contra vim Parthicam in Iudæa regnare, quam apertum hoſtem Antigonum, non obſcurè inſinuat. Quibus tandem auditis, totus Senatorum ordo eò inclinatus eſt, vt non inuiti Herodem Iudæorum regem crearent. Antonius Herodem primo die regni pauit, cuius initium fuit anno ſecundo centeſimæ & octogeſimæ quintæ Olympiadis, C. Domitio Caluino & C. Aſinio Pollione Coſ. (Ioſeph. lib. 14. cap. 23. de bell. Iud lib. 1. cap. 11. quamuis Ioſephi computatio duobus annis à noſtra anticipet.

Herodes rex creatus, in Ptolemaidem ab Italia veniens, exercitum ex Iudæis & peregrinis colligit, ac in principio belli, quod parabat, totam ferè Galilæam per dedicationem accepit: deinde Ioppen ciuitatem expugnanit. Poſtremò contra Hieroſolymam exercitum duxit: Sed quia Silo & Ventidius Romanorum legati, ab Antigono pecunia corrupti erant, re infecta in Samariam diſceſsit. Tempore hyemis ſequenti anno, latrones prouincia expulit. Ad Antonium inde, qui iuxta 3928.
Euphratem oppidum quoddam obſidebat, profectus, Galilæam amiſit. Eandem reuerſus Romanorum militum auxilio, ſummis laboribus recepit: deinde contra Hieroſolymam exercitum ducere præparauit. Ac anno ſequenti Hieroſolymas obſidione cinxit, tribus aggeribus caſtra muniuit, multaſq; turres ad oppugnationem profuturas, vndiq; erexit. His ita diſpoſitis, in Samariam ipſe profectus eſt, ibiq; cum 3928.
Mariamne, Alexandri, filij Ariſtobuli, filia nuptias celebrauit. Anno igitur exacto, confectis nuptijs, cum Soſio Romanorum duce, & magna militum manu iterùm Hieroſolymam venit, & exiſtentes illic in obſidione copias auxit, fortiterq; oppugnando vrbem, tertio demum menſe huius anni cepit: milites captiuos hoſtes cum fœda laceratione interfecerunt. Soſius Antigonum ad Antonium miſit, qui exora- 3929.
tus ab Herode, eum ſecuri percuſsit. Factum eſt hoc excidium vrbis Hieroſolymæ, anno vigeſimo ſeptimo, poſt eam expugnationem, qua primùm à Pompeio Magno Romanis ſubiecta eſt, eodem die & Menſe &c. M. Agrippa & Cannidio Gallo Conſulibus. Ita finitum eſt regnum Machabæorum poſtquàm durauerat annos centum viginti nouem, & ad Herodem Antipatri filium translatum. Hic Sceptrum ablatum à Iuda, de quo dicit Iacob Patriarcha moriturus. Gene. 49.

Herodes confirmato regno Hyrcanum à Babylonijs, quò captiuus erat abductus, ab ſe acceſſit. Deinde ex infima plebe ANANELVM Babylonium, ſummum ſacerdotem creat. Sed reclamante Alexandra Hyrcani filia, hunc rurſus ſacerdotio priuat, & Ariſtobululum, fratrem vxoris ſuæ Mariamnes, ſacerdotem legit. Qui deinde cum ſacerdotium anno non amplius, tenuiſſet, ab amicis Herodis ſubmerſus eſt, & Ananelus ſacerdotium iterum ſuſcepit. Ioſeph. lib 15. cap. 3.

Poſt hæc Herodes anno quinto regni ſui contra Arabes bellum mouit, eoſq; vicit. Maximus terræ motus Iudæam concuſsit, in quo triginta millia hominum 3934.
periêre (Ioſeph de bell. Iud. 1. cap 27. Antiq. 15 cap. 6.) Sed Herodes cùm audiret, ad Actium claſſe Antonium victum, ad Cæſarem Rhodum proficiſci parabat. Sed antequàm Iudæa excederet, Hyrcanum, ne ei impedimento eſſet, octoge-

Anni Mundi

ſimum annum agentem nefariè interfici iuſsit. Geſsit autem Hyrcanus ſacerdotale
honores vſque ad quadrageſimum annum: Nouem regnante matre, tribus & di-
midio à fatre pulſus, viginti ſeptem à Pompeio reſtitutus, & tribus menſibus poſt
matris mortem, priuſquam regno pelleretur. Herodes Cæſarem Rhodi conueni-
ens, tantam ab eo gratiam eſt conſequutus, vt ei omnia priuilegia, quæ ab Antonio
dudum acceperat, & victo eo iam labefacta videbantur, eò quòd ab Antonij parti-
bus ſtetiſſet, non ſolùm iterùm confirmaric, ſed ipſum etiam Herodem inter ſum-
mos amicos habere cœpit. Hoc impetrato, in Iudæam redijt, inde Cæſarem ad
Aegyptum deduxit, commeatum pro ſe & exercitu ſatis copioſum præbuit. Cæ-
ſar apud Pharum Inſulam, quæ Ponte iungitur Alexandriæ, ſecundò Antonium
vicit, & Alexandriam fugatum, obſedit. Antonius ergo omnino deſperatis rebus,
ferro traijcere pectus, quàm viuus in hoſtis poteſtatem venire maluit. Sed & Cleo-
patra veneno ſumpto mortem accerſiuit, poſtquàm regnaſſet ſceleratiſsimè anni
viginti duobus. Ægyptus ab Auguſto in prouinciam redacta, poſt Alexandri
Magni mortem annis ducentis nonaginta quatuor. Hoc pacto Cæſar Octauianus,
collapſam in Iulio ad breue tempus Monarchiam inſtaurauit.

Cæſar diſpoſitis rebus in Ægypto, Herodis regno multas adiacentes vrbes &
caſtella adiecit, inter quæ fuerunt, Gadara & Samaria, quæ poſt Sebaſte dicta eſt,
Gaza Ioppe, & turris Stratonis, quam poſtea Cæſaream appellauit &c.

Aliquo tempore pòſt, Herodes Mariamnem vxorem, quam habuit chariſsi-
mam, ob leuem cauſam, cum optimis amicis ſuis occidit: propter quod facinus ve-
hementi morbo correptus eſt, ita vt medici de vita eius deſperarent. Alexandra ma-
ter Mariamnes, occaſionem nouandarum rerum, ex morbo Herodis nacta, cuſto-
dias ciuitatis obtinere ſtatuit: quo conſilio prodito, Herodes furore accenſus, absq;
omni dilatione eam necari iuſsit. Poſtremò omnes, qui ex Hyrcani familia erant, or-
co dedit, vt tutus regnum obtinere poſſet. Vide Ioſeph. 15. cap. 9. Deinde anno de-
3993. cimo regni ſui, iuſtituit certamen Olympiacum more Græcorum. Poſtea decimo
tertio regni ſui anno, fames duriſsima totam Syriam & Iudæam preſsit in qua mi-
3942. tiganda mira induſtria vſus eſt Herodes. Nam cùm deficeret argentum ſignatum,
optimos ſuos theſauros ornamenta regia, vaſa aurea & argentea corraſit, ac triti-
cum pro ſubditis egentibus coëmit. Atque hac regali munificentia, omnes fere
maculas ex crudelitate ante contractas, apud populum deleuit. Fame ſuperata ædi-
ficare cæpit vrbes munitiſsimas, quarum vnam maritimam, in honorem Cæſaris,
Cæſaræam appellauit, Alteram propter patris memoriam Antipatridam, Tertiam
Sebaſten, quæ prius Samaria dicta, & à Iohanne Simonis filio ſolo æquata fuit. Cæ-
ſar hanc induſtriam Herodis advertens, Trachonem, Bathaniam & Auranitem
provincias Herodis regno adiecit.

Anno 18. regni ſui renouauit Herodes templum Domini Hieroſolymæ, & vi-
3947. ceſimo ſexto regni ſui anno compleuit illud. Sunt præterea multa huius regis præ-
clara facinora, quibus ſæpenumerò heroicum ſuum animum oſtentauit. Contra
quoque multò ſunt plura, tum erga ſuos, cum alios, crudeliſsima & ſceleſtiſsima fa-
cta, quæ omnia hîc referre nimis longum, & profectò lectori breuitatis ſtudioſo
moleſtum eſſet. Si quis ea deſiderat, legat Ioſephum, qui eius vitam ſatis copioſè
deſcripſit. Nos ea paucis addemus, quæ ad intellectum Sacrarum literarum aliquo
modo neceſſaria videntur.

Anno

Anno vrbis Romæ 749. qui erat annus mundi conditi 3961. miſſus eſt Angelus Gabriel ad Zachariam, aperiens ei conceptionem Iohannis præcurſoris DOMINI, quem Prophetæ futurum eſſe dixerant. Et poſt ſex menſes, idem Angelus Miſſus eſt ad Mariam virginem, in oppidum Galilææ Nazareth, annunciatum, INCARNATIONEM DOMINI NOSTRI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI ALTISSIMI. Geneſ. 3. Lucæ 1. Anni Mundi. 3961. Ieſa. 40. Mala. 3. Luca. 1 3963.

FINIS ANTIQVI SECVLI.

ANno vrbis Romæ 751. iam incipiente, Herodis verò Iudæorum regis 34. poſtquàm Antigonum pepulerat: Cenſus primus actus eſt in Syria ſub Cyrenio, de quo Lucæ 2. Eodem anno, cùm Ioſeph & Maria veniſſent in Bethlehem Iuda, vt cenſerêtur, IESVS CHRISTVS FILIVS DEI ALTISSIMI, VERVS DEVS ANTE OMNIA SECVLA, EX DEO PARTE GENITVS, ET VERVS DEVS HOMO, ASSVMPTA CARNE EX MARIA VIRGINE, IN HVNC MVNDVM NATVS EST. Hoc eſt benedictum illud Semen, quod caput Serpentis contriuit, & nos ab æterno eius morſu liberauit. Geneſ. 3. Matth. 1. Lucæ 2. Iohan. 1. Iſaiæ 7. & 9. &c. 3965.

Hîc obiter animaduertendum, quòd Aſtronomi ab initio primæ Olympiadis, vſq; ad natiuitatem Chriſti, colligunt annos Ægyptiacos (quorum ſingulis 365. dies tribuuntur) 775. cum diebus 12. & dimidio. Ac ſi anni iſti indies reſoluuntur, & cum noſtra computatione, annis à prima Olympiade &c. itidem in dies reſolutis, conferuntur: nullam inuenies aliam eorum à noſtra traditione differentiam, quàm vndecim dies illos, quibus initium anni veteris, longinquitate temporis, & iniuria eorum, quorum Faſtos corrigere intereſt, à noſtro anticipat. Quod ſic apparet. Tempus illud, quod Aſtrologi colligunt, à prima Olympiade ad natum Chriſtum, dierum eſt 282837½. Porrò Chriſtus natus eſt, vt noſtra computatio habet, anno tertio Olympiadis 194 &c. hoc eſt, poſt initium Olympiadum 774. annis Solaribus completis &c. hi anni reſoluti in dies, ſingulis 365. dies attribuendo, faciunt dies 282510. his adde tot biſſextos, quot ſunt Olympiades elapſæ (Nam quarto quoque anno dies intercalatur) videlicet 193. deinde dies à ſolſtitio, vnde incipiendæ ſunt Olympiades, ad natalem Chriſti, qui ſunt, ut noſtro tempore invenitur, 195½. Hi omnes iuncti conſtituunt 282898½. numerum vndecim diebus maiorem, quam illorum calculo indicatur. Sed hæc differentia, quò ad noſtram computationem, haud magni nomenti eſt, ſiquidem non noſtra calculatione, ſed Calendariorum corruptione, vt dictum eſt, accidit. Quamvis nos contentos eſſe decebat, ſi annorum tantummodò numerus cum illorum calculo conveniret.

Non longè pôſt natum Chriſtum, venerunt Magi ab oriente Hieroſolymam, quærentes Regem nouum Iudæorum, quem adorent. Quorum aduentus & regem Herodem & vrbem perterruit. Huius timoris cauſæ ex præcedentibus facile intelliguntur. Nam cùm Herodes tot prælijs & victorijs regnum hoc vix acquiſiuerit, & Iudæi tot acceptis cladibus, & fruſtrà molitis ſedionibus, aduerſus eum nihil effecerint: non mirum eſt, quòd utraq; pars hoc nuncio noui regis perterrita fuerit. Ille enim regni & honorum, hi verò vitæ & bonorum amiſsionem timuerunt. Hoc nuncium ſtatim Innocentûm interitus eſt ſequutus. Nota eſt Hiſtoria ex Matthæo Euangeliſta, quam Ioſephus à longè videtur indicare, Antiq. lib. 17. cap 3. ubi 3947. dicit: Phariſæum quendam vaticinatum eſſe, Herodi terminum regni iam adeſſe, ex ſu-

Anni Mundi.

ex ſuperna Maieſtate decretum, tam ipſi, quàm vniuerſæ eius cognationi. Atq; ob hanc cauſam adeò commotum fuiſſe Herodem, vt non ſolùm Phariſæos complures, ſed etiam omnes illos, ad quos regnum deuolui poſſe ſuſpicabatur, cum omnibus filijs ac cognationibus ipſorum, interficere curarit.

Meminit & Macrobius huius crudelitatis, ab Herode in pueros perpetratæ, 2. Saturnaliorum lib. cap. 4. inter iocos Auguſti hæc referens: Cùm audiſſet (Auguſtus) inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſsit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.

Perpetrato hoc facinore, Herodes ſtatim in grauiſsimum morbum incidit, qui de die in diem magis eum vrgebat. Quare cùm nulla ſpes ſalutis appareret, omnibus ſuis ſceleribus antea commiſsis, maximum tunc ſcelus addere inſtituit. Nam ne ſine luctu ſubditorum ex hac vita migraret, optimos quosq; Iudæorum, quos in Hippodromo caſtello incluſos habebat, quàm primum moreretur, trucidari iuſsit: ac iam iam moriturus, filium Antipatrum, quem regni hæredem paulò antè ſcripſerat, in carcere necari præcepit. Tam pernicioſa res eſt animus crudelitati deditus, ut non ſolùm hunc Herodem, ea, quæ inſtante morte cogitare maximè fuiſſet neceſſarium, non ſiuerit; verùm etiam, quod multò grauiſsimum eſt, in ipſo extremo vitæ halitu, ad nefandiſsimas cùm ſuorum tùm aliorum cædes immaniſsimè rapuerit. Mortuus eſt Herodes, poſtquàm regnaſſet Hieroſolymis annis 34. ex eo autem, quo à Senatu Rex appellatus eſt 37. is fuit annus nati Chriſti ſecundus.

Neq; hoc loco ſilentio prætereundus eſt inſignis ac communis etiam doctiſſimorum quorundam hominum error, qui putant, Chriſtum natum anno regiminis Herodiani trigeſimo, ſeptemq; annis integris in Aegypto exulaſſe. Nam hoc omni hiſtoriæ veritati, vt Sole clarius in Chronologia apparet, contrarium eſt. Si enim Chriſtus eſt natus anno quadrageſimo primo Auguſti (ſeu vt alij computant, qui ſtatim ab interempto Cæſare eius Imperium inchoant, anno 42.) vt nemo veritatis amans contradicere audebit: & Herodes ſeptem annos poſtea regnauit: ac eius ſucceſſor filius Archelaus annis 9. atq; is viuente Auguſto relegatus &c. Neceſſe erit, ut Auguſtus annis ferè octo poſt mortem regnaſſe dicatur. Siquidem non amplius 56. annis regnauit, vt apud omnes in confeſso eſt: ac poſt legatum Archelaum tres præſides Iudææ dedit: quorum ſinguli binis annis Iudæis præfuerunt, vt in Chronologia, & in Ioſepho apparet. Ideo manifeſtum fit ex hac temporum collatione, Chriſtum plus minus anno vno in Aegypto non manſiſſe. Nam cum Ioſeph rediret, audiuit, quòd Archelaus loco patris ſui primùm demortui regnaret, vt Euangeliſta teſtatur, Neq;, ſi tanto, vt illi referunt, tempore in Ægypto fuiſſet, Lucas id præteriſſet, alioqui diligens hiſtoriæ Euangelicæ Chriſti ſcriptor. Deinde conijci poteſt ex hoc loco, quo tempore Magi ad ſalutandum Chriſtum venerint, videlicet circa initium ſecundi anni natiuitatis Chriſti. Nam Herodes multis diebus, poſt perpetratum, in innocentes homicidium, ſuperuixit. De quo negotio conſulat Lector annotationes D. Andreæ Oſiandri in Harmoniam Euangelicam, lib. 1. cap. 10 & 11. easq; cum noſtra computatione conferat: tum videbit, quid de hac re conſtituendum ſit.

3973. Anno Chriſti 11. Archelaus apud Cæſarem accuſatus, Viennam Galliæ relegatus eſt, Eodem anno Cyrenius alterum in Syria cenſum egit, anno trigeſimo ſeptimo, poſt bellum Actiacum, in quo Antonius ab Octauiano Cæſare victus eſt, Ioſeph. 18. cap. 1. & 3. Hinc intelligitur quare dicat Lucas Euangeliſta: Hæc deſcriptio

ptio prima facta eſt á præſide Syriæ Cyrenio, videlicet, vt illam, in qua Chriſtus natus eſt, ab hac diſcerneret. Ea enim facta eſt viuente ad huc Herode, cuius Ioſephus nullam mentionem facit. Hæc verò altera vndecimo anno poſt, cúm iam Archelaus in exilium miſſus eſſet, & Coponius Iudææ rector ei ſuccederet. Ideo toto decennio errant, qui caput illud primum Ioſephi lib. 18. de cenſu, tempore natiuitatis Chriſti Domini acto, exponunt. Hoc quoq; anno Iudæa in prouinciam redacta, & Syriæ iuncta eſt. Coponius primus è Romanis Iudæorum rector, annis duobus.

Anno Chriſti 12 eodem, quo Chriſtus Dominus in Templo docuit, vt Lucæ 2 habetur, prophanatum eſt Templum Domini in Hieruſalem, in die Azymorum. Nam cúm de nocte, à ſacerdotibus, vt moris erat, Templum eſſet apertum: 3974.
oſſa per totum phanum, & omnes porticus mortuorum, diſperſa iacuerunt. Ioſephus hoc factum Samaritis aſſcribit. Quod mea quidem ſententia ſignificauit, oblationes quæ in Templo fiebant, breui Tempore emorituras eſſe, cùm iam ipſe Dominus cœli & terræ in eodem viua voce doceret, &c

Cùm S. Lucas cap. 3. dicat, Iohannem anno 15 Tiberij prædicare in cepiſſe, Chriſtumq; quaſi triginta annorum fuiſſe, cùm baptizatus eſt à Iohanne &c. Nos verò cùm 30. anno Chriſti, decimum quartum Tiberij in Chronologia collocemus: poſſet ignarum cauſæ huius facti aliquantulum movere, vt de certitudine 3992.
computationis dubitaret. Ideo ne id fiat, breuiter rem vniuerſam accipe. Auguſtus diem obijt duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coſs. decimo quarto Cal. Septembris, vt teſtatur Suetonius. Huic ſtatim ſucceſsit Tiberius, vt idem Suetonius & Cornelius Tacitus lib. 1. authores ſunt. Hinc vides initium annorum Tiberij Cæſaris, videlicet XIII. Cal. Septembris. Sed nos diximus, Iohannis prædicationem inchoatam, cum menſe ſeptimo anni mundi 3992 qui fuit natiuitatis Chriſti 30. Patet igitur, Iohannem cum 15. Tiberij anno incepiſſe. Patet quoq; error illorum, qui hoc anni Cæſaris initium non advertentes, Chriſt um fuiſſe aſſerunt, contra maniſeſtiſsima Euangeliſtæ verba, triginta annorum completorum, cùm baptizaretur à Iohanne. Nam à die baptiſmatis, vt in tractatione 70. hebdomadum Danielis ſuprà diximus, vſq; ad natalem, quo annus 30. finiendus erat, plus minus tres menſes adhuc erant reuoluendi.

Porrò cùm & in hunc triceſimum ætatis Chriſti annum quadrageſimus nonus Iubilei triceſimi incidat, quo quidem tempore Buccinis ſignificandum erat clangentibus, ſequentem annum fore Iubileum, & eius rei non vulgare ſit myſterium: res ipſa me compellit, vt de Iubileo, myſterioq; eius, quòd hîc compleri cœpit, pauca dicam, quò in primis mea quoq; opella ijs inſeruiam, qui fortaſsis hæc alioqui non conſiderarent: ac vt alijs, qui ingenio doniſq; me longè excellunt, hæc copioſius explicare occaſionem præbeam. Ac primùm de vocabulo dicemus: mox & inſtitutionem Iubilei: & quando cœperit: denique quibus conditionibus fuerit obſervandus: Quid ſignificarit: Quomodoq; re ipſa, figura nunc remota, hæc compleatur.

IVBILEVS nomen habet ab Hebræa voce Iobel, quæ Hebræis Buccinam ſignificat: & propterea ſic dictus eſt, quia annus ille quinquageſimus, vt mox videndum ex Moſe, Buccina ſignificandus ſiue annunciandus erat, cuius inſtitutionem Moſes his verbis tradidit, Leuitici cap: 25. Numerabis tibi, inquit Dominus, ſeptem Hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem annos, quæ ſimul faciunt quadraginta nouem: & clanges Buccina, menſe ſeptimo decima die menſis, expiationis tempore, in vniuerſa terra veſtra, Sanctificabisq; annum quinquageſimum, & vocabis Liber-

tatem

tatem cunctis habitoribus terræ veſtræ, Ipſe eſt enim Iubileus. Hæc ſunt inſtitu tionis verba, quæ per ſeſe ſatis manifeſta ſunt, ſi modò hic ſciatur, quando Sabbata hæc incipi debuêre. Nam de hoc aliquandiu & ego dubitaui: ut ignauiam & oſci- tantiam meam, in legendis ſacris literis, ipſe confitear : ita ut multum tempori fruſtra inſumpſerim, de principio annorum Iubilei conſtituendo: & hoc fortaſsi nondum ſcirem, niſi à poſteriori computare cœpiſſem, à tempore Baptiſmati CHRISTI, retrò ſubinde 50. annos ſubtrahendo, donec ad eum annum, quo Mo- ſes obijt, Ioſuaq; Rempublicam Iſraelis ſuſcepit, peruentum eſſet. Tum demum vidi eum annum, qui & primus eſt introitus in Terram promiſsionis, primum ac initium eſſe hebdomadarũ à Domino, vt ſabbatizarentur, præceptarum. Hoc viſo ad ipſum Moſen acceſsi, ſtatimq; in ipſo capitis initio legi: Locutuſq; eſt Dominu ad Moſen in monte Sinai, dicens, Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Quando in greſsi fueritis terram, quam egò dabo vobis, ſabbatizet terra Sabbatum Domino Sicq; omni remota difficultate, vidi, quod primus annus ingreſsionis in Terran Canaan, primus quoque eſſe debuerit, ſecundum mandatum Domini, quo Heb domadæ illæ numerarentur. Fuit autem is bis mileſimus quadringenteſimus nona geſimus quartus, à condito primo homine. A quo vſq; ad prædicationem Iohan nis, & Baptiſma DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, viginti novem quinqua genarij, id eſt, Iubilei, cum annis quadraginta nouem, ſunt elapſi, vt in Chronolo gia annotatum eſt. Habito ergo, cum inſtitutione, horum quoque annorum prin cipio, conditiones quoque, quibus hic annus celebrandus fuerit, &c. audiemus, d quibus Moſes porrò ſic dicit.

Reuertetur homo ad poſſeſsionem ſuam, & vnusquisq; rediet ad familiam pri ſtinam: quia Iubileus eſt quinquageſimus annus. Non ſeretis atq; metetis ſpont in agro naſcentia, primitias Vindemiæ non colligetis, ob ſanctificationem Iubi lei: ſed agri fructum comedetis. Anno Iubileo redient omnes ad poſſeſsiones ſuas.

Suprà vocauit annum Iubileum LIBERTATEM, nunc quare ſic dicatur, ex plicat: Nempe quòd eo anno quilibet ad auitas poſſeſsiones, ſi eas neceſſitate qua dam coactus vendidiſſet, liberum haberet acceſſum: quod ab ipſo Moyſe præd cto loco copioſius explicatur & inculcatur: quem vide. Quare autem hoc in pol tia Iſraelitica ſic à Domino ſit inſtitutum, non eſt huius loci enarrare. Poteſt piu lector, ſi hæc deſiderat, & in ipſo Moyſe eadem obſervare nequit, doctiſsima Io hannis Brentij ſuper hunc locum ſcripta conſulere. Ego, ut propoſui, breuiter My ſterium per Iubileum ſignificatum indicabo.

I. Ab introitu Iſraelitarum in terram promiſsionis, vſque ad annum prædicati onis CHRISTI, triginta numerantur Iubilei. Eo anno CHRISTVS triceſimum annum ætatis ſuæ abſoluerat. Et poſt hunc Iubileum Moſaicum, nullus fuit Iubi leus. Res enim publica Iudæorum, ſub tempus ſequentis quinquagenarij qui trice ſimus primus Iubileus eſſe debuerat, unà cum Templo Vrbeq; ſancta in cineribu iacebat populuſq; per totum orbem terrarum miſerrimè diſperſus erat. Manife ſtum igitur eſt, Chriſtum promiſſum adveniſſe, qui Moſaicæ legi finem impoſuit libertatemq; veram reduxit &c. Et Iudæos fruſtra tot centenos annos alium Meſ am expectare. Deniq; iucundum quoque eſt videre, quemadmodum in numer Iubileorum ætas Chriſti in carne, qua prædicare debebat Libertatem, ſignificata ſi cùm vtrinque XXX. numerentur. Sed hæc fortaſsis alij melius.

II. Alt

Anni Mundi.

II. Alterum eſt, quód Moſaicus Iubileus, per Buccinam clangentem, in omni terra Iſrael debebat annunciari. Hunc itaque æternum Iubileum, quem Chriſtus in cepit, vt mox dicendum erit, IOHANNES Baptiſta (quem in explicatione LXX. Hebdomadum, cum ſua prædicatione, Buccinam clangentem eſſe demonſtraui mus) in Feſto propitiationis, quod anno Iubileum præcedente celebrabatur, magna voce per totam Iudæam reſonante proclamauit, Prædicans Baptiſma pœnitentiæ &c. Et annuncians regnum cœlorum appropinquaſſe, eumque in medio adeſſe, qui in Spiritu ſancto & igni Baptizaret, &c. vt Euangeliſtæ copioſius tradunt. His adde, ſi libet, Tubam quoque eo die, quo Chriſtus baptiſma ſuſciperet (vt ſuprà quoque dictum eſt, in LXX. Hebdomadibus) è cœlo auditam, HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI COMPLACVI.

III. Tertium eſt, quod & maximum, Quemadmodum in Republica Iſraelis, quilibet ad auitas poſſeſsiones amiſſas, liberum acceſſum habebat. Ita & nos in hoc Iubileo, cuius Chriſtus autor eſt, liberum acceſſum habemus ad miſſum Regnum cœlorum. Protoparens enim noſter Adamus, per peccatum ſuum, in æternam ſeruitutem nos ac condemnationem coniecit, ex qua nemo (niſi Deus) nos liberare poterat. Venit igitur Filius Dei in hunc mundum, & ex voluntate patris carnem aſſumpſit, Legi ſeſe ſubdidit, ſuſcepto Baptiſmate, mortem pro nobis ſubeundam in ſe recepit, & hoc anno, Libertatem nobis à Vinculis peccatis, mortis ac iræ Dei &c. annunciauit. Sicut de eo ſcriptum eſt Ieſ. 61. Quodq́; in eius concione, quam in Patria ſua primam habuit. ipſe legit, eaque die impletum eſſe confirmauit. Verba ſcripturæ hæc ſunt: Spiritus Domini ſuper me, eò quód vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederet contritis corde, & prædicarem captiuis Libertatem, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum beneplacitum Domino &c.

IV. Quarto ſicuti in illo Iubileo Moſaico, debitum repoſcere nemo audebat: ita & in hoc Iubileo ſempiterno, neque Lex, neq; Satan ius exigendi debiti in nos habent. Filius enim Dei liberauit nos. Iohan. 8.

V. Quinto demum, Meſsis & Vindemia in hoc Iubileo ſunt prohibitæ, & tantum ex benedictione Domini viuendum: Hoc eſt, nemo in Chriſti Regno conſtitutus, opus habet, vt ſuis laboribus, operibus, aut quicquid humanæ vires poſſunt, vitam mereatur æternam, ſed hoc ſub anathemate prohibetur. Omnes enim ex gratia Dei vitam æternam in Chriſto nobis donatam, gratuitò poſsidemus, & ſola benedictione Domini fruimur.

Hæc de Iubileo paucis dicta ſint, quæ etſi copioſius explicari poterant ſponte tamen à prolixiori enarratione abſtineo. Non enim mei inſtituti eſt, eiuſmodi de rebus, integras orationes, vt in Eccleſijs ad populum habentur, conſcribere, ſed tantummodò rudioribus, vt de hiſce rebus aliquid ſciant, Doctoribus autem, vt hæc melius doctiusque explicent, præbere occaſionem. Nunc ad ea quæ reſtant tranſibimus.

Cæterum de ætate Chriſti, qua paſſus eſt, pleriq; conſonant, quód videlicet 33. annorum fuit, ac trium menſium &c. quemadmodum ex Euangeliſtis quoque colligitur. Ideo non opus eſt, vt multis quorundam errores hîc refellamus. Ideo di- 3996.
cimus: Anno incarnationis Chriſti 34. Tiberij autem Cæſaris 18. cruci affixus eſt *DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS*, & pro peccatis noſtris, non noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi, mortuus eſt. Et tertia die reſurrexit, propter iu-

 ſtificatio

Anni Mundi.

ſtificationem noſtram, & reduxit nobis iuſticiam æternitatum, vnctuſq; eſt SANCTVS SANCTORVM REX ET SACERDOS, vt regnet, & patrem nobis, noſq; viciſsim patri reconciliet, per omnia ſecula ſeculum, Amen. Hîc adiungere placuit, quæ Euſebius, ex Phlegone, de eclipſi tempore natiuitatis Chriſti facta, refert, in hunc modum. Scripſit verò ſuper his, inquit, & Phlegon, qui Olympiadum egregius ſupputator eſt, in 14. libro ita dicens: Quarto autem anno 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis eſt facta. Dies hora ſexta, ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ cœlo viſæ ſint, terræq; motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes ſubuerterit. Hæc Euſebius ex Phlegone. Fertur quoq; Dionyſium Areopagitam tempore paſsionis Domini, cùm contra naturam Solem obſcurari vidiſſet, dixiſſe: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur.

Libet etiam hîc referre, quæ Ioſephus Iudæorum hiſtoricus, de Domino IESV ſcripta reliquit. Sunt autem ea ex Antiquitatum lib. 18. cap. 6.

Fuit autem eisdem temporibus, inquit, IESVS ſapiens vir: ſi tamen virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector: & doctor hominum eorum, qui libenter quæ vera ſunt audiunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit. CHRISTVS HIC ERAT. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentibus virorum, cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis TERTIA DIE ITERVM VIVVS: ſecundum quod diuinitus inſpirati Prophetæ, vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant. Sed & in hodiernum, Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen permanet, & genus. Hactenus Ioſephus.

Hactenus ea tradidi pie Lector, quæ ad confirmationem computationis, item quæ ad intellectum obſcuriorum in Prophetis locorum, neceſſaria ſunt viſa: quibus & ea ſunt addita, quæ fortaſsis diuinarum rerum ſtudioſus homo, non libenter ignoraret. Donec tandem primam huius operis partem adiuuante Domino abſoluimus, qua in ſumma tempus omne, quod à condito & lapſo Homine, vſque ad eiuſdem redemptionem, quæ per *CHRISTVM IESVM* facta, elapſum eſt: & quæ præcipuè in eo per totum Mundum, quantum noſci potuit, geſta ſunt. Quia verò *DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS*, cùm in cœlum aſſumptus eſt, Nouum & æternum Regnum inchoauit: nos ab eius quoque Regni initio, Noui quintique libri exordium ſumemus.

Anni Mundi.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER QVINTVS.

Argvmentvm.

QVÆ AB ASCENSIONE DOMINI IN COELOS, VSque ad Eleutheri Pontificatum, per annos centum quadraginta quatuor, tam in populo Dei nouiter aſſumpto, quàm in Iudæis ob nimiam abiectis pertinaciam, præcipuè acciderunt. Item quæ à Pontificum Adulatoribus falsò ſunt tradita, & alia quædam ſcitu non indigna, Quinto libro, compendio indicantur.

Mmaniſsimis totius humani generis hoſtibus deuictis captiuatisq;, ſicuti in ſacris Biblijs traditur, *Dominvs noster Iesvs Christvs* quadraginta dieus, ſuis, quos omnium factorum ſuorum Teſtes legerat, ſubinde apparens, ſcriptuasque, vt omnia hæc de ſe longè antè prænunciarant, eos edocens: in præſentia mulorum fratrum, qui eum in montem Oliueti ſecuti erant, ex oculis eorum in cœum ſublatus eſt: decimoq; die pòſt, hoc eſt, in die Pentecoſtes, Spiritum ſanctum le cœlo effudit ſuper diſcipulos eoſdem, qui viſibili ſpecie in igne apparens, linuas eorum diuidens, vt varijs vna vice loquentes linguis magnalia Dei facta colaudare audirentur. Hoc permoti ſpectaculo Diuino, multi ex Iudæis Christvm, quem antè abiecerant, atque vt crucifigeretur petierant, Dominvm agnouère, iusque iugum ſuſceperunt. Hinc regnum Chriſti in terris auctum & miraculis ſtuendis, quæ ab ipſis fiebant Apoſtolis, ſubinde confirmatum eſt. Sed vt antè prædixerat Dominvs, hunc ſucceſſum non diu ferre potuit Satan, Serpens antiquus, quin mox ac aliquam in Eccleſia Rempublicam vtcunq;, vt tunc res ferebant, videet conſtitutam, grauiſsimam in fideles Chriſti perſecutionem Hieroſolymis excitauit, quæ primùm inſignem & Spiritu ſancto plenum virum Stephanvm, qui vnus ex ſeptem Eccleſiæ miniſtris fuit, oppreſsit: cæteros deinde in varias calamitaes induxit: multos aliò abire coëgit: quod tamen omne maiore Eccleſiæ fructu quàm detrimento factum eſt. Ii enim, qui diſperſi erant, quocunque venirent, Euangelion Chriſti in Scholis Iudæorum annunciarunt: quo facto, per totam Samariam, per vrbes maritimas, & per totam Syriam, Christvs paſsim à Iudæis fide ſuſceptus eſt: ſicuti hæc copioſè à Beato Luca in Actis traduntur, quem diligenter legas oportet, ſi primordia Eccleſiæ noſſe cupis. Hæc pro exordio huius libri, & oſtenſione, quomodo Chriſti regnum in hoc mundo propagari cœperit, ſatis ſunto. 34.

Sub idem perſecutionis tempus Saulus, qui & dictus eſt Paulus, cùm in perſequendis Chriſti fidelibus ſtrenuam nauaret operam, diuinitus ad pœnitentiam, ad agnitionem Christi, atq; ad Apoſtolatum Euangelij Chriſti inter Gentes annunciandi, vocatus eſt: qui ſimul ac Baptiſma ſuſcepit, Chriſtum in Damaſco, magno cum periculo vitæ, profeſſus eſt: hinc in Arabiam diſcedens, ijs quoq; populis *Christvm* Dominum innoteſcere fecit. Ac quæ porrò pro gloria Chriſti Domini per hoc Organon, tàm inter Gentes, quàm inter Iudæos egregiè & magnificè peracta ſunt, ex ſacris petere licet. 35.

Anni Mundi. Euſebij Chronicon hoc anno Iacobum fratrem Iohannis ab Herode decolla-
tum eſſe aſſerit. Qua ratione hoc fiat, niſi quod ſciolus quidam, vt pleriſq; in locis,
36. & hæc peruerterit, neſcio. In hiſtoria namq; Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 9. multò aliter de
hoc facto ſcribit. Dicit enim hoc accidiſſe, ſicuti & ſacræ literæ tradunt, Actor. 12.
eo anno, quo Agrippa, qui & Herodes dictus eſt, mortem obijt. Is fuit annus Chri-
ſti 45. vt ex hiſtoria & Ioſepho manifeſtum fit. Quare te huius erroris hoc loco ad-
monuiſſe volui. Quomodo autem ſacræ literæ, & Ioſephus de hoc Agrippæ facto,
eiuſq; obitu, conueniant, paulò pòſt, vbi de morte Agrippæ dicendum erit, refere-
tur.

38. Vt videat pius lector, quemadmodum Dominus Regnum ſuum dilatatum con-
firmarit, & ciuili protectione, contra Satanã in Magiſtratibus ciuilibus, ſæuientem,
& ad innoxium Chriſtianorum ſanguinem effundendum impellentem, munierit,
hæc ex Euſebij Chronico, & Tertulliani Apologetico hîc addere libet. Euſebius. Pi-
lato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberiũ referente, Tiberius retulit ad Senatum,
vt inter cætera Sacra reciperentur. Verùm cum ex conſulto patrum Chriſtianos eli-
minari Vrbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum cõmi-
natus eſt mortem, ſcribit Tertullianus. Hæc Euſebius. Verba Tertulliani hæc ſunt
in Apolog. cap. 5. Vt de origine aliquid retractemus eiuſmodi legum: vetus erat de-
cretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur. Vt M.
Aemilius de ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſam noſtram quòd apud vos (Roma-
nos intellige) de humano arbitratu Diuinitas penſitatur, Niſi homini Deus placue-
rit, Deus non erit: homo iam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cuius tem-
pore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, annunciatam ſibi ex Syria Palæſti-
naq; veritatem illius Diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum, cũ prærogatiua ſuf-
fragij ſui. Senatus, quia non ipſe probauerat reſpuit. Cæſar in ſententia manſit,
comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Hæc Tertullianus.

Caius Cæſar, cùm ſibi Diuinos honores exhiberi præcepiſſet, inter cætera ſta-
39. tuam Imaginis ſuæ in Templo Hieroſolymitano collocari iuſsit. Quæ reſiſtentibus
Iudæis, eò introduci non potuit, quamuis Imperator Pætronium Syriæ præfectum,
magno non exercitu in Iudæam mitteret, vt vi compulſi Iudæi, Idolum in templum
ſuſciperent. Qua quidem animi firmitate ad reſiſtendum Cæſaris mandato, citò ſibi
exitium maturaſſent (vt Egeſippus ait) niſi repentina cædes Imperatorem de hac vi-
ta præripuiſſet. Ac cum multi in ea opinione ſint, quibus & ego aliquando acceſsi,
Quòd certiſsimum ſit, Idolum illud in Sancta ſanctorum collocatum fuiſſe, atq; in
hoc completum, quod Daniel 9. cap. de Abominatione ſuper Cherubim, dictum
eſt cuius & Chriſtus Matth. 24. meminit: paucis, quid ego nunc de Abominatione
illa ſentiam indicabo, idque ideo, vt rudiores habeant quod diſcant, doctiores verò,
quod aut doctius explicent, aut certius quid me doceant.

Certum eſt ex Ioſepho, ſtatuam Caji in Templum non introductam eſſe, multò
minus in Sanctum ſanctorum collocatam. Quare Abominatio deſolationis eſſe ne-
quit, de qua in Daniele & à Chriſto dicitur, Quæ eſt ergo illa Abominatio? Paucis
reſpondeo: Idolatria, quæ poſt reſuſcitatum & glorificatum, ac per Euangelion, &
miracula, quæ in nomine eius fiebant, conteſtatum *CHRISTVM DOMINVM*,
circa Arcã Teſtimonij exercebatur. Arca enim figuram habebat futuri Chriſti veri
propitiatorij. Propitiatorium namq; illud ſignificabat CHRISTVM propter quem
Deus nos in gratiam recipere dignatur. Illud latebat ſub alis Cherubim deſuper ex-

panſis

panſis. Quod prænotabat CHRISTVM adhuc ſub promiſsionibus eſſe, abſcon- *Anni Mundi.*
ditum. At cùm CHRISTVS moreretur, ſciſſum eſt Velum, quod aditum ad Arcam in Sanctum Sanctorum ab extra tegebat, in teſtimoniũ omni populo, quòd Verus Sacerdos cum ſanguine ſuo in Sanctuarium introiuiſſet, ad expiandum peccatum totius mundi, de qua re in Epiſtola ad Hebræos copioſè diſputatur. Reſuſcitato deniq; & in Cœlum aſſumpto CHRISTO, miſſoq; Spiritu ſancto, Sanctuarium verè & manifeſtè apertum eſt, prædicantibus cum magna gloria Apoſtolis, Quòd IESVS eſſet CHRISTVS Dominus, per quem nos cum Patre reconciliati ſimus, quiq; ſolus ſit propiciatio pro peccatis noſtris, & totius Mundi &c. Item ſacrificia legis & ceremonias Moſaicas nunc amplius nihil valere, ſed tantummodó vmbras futuri Chriſti ſuorumq; operum &c. extitiſſe, Sed hæc à Sacerdotibus Iudæorum, ſicuti à pleriſq; Iudæis, contemptim: contrà verò ceremoniæ magna cum ſuperſtitione in magno precio habitæ ſunt. Quæ cùm aduerſarentur manifeſtiſsimis DEI promiſsionibus in CHRISTO iam completis, Abominatio deſolationum meritò dici debuit, & fuit. Quid enim magis abominandum, quàm ſi homo, ſpreto Dei Verbo, ſpretis ac abiectis miraculis quibus DEVS ſe præſentem eſſe dederat, ſpretis deniq; tam bonorum oblatione, quàm malorum comminatione, quibus nos Deus aut ad amorem ſui, aut ad metum futuri mali allicere ſatagit, ſuas cogitationes ſuamq; voluntatem, tam in agendo quàm omittendo, Deo præponit? Hæc ſi non ſumma Blaſphemia, ſi non Idolatria abominanda eſt maxima, quæ meritò deſolationis pœnam ſubeat, neſcio quidem ego, quid Blaſphemia Abominatioue vel eſſe, vel dici poſsit. Iſtæc autem Abominatio, non ſtatim animaduerſa eſt, ſed aliquandiu pro re diuina habita, vt fit in conſuetis: ſubinde tamen magis magiſq; reuelata, donec pertinaciſsimè legem eiuſq; Ceremonias defendentibus Iudæis, paſſimq; ad eas Chriſtianos compellentibus; ab Apoſtolis, legem abrogatam cum omnibus ſuis Ceremonijs, & in ſolo Chriſto fiduciam Salutis habendam eſſe, declaratum eſt, Tum demum apparuit, videre volentibus, quôd omnes oblationes, quæ pro peccatis quotidie in Templo Hieroſolymis fiebant, fruſtra & abominabiles eſſent: Vnde & certi eſſe potuerunt, quód tempus fugæ ex Iudæa, & deſolatio Vrbis Templiq; præ foribus eſſet. Sicuti Dominus prædixerat. Hæc de Abominatione illa breuiter, quæ etſi copioſius ornatiuſq; dici poterant, tamen breuitatis ſtudio, in hunc modum dicta ſunto.

Sequuntur nunc Iudæorum afflictiones variæ, quas hîc illic à Gentibus perpeſsi ſunt. Quæ etſi tã à Ioſepho & Euſebio in Hiſtoria, quàm ab Egeſippo copioſiſsimè referuntur: tamen propter eos, quibus multos autores coëmere, aut quibus præ alijs occupationibus multa volumine euoluere denegatum eſt, præcipuas eorum in vno quaſi faſciculo colligatas ſuccinctè tradã. Quarum vna in Alexandria anno Chriſti 40. hoc modo exorta eſt. Cùm Caius Cæſar per totum Romanum orbem aras ſibi templaq; conſtitui, vtq; Deum coli ſe nefariè præcipiſſet: ſoli Iudæi conatibus eius reſtiterunt. At verò cùm in Alexandria plurimi eſſent ex Græcis, qui Iudæos maximo proſequerentur odio, ij ex hac re occaſionem nacti ſunt, vt Iudæos aut vi ad cultum impium cõpellere, aut ſi hoc non ſuccederet, in odium exitiale Cæſaris eos inducere conarentur. Primùm igitur vi rem tentare placuit. Iudæi vim vi repellere cupientes, maxima excitata ſeditione, paſsim Alexandrinos ciues proſternunt: ab ijſdem vi iſſim proſtrati trucidantur, cæduntúrq;. Multis itaq; vtrinq; cæſis millibus, tumultuq; noctis interuentu ſedato, in hanc ſententiam itum eſt: Ex vtraq; parte legati ad

40.

Anni Mundi.

Cæſarem trini mittantur: Cæſaris iudicio ac ſententia ſtetur. Mittuntur legati, inter quos duo erant, ſcelere ac maledicentia vnus, pietate & ſcientia alter clarus: ille Alexandrinus accuſator Iudæorum, hic Hæbræus eorundem defenſor. Romam cùm ventum eſſet, Alexandrinus cui Apio nomen fuit, plurimùm Iudæos incuſabat, præcipuè verò hoc amplificans, Honores eos Cæſaris omninò habere contemptui. Nam cùm Romanis faſcibus ſubiecti eſſent, eos ſummo Romanorum Imperatori, in maximis ſuis honoribus reluctari. Ipſos enim neque Templa Caio fundare, neq; altaria conſtruere, ne alia, quæ ab omnibus populis Imperatori, ſicuti Deo exhibebantur, obſeruare, aut recipere: ſed ludibrio habere omnia: & quod omnium videbatur grauiſsimum, nomen quoque Imperatoris in confirmandis pactis aut iuramentis, tanquam minimi momenti, reſpuere. Hæc & alia alter Hæbræus, Philo nomine, vir in omni Philoſophia, humana, diuinaq; præſtans, ſicuti oportuit, refellebat. Tandem à Caio Cæſare, qui natura malus, bonos odio habere laudi ducebat, è veſtibulo eiectus: ſuis comitibus, qui fortè ei aſtabant, dixit: Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Caius: Quia neceſſe eſt adeſſe diuinum, vbi humanum ceſſat auxilium. Hic etſi benè de Deo ſenſerit & ſperarit, tamen Iudæi nihil melius habuêre. Quia cùm ipſi Deum abieciſſent, atq; incrucem, prælato illi Cæſare, egiſſent: tandem re ipſa edocti ſunt, ſe neque à Deo auxilium, neque ab Imperatore, quem Deo prætulerant, defenſionem habere poſſe. Hanc Alexandrinorum Iudæorum afflictionem, aliæ alijs locis ſubinde ſecutæ ſunt, de quibus antequàm dicamus, monachica quædam Adulatio, in Romanæ Papæ honorem conficta, hoc loco reuelanda venit.

Eutropius alioqui diligens Romanorum rerum ſcriptor, compendio totam Romanorum hiſtoriam, ab Vrbe condita, vſq; ad Valentiniani & Valentis Impp. tempora, conſcripſit. Hanc hiſtoriam ſciolus quidam, proculdubio Romanenſium fauore & inſtinctu, mirum in modum auxit, multis hinc inde corraſis hiſtoriolis. Is quisquis tandem fuerit, cùm huius legationis Philonis, de qua modò dictum eſt, meminit, inter alia, & hæc verba poſuit: Is (ſcilicet Philo) Romam veniens, locutus eſt cum Apoſtolo Petro, eiusq; amicitias habuiſſe fertur. Ac cùm hoc, vt dixi, in Romanenſium fauorem confictum ſit, non potui intermittere, quin non ferendum errorem fanatici eius hominis, quiſquis fuerit, in lucem producerem, & paucis hoc, quo Papa nititur, fundamentum ictibus arietinis concuterem, quó, ſi maioribus, quod quarto poſt hoc capite faciendum erit, machinis id adoriri oporteat, ruinæ tantæ molis, facilior patefiat locus. Scias igitur pie lector, quód omnes Papatus Romani hiſtorici vnanimiter tradunt, B. Petrum quagesimo poſt natum Chriſtum & quarto anno Romam veniſſe (Quamuis omnes à vero abberrant, tamen hoc loco refellere non eſt animus) Hic Eutropij deprauator & Pontificius adulator dicit, Philonem anno quadrageſimo Petrum Romæ conueniſſe &c. Mendaces ergo facit omnes Romani Pontificis hiſtorio planos, cùm is ſolus quatuor annis prius Petrum Romæ intrudat, quàm illi fecerint.

Secundó, ipſe compilator hiſtoriæ & argumentator Eutropij, altera ſtatim columna, in vita Claudij, dicit Petrum ſub Claudio Romam veniſſe &c. Si ſub Claudio eó venit, quomodo ſub Caio ibi erat, qui Claudium præceſsit? Nam ſi velit hoc obuertere, Petrum in Iudæam ſub Caio redijſſe, ac demum ſub Claudio Romam reuerſum: quomodo hoc ex Actis Apoſtolorum, ex hiſtoria Eccleſiæ, & ex ijs, qui aliquot annis Antiochenam Eccleſiam à Petro rectam eſſe aſſerunt, verum eſſe demonſtra-

nonſtrabit? Sed hæc admonuiſſe hoc loco ſufficiat: mox totum Petri nunquam Ro- *Anni*
mani Pontificis, negocium aggreſſuri: Res Iudæorum, & alia quædam ſcitu neceſ- *Mundi.*
ſaria prius abſoluemus.

Cùm modis in Alexandria miſeris Iudæi oppreſsi eſſent in Babylone Chal-
dæorum & Seleucia Syriæ, non minor eis calamitas euenit, quàm Ioſephus 18. An-
tiquitatum libro cap. vltimo ſatis luculenter ſcriptam reliquit. Cuius ſumma hæc
eſt. Erant duo fratres Iudæi, infimo loco nati, Aſineo vni, Anileo alteri nomen, ij la-
trocinando primùm haud contemnendam ſibi multitudinem aſſciuerunt: & cùm
hoc malum ſubinde latius ſerperet, Artabanus Parthus principijs (ſed ſeró) obſtare cu-
piens, de nocte ab illis inuaſus, magnam ſuorum cladem perpeſſum eſt. Tandem vir-
tute iuuentum motus, eos in amicitiam recepit, commendata curæ eorum Babylo-
nicæ regionis adminiſtratione. Quindecim tandem annis rebus benè ac feliciter ge-
ſtis, ad laſciuiam (vt plærunque fit, quod res ſecundæ animos hominum ad luxuri-
am flectant) Viri cætera præſtantiſsimi conuerſi, Anileus Satrapæ cuidam vxo-
rem quæ forma omnes eo loci fœminas anteibat, vi ademit, ipſoq; interfecto, eam
ſibi matrimonio iunxit. Quæ ſine mora animum eius ad Parthicorum cultum
Deorum rapuit: Quod Iudæi faſcibus eius ſubiecti, grauiter ferre, ac ad Aſineum
tranſire, tandem & arma minitari: Aſineus fratri conniuere: tandem clamore
ſuorum victus, vt fratris reſiſteret actibus, Anileus vxoris inſtinctu Aſineum fra-
trem priùs veneno tollit, quàm is quicquam aduerſus eum tentare poſſet, ſolusq; re-
gno potitus, exercitu collecto Mitridatem generum Parthorum regis inuadit (Sic
flagitio, vbi principio non obſtes, ſubinde ad audendum maiora rapitur homo
donec factorum dignam recipiat mercedem) Is bello hoſti obuiam factus, feſſo
itinere Iudæos, ſitiq; fatigatos, ſine mora cædit, ſternit, profligat. Anileus fuga ela-
pſus, reliquias ex bello collegit, ijſq; infinitam ferè peſsimorum deſperatiſsimo-
rumq; hominum multitudinem adiunxit. Quibus inſtructus, Babyloniorum vi-
cos longè lateque populatur. Babylonij pacis petendæ gratia caſtra eius ingreſsi,
omnia, vt erant, pro neceſsitate ſpeculantur, viſaque oportunitate, ad ſuos, quaſi
quæ acta eſſent relaturi regrediuntur, Iudæiſq; nihil tale ſuſpicantibus Babylonij de
nocte eorum caſtra inuadunt, Anileum cum ſuis opprimunt: Statimque metu eius
liberati, omnem vim ipſos qui Babylonem habitarent Iudæos, conuertunt multis
occiſis, reliquos vrbe propulſant. Qui Seleuciam tranſmigrantes, quinquenniores
ſibi annulum habuêre tranquillas. Orta autem poſtea ſeditione, ad quinquagin-
ta millia Iudæorum ibidem cæduntur. Cæteri ad Niſibim & Neerdam Meſopota-
miæ vrbes ſeſe receperunt. Sic diuina vltio, paſsim Iudæorum populum inuenit.
Donec tandem penitus reſpublica eorum deleta ſit. Quod nobis inexemplum
proponitur, ne abiecto Dei verbo, ſpretoq; Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſimiles,
aut peiores tandem ſufferre pœnas, velimus nolimus, cogamur.

Nunquam credidiſſem, Satanam in tantum excæcare potuiſſe hominum men- 43.
tes, vt ea, quæ de Simone Mago, cuius in actis Apoſtolorum mentio fit, ab Irenæo
referuntur, cogitaret nedum diceret homo faceretue: Ni noſtra mihi ſecula fidem
facerent, Vbi non multò maior tam Deo quàm filio eius Domino noſtro Ieſu Chri-
ſto, à quàm plurimis honor tribuitur. Quorum Blaſpemiæ vel ipſo, quo eas mente
cogito, me ad ſtuporem adigunt: Ita vt neſciam, referendæ ne, an tacendæ ſint ma-
gis. Sed quæ noſtrum tempus attinent, ſuo fortaſsis loco narrabuntur. Nunc, vt Sa-
tanæ vim cernas, eiusq; in Dominum noſtrum IESVM virulentiam agnoſcas, pau-

 ca de

Anni Mundi. ca de Simone ex hiſtoria ſubiungam. Quæ compendio ſic accipe Simon Magus Samaritanus fuit, de vico Gyttho natus. Is ſub Claudio, poſtquam in Oriente ab Apoſtolo confuſus eſſet (vt in Actis legitur) Romam venit, magicis artibus multorum mentes decepit, ita vt Deus putaretur, Statuamq; ſibi in honorem poni videret, cuius inſcriptio erat, SIMONI DEO SANCTO. Is mulierculam quandam, SILENEM nomine, quæ prius apud Tyrum corpore mercedem fecerat, ſecum circumduxit. Eam primam mentis eius conceptionem, matremq; omnium, vocitabat; per quam initio concepiſſet Angelos facere & Archangelos. Ipſi quoq; ferè omnia aſſcribebat, quæ Sacræ literæ Verbo Dei æterno in creatione aſſcribunt. De ſe quoq; dicebat, ſe ſummum eſſe Deum, qui ob id deſcendiſſet ac transfiguratus eſſet, vt res malè ab Angelicis adminiſtratas emendaret: atq; in humana forma apparere, cùm non eſſet homo: & paſſum ſe in Iudæa putatum, cùm non eſſet paſſus: Sicq; omnem Chriſti honorem in ſe transferens, promittebat omnibus, qui in eum Selenamq; ſuam ſpem haberent, ſalutem, ac ad quoduis eos impelleret libido, liberam faciendi poteſtatem. Secundum enim ipſius gratiam ſaluari homines, ſed non ſecundum operas iuſtas. Iuſta enim opera non eſſe ſecundum naturam, ſed ab Angelis, qui mundum, ſe permittente, feciſſent, hominibus, vt in ſeruitutem eos deducerent, impoſita. Hæc fuit Simonis doctrina, Quam ſimiles fructus ſequuti ſunt: Scortationes, adulteria, in Deum verum Blaſphemiæ &c. Fons deniq; hic Simon ac pater omnium hæreticorum ab Irenæo vocatur. Vide plura apud ipſum lib. 1. cap. 10. & hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 13.

DESTRVCTIO FVNDAMENTI PAPATVS ROMANI.

44. NOtum eſt omnibus, quòd omnis totius Romani Pontificatus potentia atq; maieſtas, ſuper vnicum hoc fundamentum primitus extructum eſt, Quód Dominus dixerit Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hoc Pontificij arripuerunt, ad ſuam in Eccleſiæ Tyrannidem ſtabiliendam roborandamq;. Perſuaſerunt enim hominibus, Petrum Romanam Eccleſiam primitus fundaſſe, primumq; fundamenti lapidem ipſum fuiſſe, ſuper quem omnes ſucceſſores eius collocati, eandem potentiam haberent, vt & ipſi fundamentum Eccleſiæ vocitarentur eſſentq;. Hoc inſigni mendacio, totam Europam, & eam, quæ in ea eſt Eccleſiam, dementarunt. Age ergo, ſi ego fundamentum hoc, eis, vt confido, euertero, vanum, mentitumq; eſſe demonſtrauero: Inſignémne victoriam conſecutus ero? Oſtendam itaq; primùm, falſum eſſe, quod dicunt, Petrum Romam veniſſe anno 2. Claudij, hoc eſt, anno Chriſti 44. & Eccleſiæ præfuiſſe annis 25. deinde cætera perſequar. Certum eſt igitur, ex Epiſtola Beati Pauli ad Galatas, quòd Petrus anno Chriſti 51. Hieroſolymis fuerit, vbi magnum illud Apoſtolorum Concilium celebratum eſt, de quo in Actis cap. 15. Dicit enim Paulus, ſe poſt tres annos, poſtquàm conuerſus eſſet, primùm Hieroſolymam veniſſe, vt videret Petrum: deinde ait, ſe poſt annos quatuordecim aſcendiſſe vnà cum Barnaba, aſſumpto ſimul Tito, Vbi illa quæſtio, de lege obſeruanda, in Concilio agitata eſt, vt ibi patet. Nam ſi concluſio illa, quæ in Actis 13. ſcribitur, antea facta fuiſſet ab Apoſtolis: non fuiſſet neceſſarium, vt Paulus denuó cum Tito ad reliquos Apoſtolos aſcenderet: Sed antè ſciuiſſet eorum ſententiam, quòd Circumciſione non eſſet opus. Sed vtcunq; ſit: Certum eſt, eo tempore Petrum fuiſſe Hieroſolymis. Computa nunc annos. Anno currente

35. Pau-

35. Paulus conuerſus eſt: his adde 17. vſq; ad Concilium, habes 5 1. ſi triceſimum quintũ pro primo curſus Pauli ponis. Quomodo ergo ante ſeptennium Romæ fuit? Sed dicit quiſpiam: fuit illic,& reverſus eſt. Sed ego reſpondeo: B. Lucas nihil de eo ſcriptum reliquit in Actis, Quod certè non tacuiſſet,præſertim cum eius propoſitũ fuerit, Acta Apoſtolorum conſcribere. Neq; in vlla fide digna hiſtoria reperitur, quòd Petrus Romã, poſtquàm eó venerit, reliquit, & Hieroſolymam reuerſus ſit. Et fac quòd inueniretur: Tamen cum in Actis Lucas nihil de eo dicat, æquè incertum manet. Patet ergo primum fundamentum falſum eſſe.

Sed dicat quis: Sit ſanè, Hoc anno Petrus Romæ non fuerit, Quid ſi aliquot annos pòſt eò venit: Fac eſſe, Tamen iterum certum eſt, eum ſub annum Chriſti 58. & 60. Romæ non fuiſſe. Cùm B. Paulus eò captiuus duceretur, & duobus annis in ſuo conducto maneret. Ibi B. Lucas iterùm nihil de Petro. At, quid ſi poſt hoc tempus eò venerit? Venerit ſanè, Tamen ex ſecunda Pauli ad Timotheum Epiſtola, cap. vit. iterùm certum eſt, eum ſub tempus quo mors Pauli inſtabat, Romæ non fuiſſe. Siquidem illic B. Paulus eorum qui ſecum fuêre meminit, Eubulum ſcilicet, Pudentem, Linum enumerans,& de Petro ne gri quidem. Cæterùm Romana Eccleſia, fundata erat, ante quàm B. Paulus eò veniret, vt ex Epiſtola Pauli ad Romanos certum eſt. Igitur neq; Petrus, neq; Paulus eius fundatores eſſe potuerunt. Si itaq; ab alijs, quàm ab his fundata eſt Romana Eccleſia: Vanum, falſum, fictum & mentitum eſt, quicquid Romani pontifices de B. Petro &c. gloriati ſunt. Vides ergo pie lector, Romanam ſedem ſuper mendacio fundatam, Quæ tamen tot ſeculis, magna cum ſuperbia, totum ferè mundum Tyrannicè oppreſsit.

Sed obijciat mihi aliquis: Ipſum Petrum in ſua priori Epiſtola Babylonis meminiſſe, atq; ibi typicè Romam ſignificari. Cui reſpondeo: Hanc coiecturam nullam eſſe. Quia Petrus, cùm illam Epiſtolam ſcriberet, Romæ non fuit, ex prædictis patet. Sed quæ fuit illa Babylon? Scias lector, vnam fuiſſe Babylonem in Chaldæa, in ſcripturis famoſiſsimam: ad illam Petrum veniſſe, non videtur á veritate alienum. Nam cùm ex Actis manifeſtum ſit, eum annis aliquot in Syria egiſſe: fieri potuit, vt & illam Babylonem adierit. Prætera altera fuit Babylon in Ægypto, in qua multi Iudæi fuerunt congregati. Petrus ergo cùm ad prædicationem Euangelij inter Iudæos vocatus eſſet: & eó venire potuit. Ac videtur mihi valdè veriſimile. Nam cùm Marcus, Petri diſcipulus, qui Euangelion ſcripſit, apud Alexandriam Ægypti fuerit conſtitutus: non videtur alienum, Petrum in Ægypto annos aliquot egiſſe. Sed vtcunq; ſit, certum eſt, Petrum non eſſe fundatorem Romanæ Eccleſiæ, vt Papa mentitur. Si veró perrexerint, hiſtoriam mihi Eccleſiaſticam & Irenæum obijcere, quorum vterq; Romanam Eccleſiam á B. Petro rectam eſſe tradunt: Reſpondeo ſuppoſititium eſſe, & ab Adulatore quodam Pontificio ſubornatum. Siquidem Romana Eccleſia, circa Nicenam Synodum, in eo honore non eſt habita, quo eam deprauator ille Irenæi, circa annum Chriſti 180 fuiſſe tradit, vt eo loco forſaſsis indicabimus. Valeant ergo Romani cum ſua Papa, & regnet CHRISTVS verus ille lapis Angularis, ſuper quem ſi quis ædificatus fuerit, non confundetur, Amen.

Quid ergo ſentis de morte Petri, quem pleriq; Romæ in crucem actum eſſe tradidère? Hoc ſentio. Si certum eſt, eum Romæ crucem ſubijſſe, neceſſe eſt, eum non diu ibi fuiſſe, alioqui certiora teſtimonia de eo extarent. Sed & hoc in dubio relinquitur. Verum ſit nec ne, quód Romæ interemptus ſit, Non eſt articulus fidei: nec hæ-

Anni Mundi. nec hæreticus cenſendus, ſi quis non omnia credat, quæ Pontificij ad ſuam Tyrannidem ſtabilendam excogitarunt. Sede his iam ſatis: pergemus ad reliqua.

46. Agrippa, qui & Herodes in Sacris dicitur, cùm Cæſareæ ſpectacula populo exhiberet, adulatoriè Deum ſe vocari paſſus eſt: vnde ab Angelo Domini percuſſus, miſerrimè interijt. Hæc cum in Actis cap. 12. à Luca referantur: ac Ioſephus per omnia cum ipſo conſonet: eius ea de re verba hîc aſſcribere placuit. Iucundum enim eſt videre, quî prophanæ hiſtoriæ cum Sacris conueniunt. Verba Ioſephi hæc ſunt. Igitur cùm Tertium annum in Iudææ complêſſet regno (ſcilicet, ex quo Iudææ Regnum accepit Agrippa) venit in Cæſaream ciuitatem, quæ primitus Turris Stratonis apppellabatur, ibiq; ſpectaculum, ad honorem Cæſaris, pro eius ſalute, celebrabat: ad quam feſtiuitatem, omnis prouinciæ multitudo, nobilium ſimul & Procerum vnà conuenerat. Secunda verò ſpectaculorum die, ſtola veſtitus vndiq; argento contexta, ita vt textus eſſet valdè mirabilis, venit ad Theatrum, incipiente die: & primis radijs Sole oriente demiſsis, argenti claritas repercuſſa, fulgorem reddidit valdè perſpicuum, & oculis inſpicientibus formidandum. Mox autem adulatores voces fauorabiles emittebant, quæ nec illi bonæ pro veritate videbantur, Deum ſcilicet appellantes eum, atq; dicentes: Propitius nobis eſto: quia licet hactenus te velut hominem timuerimus, attamen iam nunc ſuperioris naturæ te eſſe conſpicimus. Has autem voces Rex nequaquam compeſcuit, nec impia eorum verba compreſsit. Poſt paululum verò reſpiciens, vidit ſupra ſuum verticem in quodam fune ſedentem Bubonem (Hiſtoria Eccleſiaſtica Angelum habet, qui capiti eius imminuerit) quem etiam mox eſſe malorum cauſam intellexit, qui fuerat ei aliquando bonorum. Mox ergo paſsionem mortiferam corde ſuſcipiens, & vehementer vteri dolore percuſſus reſpiciensq; ſuos amicos: Ego, inquit, veſter Deus, iam vitam mutare compellor. Repente namq; increpitus ſum, cum mendaces ad me clamarent. Nam qui vocabar immortalis à vobis, ecce iam ducor ad mortem. Suſcipienda eſt ſententia, quæ profertur à Deo &c. Et pauló pòſt: Quinq; verò continuis diebus, ventris dolore confectus, vita priuatus eſt, habens annum ætatis quartum & quinquageſimum, ſeptimum verò Regni. Quatuor namq; ſub Caio Cæſare regnauit annis cum Philippi quidem Tetrarchia tribus, quarum verò cum Herodis, tres autem reliquos ſub Cladij compleuit Imperio, in quibus & Iudæam percepit, & Samariam, atq; Cæſaream, & tributa ſui innumera auxit Imperij. Hæc Ioſephus Antiq. lib. 19. cap. 7.

Libet hîc quoq; referre, quæ de Aſſumptione glorioſæ ſemper Virginis, Matris DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, Mariæ, Idolatræ nugenter. Ea autem

48. non meis, ſed Hiſtorici cuiuſdam, inter cætera non contemnendi, verbis narrabo. Anno trigeſimo ſexto, inquit, Domina noſtra Dei genitrix obijt, ætatis ſuæ anno quadrageſimo nono. Poſt paſsionem unum ſuperuixit annum, & quinq; non plenè menſes. Migrauit enim decima quinta die menſis Auguſti, feria quarta. Sicut ipſa reuelare dignata eſt, primó Eliſabeth Sacræ Virgini, poſtea ſancto Bertranno Ciſtercienſi: Addiditq;, ſuum corpuſculum in vallis Ioſaphat medio, angelicis manibus præparato ſepulchro, iacuiſſe quadraginta diebus. Et ita vigeſima tertia Septembris die Dominico, ætatis annò quinquageſimo, corpore ſimul & anima, ſuper omnes Choros angelorum exaltatam. Hæc & plura autor ille, cuius nomen ob reuerentiam taceo. Si B. Lucas in Actis ea de re pauca meminiſſet, eſſet quod crederent. Somnijs credere, præſertim à Deo vero ad creaturas abducentibus, Chriſtianum

non eſt

Anni Chriſti.

non eſt. Hæc tamen retuli, vt videant poſteri,quibus argumentis Pontificij ſuos errores confirmarint. Haberem quæ hic dicerem, contra tam nefanda ac Satanica mendacia, ſi non vererer,opus in immenſum his nefandis nugis excreſcere.

Concilium Apoſtolorum Hieroſolymis hoc anno habitum eſſe, ſuprà comprobauimus, cùm de eo, quód Petrus Romæ illo tempore nondum fuerit, egimus. 51.
Quid autem in Concilio concluſum ſit, lege in Actis, cap. 15.

Felice in Iudæa præſidente, multæ calamitates Iudæos exceperunt, quas breuiter hoc loco iudicare volui. 54. Ionathas ſummus Sacerdos Felicem ad pietatem monuerat, quòd ægrè ferens Felix, conſtituit quendam Ioſeph nomine, qui Ionathæ familiaris erat. Hic accepta latronum manu, Sacerodotem interfecit. Latrones impunè hoc ferentes ſubinde Sicariorum more,quoſquos volebant, in congregatione populi interficiebant nulla locorum habita reuerentia. Quia neq, in Templo,neque in curia à cædibus clandeſtinis temperatum eſt. Hoc vnum malorum, Cui accedebant homines vani, qui Magos ſe appellabant, prophetæque videri volebant, ij multos ſeduxerunt. Nam ſimul ac aliquos ſibi aſciuiſſent, quaſi ſeditioſi à Felice oppreſsi ſunt. Fuit autem inter eos inſignis quidam Ægyptius, cuius in Actis Apoſtolorum cap. 21, mentio fit, de quo Ioſephus hæc ſcribit. Hoc etiam in tempore, venit aliquis ex Ægypto ad Hieroſolymam, dicens, ſe eſſe prophetam: & populari multitudini perſuaſit, vti cum eo ad montem, qui dicitur Olyuarum, poſitum,è diuerſo ciuitatis procul ſtadijs quinque conſcenderent, velle ſe, dicens, eis exinde demonſtrare, quia eo iubente Hieroſolymorum muri corruerent,vnde ingreſſum eis faciendum eſſe promittebat. Felix autem dum hæc audiſſet,iuſsit,milites,vt arma ſumerent. Quo facto, cum multis equeſtribus impetu facta ab Hieroſolymis, irruit ſuper eos, & quadringentos quidem eorum gladijs interemit,ducentos verò viuos cepit: ipſe autem Ægyptius fuga lapſus diſparuit. Rurſus itaq; latrones populum contra Romanorum prælia concitabant, ſuadens, ne eis ſubiacere deberent: & ſibi reſiſtentium vicos incendebant atq; diripiebant. Hæc Ioſephus lib. 20. cap. 17. Sic puniti ſunt Iudæi impij: Cùm doctores veritatis Apoſtolos audire nollent,ſeductores ad ipſorum perniciem ſequi, á Deo vltionem expoſcente, permiſsi ſunt, donec penitus interierunt. Porrò de his Tacitus lib. 12. quoq; ſcripſit,quæ ſi quis volet ibi legat.

De morte Iacobi fratris Domini cùm ea longius in hiſtoria Euſebij trandantur pauca quædam dicere placuit. Mortuo præſide Iudæorum Feſto, Ananias pontifex, 63.
libertatem ſe nactum ratus, Iacobum fratrem Domini qui Epiſcopi loco Hieroſolymis habebatur, & mira ſanctimonia reliquos omnes præcellebat, in Ius vocat, eumq; tanquam præuaricatorem Legis Moſaicæ accuſat,Chriſtumq;abnegare compellit. Illo verò fortiter reſiſtente Chriſtumq; Dominum Deum eſſe confitente, iratus Pontifex lapidibus eum,cum multis alijs qui CHRISTVM confitebantur,obrui iuſsit. Quidam eum de pinnis Templi prius deiectum tradunt, & orantem pro interfectoribus,Fullonis arcu quo lanam præparare ſolent,caput percuſſum, occubuiſſe. De ſepulchro Iacobi cuius mira apud poſteros ſparſa ſunt mendacia. Quidam eius corpus in extremitates Hiſpaniæ latum tradidit, truncumq; Tolloſæ, caput Compoſtellæ ſepultum. Idem ab eo autore de Iacobo fratre Iohannes dicitur: Ita vt videas eum ipſum incertum eſſe, quis Iacobus ille fuerit, quem in Compoſtella, magnis tranſactis itineribus, noſtri homines religionis ergò viſitarunt. Sed cùm nec Actus Apoſtolorum, nec quiſpiam veterum ea de re quicquam ſcripſerint,

Anni Mundi. ſcripſerint ea pro Diabolicis mendacijs, in Quæſtum à Sacrificulis excogitatis, haberi cenſeo. Erroris autem mendacijq; cauſam hanc eſſe autumo. Raphael Volaterranus Geograph. lib. 2. tradit Alphonſum tertium, qui ob res egregiè geſtas cognomento Magnus dictus eſt, & circa annum Chriſti 883 regnare cœpit, Templum diui Iacobi Compoſtellæ ædificaſſe, & nihil de hoc amplius dicit: Hinc ego conijcio, cùm ſequentibus inde ſeculis, peregrinationes ad Sanctorum templa increbeſcerent, magnoq; ea res Sacrificulis auaris quæſtui eſſet, quendam habendi cupidine ductum, hoc mendacium Templo illi affinxiſſe, quód corpus Iacobi Apoſtoli illuc translatum eſſet: Cui deinde ficta miracula, apud imperitum Vulgus, fidem fecerunt: donec tandem inualeſcente fama, ea, quæ tribus ferè ſeculis fuit, peregrinatio ſit exorta. Et cùm à peritis rerum quæſitum eſſet, quo, pacto, aut quando corpora Sanctorum eò allata eſſent: Quicquid fingere, quod lucro eſſet, Hypocriſis non eſt verita.

66. Sexageſimo ſexto anno Chriſti, altera perſecutio in Chriſtianos exorta eſt, quæ decimo Neronis anno initium, morteq; eiusdem finem accepit. Cauſam huius perſecutionis, ac quibus mortibus Chriſtiani affecti ſunt, Cornel. Tacitus lib. 15. hoc modo refert. Cùm Neronis iuſſu vrbs Roma incenſa, igniq; miſerandum in modum afflicta eſſet, Neroq; infamiam eam, qua is mali eius autor ferebatur, extinguere vellet, omnem eius rei culpam in Chriſtianos reiecit, eosq; miſeris mortibus affecit. Verba Taciti hæc ſunt: Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Autor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaq; in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modó per Iudæam, originem eius mali, ſed per vrbem etiam, quò cuncta vndiq; atrocia aut pudenda confluunt celebranturq;. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, QVAM ODIO HVMANI GENERIS conuicti ſunt. Ea pereuntibus addita ludibria, vt Ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hæc Tacitus.

Hac perſecutione B. Petrum Romæ crucifixum ferunt, Paulumq; Gentium Apoſtolum capite plexum. Quæ Egeſippus de Petro refert, quomodo cum Simone Mago concertauerit ficta magis, quàm facta crediderim. Cæterùm ſi Petrus Romæ occubuit, certè non diu illic fuerit neceſſe eſt, ſicuti ſuprà quoq; diximus.

70. Cogor nunc, in honorem Papatus Romani, & hunc errorem indicare, qui de temporibus Lini oritur. Pleriq; eum ſucceſſorem Petri faciunt, & eo anno Primatus eiusdem initium ponunt, quo Petrus occiſus ſit &c. Sed inſtaurator Pontificatus, Monachus ille, qui duo ingentia Conciliorum Volumina congeſſit, quæ Coloniæ ſunt edita, ex libro Pontificali Damaſi hæc refert. Fuit autem (ſcilicet Linus) temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini & Scipionis, vſque ad Capitonem & Rufum, Coſſ. &c. Cætnruùm Saturninus & P. Cæpio, quem is Scipionem vocat, Coſſ. fuêre anno 2. Neronis: Capito verò & Rufus anno 13. eiusdem. Sed omnes Pontifitij dicunt, Petrum 14. hoc eſt, vltimo Neronis anno occiſum. Quomodo ergo Linus poſt Petrum ſedit? Cùm anno ante Petrum ſit Martyrio coronatus. Vides nunc Lector, quàm certum ſit Papatus fundamentum? Si Linus ſummus Romæ Epiſcopus fuit tempore Neronis, Petrus certè non fuit, vt illi mentiuntur,

Sed

Sed hæc indicaſſe ſufficiat. Quomodo hanc Platina componat litem, vide apud e- | *Anni Chriſti.*
undem. Porrò,vt & Ceremoniarum Romanenſium,veterum exemplo comprobe-
tur inſtitutio : huic Lino aſſcribunt,quod ſtatuerit,ne mulieres, niſi velato capite,
Templum introirent. Quod tamen inſtitutum non Lini,ſed B.Pauli Apoſtoli eſt, 1.
Corinth. 11.

Anno eodem, qui fuit vrbis Romæ 820. Prodigijs multis futuræ calamitates ſignificatæ ſunt: Mox ſupplicium & mors Neronis, de quibus paſsim ſcripta extant. In temporibus autem ſucceſſorum,Galbæ,Othonis & Vitellij,ſcriptorum negligentia,confuſio eſt exorta,quam hîc tollere à propoſito non alienum duxi. Error & confuſio temporum hinc manat,Quòd plærique putarunt hos Imperatores ſucceſsiuè tanto,quantum eis aſſcribitur,tempore imperaſſe, quod tamen factum non eſt.Galba enim Imperium vſurpante in Gallijs & Hiſpanijs,Romanoque milite,qui in vrbe erat, accedente: Otho ſeptimo Galbæ menſe corruptis militum animis, Imperium inuadit: Galbaque per ſeditionem, autoribusq; ſuis occiſis,Otho à Senatu Auguſtus dicitur. Mox de Vitellio,qui in Germania à militibus Imperator dictus erat, fama ad vrbem aduolat. Imperant ſic duo principes. Adueniente tandem cum exercitu Vitellio, Otho victus, ſeipſum interfecit. Dum hæc in occidente geruntur, Veſpaſianus in Iudæa ab exercitu Imperator dictus eſt; cuius Imperij primum diem in Chronologia indicauimus. Is relicto in Iudæa Tito filio, per Ægyptum deſcendens Romam petit. Præmiſsisque Legatis, diſcedentibus paſsim à Vitellio Legionibus, & in verba Veſpaſiani iurantibus, Vitellius Romæ prius occiſus eſt, ac Veſpaſianus eò veniret. Imperauerunt autem ſimul Veſpaſianus & Vitellius menſes ferè quatuor: Vt apud Cornelium Tacitum,ſi quis plura ſcire deſiderat, videre poterit lector. Quod non aduertentes, quidam anno integro,quidam ferè duobus, hiſtoriæ fidem anticipare fecerunt.

DESOLATIO VRBIS HIEROSOLYMÆ EX PAVLI EBERI HISTORIA Iudaica.

HVius belli hiſtoria,cùm ſatis commodè & prolixè ſit à Ioſepho & alijs quibuſdam deſcripta,nolui eam hîc attexere, abhorrente etiam animo ab expoſitione illarum horribilium cladium, & atrocitate ſua fidem humanam excedentium. Neque enim extat vllius gentis hiſtoria, quæ tot ac tantis calamitatibus tam diu preſſa ac vexata,ad extremum miſerrimis modis ſimul tota ferè ſit extincta. 72.

Nam cùm defeciſſent Iudæi anno, vt dictum eſt, duodecimo Neronis, totus ferè ſex annos Romanorum exercitus in Iudæa hoſtiliter, atque etiam immaniter graſſatus eſt, irritantibus ſubinde Iudæis, ſua inexpugnabili contumacia, victorem militem,ad inauditam ſæuitiam.

Scholion) Eberus nō cum vera tēporum ratione conuenit. Ego autē eius verba mutare nolui.

Sed vt de regionis totius vaſtatione taceam, vnius ciuitatis Hieroſolymorum miſerias quis pro magnitudine æſtimare poteſt? quæ ante quàm hoſtes Romanos vidit, longè crudelioribus intus hoſtibus toto illo ſexennio afflicta eſt, ac diſtracta et factionibus latronum audaciſsimorum, inter ſe rapinis, cædibus, incendijs etiam ad rabiem vſque certantium, cùm nulla pars ſatis ſuum locum ſe tueri poſſe crederet,niſi alias factiones,ſcelerum nouorum modis ac numero ſuperaſſet.

Eó igitur tandem furor proceſsit, vt pietatis ac moderationis opinio certiſsimam necem poſſeſſori afferret. De locupletibus ciuibus certabant factiones, quæ prius interfectis dominis, in bona inuolarent. Tenuioris fortunæ homines trucidare, erat tollere è medio inutilem turbam, & futuram oneri ciuitati obſeſſæ, & vrbem ad tollerandam obſidionem diuturnam præparare. Vno verbo ſignificare, aut vultu præ ſe ferre dolorem, de præſenti licentia omnium ſcelerum, vocabatur proditio, & conſpiratio cum Romanis, denique erat acerbiſsimo ſupplicio dignum facinus. Simile erat, ſuos innocentiſsimè interfectos lugere. Polluere templi ſacratiſsimam partem cædibus ac ſanguine, erat pugnare pro conſeruatione templi & religionis patriæ. Rapere ſacros Theſauros ex templi gazophylacio, eosdemque fœdiſsimo luxu profundere, erat mutuari ſumptus ad defenſionem cultuum diuinitus traditorum. Capitale erat, fuga tantis malis ſeſe ſubducere conari. Manentes autem in vrbe, præter alias publicas miſerias cernebant etiam ſua corpora, coniuges, liberos, fortunas, peſsimorum nebulonum effreni libidini ac violentiæ expoſita. Breuiter, nullum excogitari poteſt iniuriæ aut contumeliæ genus, quod miſera multitudo Iudæorum ab hoſte metuere debuerit, non prius idem perpeſſa à ſuis defenſoribus. Non igitur terribilis amplius multitudini in vrbe, ſed vt diu expetitus & optatus, quaſi recreationi eſſe cœpit aduentus hoſtilium copiarum, cùm oppugnata vrbe factioſi cogerentur coniunctis viribus externam vim propulſare, omiſsis inteſtinis latrocinijs ac conflictibus. Poſtremo igitur ſemeſtri huius belli, exercitu hoſtili ciuitas cincta, poſt illas immanes latronum intra vrbem direptiones & profuſiones, horrenda fame laborare cœpit, quam lues comitata eſt tam fœda, vt dicantur vndecies centena millia hominum, tempore obſidionis, fame & peſte extincta eſſe. Maxima multitudo à ſeditioſis intra mœnia, durante bello, quotidianis cædibus interfecta eſt.

Poſtea hoſtium telis in oppugnationibus, poſtremò capta & incenſa vrbe, aliquot myriades perierunt. Capti ſunt belli tempore ad ſeptem & nonaginta millia, qui partim venditi, partim in magnas vrbes in vicinia diſtributi, ludorum diebus laniandi feris obiecti ſunt: alij in circo mutuis vulneribus, pugnantium hoſtium more, ſe conficere coacti: alij vincti ad Iſthumum Peloponneſi perfodiendum miſsi ſunt. His triſtiſsimis exemplis horrendæ iræ Dei aduerſus contemptores Chriſti & Euangelicæ doctrinæ, gens illa propè tota deleta eſt, cùm diuinitus ita factum eſſet, vt feſto Azymorum, quo ex tota Iudæa Hieroſolymam conuenire conſueuerant Iudæi, vrbs cingeretur obſidione, & tunc quidem quicquid in tota regione ferè erat perdiſsimorum hominum, prædonum, latronum, facinoroſorum, fiducia munitionis, & ſpe ſecuritatis Hieroſolymam accurrerat. Cùm igitur primùm Veſpaſianus quinque annis ferè totam Iudæam ſubegiſſet, pluribus vrbibus munitiſsimis vi expugnatis, & ob inhabitantium peruicaciam direptis ac incenſis. Vltimo ſemeſtri Titus ad vrbem Hieroſolymam exercitum adduxit, eamque obſedit anno ſecundo Imperij patris, menſes ſex, quos appellationibus Macedonicis Ioſephus vocat.

Ξανθικὸν		*Aprilis.*	Πάνεμον		*Iulius.*
ἀρτεμίσιον	*quibus reſpondet ferè*	*Maius.*	Λῶον	*quibus reſpondet ferè*	*Auguſtus.*
Δέσιον		*Iunius.*	Γορπιαῖον		*September.*

Anno poſt CHRISTVM Natum, ſeptuageſimo tertio: poſt eundem paſſum ac reſuſcitatum, fermè quadrageſimo (Vno anno à vero aberrat Eberus, cuius cauſam ſuprà indicauimus.) *Anni Chriſti.* 72.

Menſis XANTHICI, id eſt, Aprilis die 14. Obſeſſa eſt vrbs Hieroſolyma, feſto Paſchatis. Die 22. fruſtra tentata ſeditione, Titus ſtructis aggeribus, & admotis machinis vrbem oppugnare cœpit.

Menſis ARTEMISII, id eſt, Maji, die 7. primo numero capto, Bezetha, hoc eſt, Neapolis, pars vrbis vltra templum verſus ſeptentrionem recens adiecta, & ab Agrippa priore cincta muro, occupatur à Romanis, die 12. Secundum murum capiunt Romani, & eodem die rurſus ejiciuntur. Die 16. ſecundo muro iterùm capto potiuntur inferiore vrbis parte, quam ACRAN vocabant Iudæi, ſitam in colle humiliore altero. Die 21. amiſsis iam duabus vrbis partibus, cùm Iudæi clementer inuitati à Tito, adhuc nollent pacem petere, aggeres extruere cœperunt milites ad Antoniam, iuxta tertium murum, qui intra duodecim dies perfecti, ſubiecto à Iudæis igne concremantur. Intercedit igitur mora totius menſis DEVTII, quo interuallo murum circa totam vrbem ducunt Romani, vt Iudæis commeatum, & facultatem fugiendi intercludant.

Menſis PANEMI, id eſt, Iulij die 1. Titus commiſeratione plebis motus, quam cenſerat propter paucorum obſtinatam peruicaciam, fame & peſte abſumi, vt eam quàm primùm liberaret, congeſtis nouis aggeribus, oppugnationem difficilimam tertij muri & Antoniæ tentat. Erat autem id ædificium magnificentiſsimum & munitiſsimum, iuxta Templum, turris quadrangulæ ſpeciem, ſed arcis ampliſsimæ magnitudinem referens, ab Herode Magno in gratiam pontificum extructum, & ab Antonio triumuiro appellatum, intra quod ſacer ornatus ſummi ſacerdotis aſſeruari conſueuerat. Die 6. Antonia expugnatur, corruente vltrò parte muri, illo in loco, quo Iudæi cuniculum egerant extra vrbem, per quem prorepentes, aggeres hoſtium incenderant.

Menſis LOII, id eſt, Auguſti die 8. Cùm Iudæi aliquoties prouocati ad pacem petendam à miti victore, vt Templo parci poſſet, conuicijs & telis legatos retuliſſent, templum vi capitur: cui, contra edictum Titi, ab iratis militibus iniectus ignis, opus admiratione digniſsimum abſumpſit, quo ipſo die etiam à Chaldæorum duce Nabuzardan, ante annos ſexcentos ſeptuaginta nouem, templum incenſum fuerat. Die 20. ſuperioris vrbis, quæ ciuitas Dauid vocabatur, oppugnatio inchoata eſt, poſtquàm denuò admoniti Iudæi de abjiciendis armis, pacem oblatam reſpuerant.

Menſis GORPIÆI, id eſt, Septembris die 7. Capta eſt vrbs ſuperior, cuius munitio erat templum, ſicut templi propugnaculum erat Antonia. Die 8. tota vrbs Hieroſolyma, prius direpta, arſit.

Menſis die Octobris 24. Titus in vrbe maritima Cæſaræ natalem fratris Domitiani celebrans, ludos edidit varij generis, in quibus Iudæi captiui ad tria millia producti, partim à feris dilaniati ſunt, partim armati commiſsi inter ſe trucidarunt.

Menſis NOVEMBRIS die 17. Berytum, in Syriæ oppidum, Romanorum coloniam, profectus Titus, patris Veſpaſiani natalem celebrauit, productis ſimiliter in ludorum ſpectaculis plurimis captiuis Iudæis, qui cum Romanorum & Græcorum voluptate obtriti, laniati & mactati ſunt.

 Hæc

Anni Christi. Hæc pauca de miſerabili excidio eius vrbis dicere volui, quæ præcipua ſedes fuit populi & doctrinæ Dei, ab octauo anno regni Dauidis, vſque ad hoc excidij tempus, annos mille, centum, & triginta ſeptem. vt nos commonefacti de inæſtimabili ira Dei aduerſus contemptum filij ſui, & verbi per ipſum patefacti, caueamus, ne vel ſtudio opprimendi veram doctrinam, vel obſcurandi falſis conciliationibus, vel contemptu eiuſdem & ſcelerum licentia, ſimiles ærumnas nobis acceſſamus. Hactenus Eberus.

82. Quamuis circa hunc annum in Chronologia indicatum ſit, quòd C*LETVS* Romanorum Epiſcopus non fuerit: tamen vt cauſas quoque addam, quæ me hoc affirmare compulêre, hæc breuiter ſubjiciam. Tàm Irenæus quàm Euſebius in hiſtoria, Lino Anacletum ſucceſſorem ponunt, & Cleti nullam mentionem faciunt. Quem certè non omiſiſſent, ſi vnquam tali nomine quiſpiam Romanus fuiſſet Pontifex. Deinde illa quæ ex Damaſi de Pontificibus libro, à Monacho ſuprà nominato afferuntur, omninò ſtare non poſſunt. Dicit enim de Cleto: Fuit autem temporibus Veſpaſiani & Titi, à Conſulatu Veſpaſiani ſeptimo, & Domitiani quinto, vſque ad Domitianum nono & Rufum Coſs. Mox de Clemente, quem Cleto ſucceſſorem facit: Clemens natione Romanus, de regione Celio monte, ex patre Fauſtino, ſedit annis nouem. Fuit autem temporibus Galbæ & Veſpaſiani, à Conſulatu Trachalæ & Italici, vſque ad Veſpaſianum nono & Titum. Videat nunc lector, quomodo hæc fieri potuerint? Ego eiuſmodi mendacia enormia conciliare neſcio: ea indicaſſe, vt Papatus initij incertitudo pateat, ſatis eſſe duco. Audent tamen Pontificij hunc, qui nunquam fuit, interceſſoris loco coram Deo, in Sacro ſuo Canone Miſſali ponere.

94. De Clemente, quem Romanum Epiſcopum fuiſſe certum eſt, hæc breuiter traduntur: Quòd Romanus fuerit, & à Petro Apoſtolo appræhenſa manu Rom. Pontif. ſi ordinatus (ſi modò Epiſtolis eius fides erit adhibenda) Ipſe veró ſibi Linum ac Cletum prætuliſſe. Traiani tandem iuſſu in exilium deportatum, vbi duo millia reorum repererit, qui marmora ſecabant, indeque retractum anchora collo appenſa ſubmerſum. Eius iuſſu Martyrum acta conſcribi cœpiſſe, ſeptemque ad hoc Diaconos in diuerſa loca ordinatos. Sanxiſſe eum quoque ferunt, Ne Epiſcopus ſine Diacono ſacra faceret, Néue Laico Clericum in ius vocare liceret. Itemque in Decretis refertur, de conſec. diſt. 2. Sacerdotum aliorumque &c. Quando celebratur Miſſa, presbyterium laicus ingredi ne præſumeret. Sed quæ fides eis, quæ ſub Clementi nomine feruntur, Epiſtolis ſit habenda, ex hoc palàm fit. Prima earum ad Iacobum fratrem Domini ſcripta perhibetur, in qua in primis agitur de morte Petri, & quomodo Clemens ſit ab eo Pontifex factus. Iacobus frater Domini anno Chriſti 63. occiſus eſt. Petrus verò, vt ipſi Pontificij tradunt, anno vltimo Neronis, hoc eſt, anno Chriſti 70. Quomodo ergo ad illum qui ſeptimo antè anno defunctus erat, de morte Petri ſcribere potuit? Deinde talia in eadem Epiſtola traduntur, quæ cum ſacris literis minimè conueniant. Quod certè Clementi pio viro non aſſcribendum, nec cogitandum de eo fuerit. Porrò & phraſes eiuſmodi ſunt, quæ ea tempora non redolcant, ſed monaſticum quid præ ſe ferant. Altera Epiſtola ad eundem Iacobum tractat de ſacratis veſtibus, Res digna, quæ Apoſtolis negocium faceret, in primitiua Eccleſia. Denique nihil eſt in ea tota Epiſtola, niſi quod Sus Mineruam, vt in prouerbio eſt, Epiſcopus Apoſtolum, diſcipulus Magiſtrum doceat. Tertió, & hæc poſt mortem Petri ad Ia-

cobum

cobum ſeptem annis ante Petri mortem ſepultum, ſcripta eſt. Quare credat eis, qui credere poteſt, niuem eſſe nigram, lucem tenebras, tenebras lucem, & ſimilia. Hæc in honorem Romanæ Sellæ, iuſſu vocis Diuinæ, Apocalyp cap. 18. à me ex eorum ſcriptis relato ſunto, ſuis locis plura ad honorem eius pro veritate dicturi. *Anni Chriſti.*

Hæreſes nunc aliquæ, vel doctrinæ Hæreticorum indicandæ veniunt, inter quas prima eſt, Nicolaitarum, cuius in Apocalypſi quoque mentio fit, cap. 2. de ea Euſeb. in hiſtoria ſic ſcribit. Nicolaitæ Nicolaum, vnum ex illis, qui cum Stephano ab Apoſtolis conſtituti ſunt Diaconi, autorem ſe habere iactabant, de quo Clemens Alexandrinus in Tertio Stromaton libro hæc ſcribit: Pulchram, inquiens, valdè hic vxorem habuit. Et poſt Aſcenſionem Domini & Saluatoris noſtri, cùm increparetur ab Apoſtolis tanquam Zelotypus, productam in medium vxorem ſuam, ſi quis eam habere vellet, permiſit. Ex qua occaſione iſti conſequens putauerunt, vt ſecundum hoc factum dictúmue Nicolâi, vnuſquiſque carne ſua, in quocunq; delectaretur, abuteretur. Et retinentes hoc ſimpliciter & innocenter dictum, abſque vlla reuerentia promiſcuos nunc & illicitos concubitus expetunt hi, qui ſub illius nomine, ſectam ſibi propriæ libidinis aſſumſerant. 94.

Menandri qui Simonis Magi diſcipulus, & conterraneus eius, id eſt, Samaritanus fuit, docuit, ſemetipſum eſſe Saluatorem, ab inuiſibilibus miſſum ad ſalutem hominum: ſi quis ab ea diſceret Magicam, quam profitebatur, artem, eum tam fore potentem, vt angelos, qui mundum crearint, vinceret: Sique Baptiſma eius ſuſciperet, eum immortalem in hac vita fore, nullúmque ſenectutis experiri incommodum. 95.

Cerinthi Blaſphemias Irenæus breuibus ſic indicat, lib. 1. cap. 25. Cerinthus autem, quidam in Aſia, non â primo Deo factum eſſe Mundum docuit, ſed à Virtute quadam valdè ſeparata, & diſtante ab ea principalitate, quæ eſt ſuper vniuerſa, & ignorante eo, qui eſt ſuper omnia, Deo. (Sunt ne hæ Blaſphemiæ?) Pergit Irenæus. Ieſum autem ſubiecit, non ex Virgine natum. Impoſsibile enim hoc ei viſum eſt: fuiſſe autem eum Ioſeph & Mariæ filium, ſimiliter vt reliqui omnes homines, & plus potuiſſe Iuſticia, prudentia & ſapientia præ omnibus, & poſt Baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum, ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, ſigura columbæ, & tunc annunciaſſe incognitum patrem, & Virtutes perfeciſſe: in fine autem reuolaſſe Chriſtum de Ieſu, & Ieſum paſſum eſſe, & reſurrexiſſe. Chriſtum autem impaſsibilem perſeueraſſe exiſtentem Spiritualem. Hæc Irenæus. Hiſt. Eccleſ lib. 3. cap. 28. hæc addit: Docuiſſe eum, Regnum Chriſti poſt reſurrectionem fore Terrenum Hieroſolymis: & homines in carne iterùm concupiſcentijs & vitijs ſubiectam conuerſationem habituros.

Ebionei, qui à paupertate nomen habent, verè pauperes in agnitione gloriæ Chriſti, vt dicit Euſebius, Quoniam quidem ſolum eum hominem putarunt, & per profectum vitæ ac Virtutis Virum iuſtum effectum, communi etiam natiuitate ex viro & fœmina procreatum, Chriſti fidem non eſſe ſufficientem ad vitam æternam conſequendam. Legem igitur cuſtodiendam cenſuerunt. Quidam ex eis à Virgine natum eum fatebantur, ac de Spiritu ſancto conceptum, nec tamen ſemper fuiſſe Deum ac Verbum & Sapientiam Dei. Corporalem legis obſeruantiam cuſtodiebant. Pauli Apoſtoli Epiſtolas omnes reſpuere, ipſumq; Apoſtatam legis appellare ſoliti ſunt. Vſi Euangelio vno quodam, quod ſecundum Hebræos

 dictum

Anni Christi. dictum fuit, cætera omnia nihili ducta. Sabbata cum Iudæis, nobiſcum diem dominicam in honorem reſurrectionis obſeruarunt. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 27. Fuerunt & aliæ Sectæ eodem tempore, quas Irenæus prædicto loco recenſet. Sed quia non multum earum cognitio vtilitatis adfert lectori, eas prudens omitto: qui hoc ſolùm operam do, vt ea quæ ſcitu digna, & ad detegendas ſubtiles Satanæ technas, & ad illuſtrandam gloriam CHRISTI, in puniendis hoſtibus, & conſeruandis pijs, & eiuſmodi neceſſaria ſunt, in his commentarijs referam. Pergemus ergo ad alia.

96. Domitianus Imperator, poſt multas in Nobiles ac Senatores Romanos perpetratas cædes, arma tandem in DEVM quoque vertit, innocentem Chriſtianorum ſanguinem fundens, Iohannem Apoſtolum in Pathmon relegauit, Flauiam Domicillam ſororis filiam, ob fidem CHRISTI, cum multis alijs in Ponciam (Ego Pontum intelligo) exportari fecit. Chriſtianorum ſanguine non contentus, Iudæos quoque qui de ſtirpe Dauidis eſſent, conquiri, occidique iuſsit. Inter quos Chriſtianos quoſdam nactus, de CHRISTI conſanguinitate exiſtentes, cùm pauperes eos, innocenteſque reperiſſet, abſolutos liberè dimiſit, edictiſque propoſitis Perſecutionem ſuſtulit. Copioſius hæc Euſeb. Hiſt. lib. 3. cap. 20.

105. Quæ Anacleto aſſcribantur conſtitutiones, breuiter referam, quamuis pleraque ementita eſſe, non ſit dubium: tamen vt videat lector, qua fraude ſibi Romani Pontifices ad Tyrannidem iter patefecerint. I. Ab ipſo Domino Primatum Romanæ Eccleſiæ, ſuper omnes Eccleſias, vniuerſumque Chriſtiani nominis populum, conceſſum eſſe aſſeruit. Quia, inquit, Petro docenti & morienti Romæ dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. II. Epiſcopum à tribus Epiſcopis, Sacerdotem ab vno Epiſcopo ordinandum præcipit, idq; non priuatim, ſed publicè. III. Epiſcopum alterius Epiſcopi Eccleſiam occupare, & Presbyteros alterius Epiſcopi Diœceſi ſubiectos ordinare vetuit. IIII. Omnes qui ſacris intereſſent, vt aut communicarent, aut Templo, ſi nollent communicare, pellerentur, juſsit. V. Ne quis ex clericis comam, vel barbam aleret. Hæc præcipua eius decretorum feruntur. Si quis plura deſiderat, lib. Conciliorum legat, vbi plauſtra mendaciorum huic aſſcriptorum, in fictis ſub huius nomine Epiſtolis inuenies.

EVARISTO aſſcribitur, quòd conſtituerit, Matrimonia in publico contrahi debere, ac à Sacerdote coram Eccleſia ſponſum ſponſæ iungendum eſſe. Plebis accuſationem aduerſus Epiſcopos, etiam inordinatè ſeſe gerentes, non recipiendam, decreto cauit. Quia, inquit, merita populi tales Epiſcopos impetrarunt Eccleſiæ, lib. Concil. Item, Eccleſiam debere Epiſcopo ſuo in omnibus obedire, nec eum vnquam dimittere, donec viuit, præcipit, dicens, Vt nec vxor maritum, ita nec Eccleſiam Epiſcopum dimittere poſſe. Viciſsim Epiſcopus Eccleſiam, vel ſine neceſsitate, vel ſine Apoſtolica & Canonica mutatione, non magis dimittere poteſt, quàm maritus vxorem ſuam. Quia, inquit, qui viderit mulierem, & concupiuerit eam in corde ſuo, mœchatus eſt. lib. Conc. Videntúrne tibi hæc, pie lector, verè papalia, ex ſacris literis deſumpta?

Quantam perſecutionem Traianus, alioqui bonus & Imperio dignus princeps fieri juſsit. Inter multos & innumerabiles qui hac perſecutione abſumpti ſunt Chriſtianos, Viri & fide & doctrina ſanctitateque vitæ clari, duo præcipui enituerunt. S. Simeon Cleopæ filius, qui CHRISTI Domini ſecundum carnem conſangui-

ſanguineus, ac Hieroſolymæ poſt Iacobum Epiſcopus fuit. Hic annorum CXX. ab hæreticis accuſatus, propterea quód de genere Dauidis ac ſimul Chriſtianus eſſet, multis patienter perpeſsis cruciatibus, cruci tandem affixus vitam finiuit. Ignatius inde, qui Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit, Romam abductus, Beſtijs in cibum proiectus eſt. Hunc, cùm iam immaniſsimis proijceretur beſtijs, dixiſſe ferunt: Frumentum ego ſum DEI, Beſtiarum dentibus molor & ſubigor, vt panis mundus efficiar CHRISTO. Hanc perſequutionem Plinius iunior aliquo modo ſedauit. Is namque cùm Hiſpaniarum præfecturam gereret, ac innumeros Chriſtianos ad ſupplicia rapi, eorumque ſine omni miſeratione ſanguinem fundi cerneret: pereuntium multitudine motus, Traianum ad parcendum inſontibus admonuit. Cuius Epiſtolam, quia ſtatum Veteris Eccleſiæ aliquo modo depingit ac Traiani reſponſum, hîc adijcere libuit. Extant autem inter Epiſtolas Plinij eiuſdem lib. 10. *Anni Christi.*

PLINIVS TRAIANO. Solenne eſt mihi domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtituere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam, ideo neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleant, aut quæri. Nec mediocriter hæſitaui, ſit ne aliquod diſcrimen ætatum: an quamlibet teneri nihil á robuſtioribus differant: detúrne pœnitentiæ venia: an ei qui omninò Chriſtianus fuit, deſiſſe non proſit. Nomen ipſum etiam ſi flagitijs careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in ijs, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum: Interrogaui ipſos, an eſſent Chriſtiani? confitentes iterùm, ac tertiò interrogaui, ſupplicium minatus: perſeuerantes duci iuſsi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur peruicaciam certè & inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alij ſimilis amentiæ, quos, quia ciues Romani erant, annotaui in vrbem remittendos. Mox ipſo tractatu, vt fieri ſolet, diffundent ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine autore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe: cùm præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thuri ac vino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto: quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reuera Chriſtiani: dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed deſiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoq;. Omnes & imaginem tuam, deorumq; ſimulacra venerati ſunt: ij & Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quód eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenq; Chriſto qui Deo dicere ſecum inuicem, ſeq; ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcendi fuiſſe, rurſusq; coëundi ad capiendum cibum, promiſcuumque tamen, & innoxium quod ipsum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua & hætærias eſſe vetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauam, & immodicam: ideoque dilata cognitione, ad conſulendum te decurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis

 ordi-

ordinis, vtriuſque ſexus etiam, vocantur in periculum & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, ſed vicos atque etiam agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt, quæ videtur ſiſti & corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat, propè iam deſolata templa cœpiſſe celebrari, ſacra ſolennia diu intermiſſa repeti, paſsimque venire victimas, quarum adhuc rariſsimus emptor inueniebatur: ex quo facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſsit, ſi ſit pœnitentiæ locus.

Traianvs Plinio. Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in vniuerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt: ita tamen, vt qui negauerit, id eſt, ſupplicando Dijs noſtris, quamuis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine autore verò propoſiti libelli nullo crimine locum habere debent: nam & peſsimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.

111. Alexandri Romani Pontificis decreta hæc feruntur. I. Aquam admixto ſale precibus benedicendam, eamque & in templo, domique ad Satanam propellendum, & ad peccata tollenda, ſeruari iuſsit, eaque finitis ſacris populum aſpergendum eſſe conſtituit, vt ſanctificarentur ac purificarentur. II. In Euchariſtiæ ſacrificio aquam vino admiſceri voluit, vt iſta vini & aquæ mixtio ſympolum eſſet, credentes Christo eſſe incorporatos, ac vnitos: vel quia è Christi latere ſanguis & aqua fluxerunt. III. Panem Azymum in Euchariſtia vſurpandum præcepit, cùm antea fermentato indifferenter vſi eſſent. IIII. Miſſam vnam á quolibet ſacrificulo ſingulis diebus habendam præcepit: Peccata eo ſacrificio deleri docens, Ideo Paſsionem Domini in Miſſa recitandam inſtituit: Rationem adijciens quare peccata per Miſſam tollerentur, quia corpore & ſanguine Chriſti in ſacrificijs nihil maius eſt. Verbis Euchariſtiæ præpoſuit: Qui pridiè quàm pateretur &c. Tandem martyrio, coronatus obijt.

115. Iudæorum rabiem & furorem, quo hoc tempore in Romanos verſi ſunt, Dion Caſsius Niceus in vita Traiani luculenter ſcripſit, his verbis. Iudæi, qui circa Cyrenem incolebant, Andrea duce conſtituto, Romanos & Græcos, ſine diſcrimine ſtatim obtruncant, Nec cæde contenti, humanis carnibus veſci cœpêre, Horum inteſtinis ſtillante adhuc ſanguine cincti, tum pellibus obuoluti, multos per medium vſque ad verticem diſſecuerunt, plures beſtijs dilaniandos obiecêre, alios inter ſe digladiari coëgêre, vt ducenta & amplius hominum millia, eo furore & armis Iudæorum interierint. Ingens item cædes ab eiſdem in Ægypto patrata fuit. Nec minore clade Cyprij affecti fuêre. Siquidem in ea Inſula, duce Artemione, conſpirantes Iudæi circiter ducenta & quadraginta capitũ millia trucidarunt. Qua facti atrocitate, Iudæus de cætero legibus & pœnis Cyprum attingere prohibetur. Si vel vi tempeſtatis, vel per errorem illuc delatus fuerit ceu capite damnatus, ſtatim morte mulctatur. Sed inulta clades non manſit. Nam Traianus miſſo cum exercitu Lucio, tum antecedentibus alijs ducibus, Iudæos qui per vniuerſum ferè terrarum orbem tantum cædis ediderant, profligauit. Hæc Dion. Cœtera in Chronologia indicata ſunt.

121. Sixtus Romanorum Epiſcopus, natione Romanus fuit, paſtore natus. Huic multæ

multæ ſanctiones Eccleſiaſticarum ceremoniarum aſſcribuntur. I. Sacra vaſa ne qui præter ſacros miniſtros attingerent. II. Quod corporale appellant, ex lineo panno fieri iuſsit. III. Vt SANCTVS iu communione Euchariſtiæ ter canere-tur, ordinauit. IIII. Miſſam non niſi in Altari celebrandam eſſe. V. Aduerſus Chriſtianum accuſationem non eſſe admittendam, niſi duorum aut trium teſtiumfide, rata accuſatio eſſe cognoſceretur. VI. Ab Epiſcopo ad Rom. Pontificem Appellandi ius dedit Eccleſiaſticis miniſtris. VII. Epiſcopus ad Rom. Pontificem accerſitus, domum rediens, niſi Eccleſiæ à pontifice datas literas reddiderit, eum non eſſe recipiendum ab Eccleſia ſanxit. VIII. Accuſatores miniſtrorum Eccleſiæ non eſſe audiendos, niſi accuſatorum integritas primùm ſit comperta. Lib. Concil.

Teleſphori Rom. Epiſcopi decreta hæc feruntur. I. Septem ſeptimanas ante Paſcha ieiunium obſeruandum à Clericis inſtituit. II. Tres miſſas in die natalitio Chriſti manè celebrandas ſanxit: alijs diebus ante horam diei tertiam miſſam celebrari prohibuit. lib. Con. III. Gloria in Excelſis Deo &c. in miſſa canendum præcepit. IIII. Accuſatori, aduerſario abſente, non eſſe credendum, niſi prius vtraque pars examinetur. lib. Con. Porrò de ieiunio inſtituto non per omnes regiones eadem fuit obſeruatio, Quibuſdam namq; locis, etiam circa annum Chriſti 300. & vltrà, tribus ſeptimanis, quibusdam quinque, alijs aliter ante paſcha ieiunia celebrarunt, vt ex hiſt. Trip. lib. 9. cap. 38. videndum eſt, Vbi hæc ſcribuntur. In ipſis ieiunijs, aliter apud alios inuenimus obſeruari. Romani enim tres ante Paſcha ſeptimanas, præter Sabbatum & Dominicam, ſub continuatione ieiunant. (Vbi hîc fuit Teleſphori Decretum ?) Illyrici verò & tota Græcia, Alexandria quoque ante ſex ſeptimanas, ieiunant, eaq; ieiunia Quadrageſimam vocant. Alij verò ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas, ieiuniorum facere noſcuntur initia, & tres tantummodò ſeptimanas, hoc eſt, quinis diebus, per intermiſsionem aliarum duarum ſeptimanarum ieiunantes, &c. Hæc propterea retuli, vt videret lector, quòd Teleſphori inſtitutum Romæ non fuerit obſeruatum, tempore Conſtantini Magni. Extat & alius locus, diuerſas ieiuniorum obſeruationes indicans, quæ fuerunt circa annum Chriſti 180. hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 24. Quidam putant vno tantùm die obſeruari debere ieiunium, alij duobus, alij verò pluribus, nonnulli etiam quadraginta, vt horas nocturnas diurnasq; computantes, diem ſtatuant. &c. 129.

Bellum Iudaicum, quo tandem omnis Iudaicæ gentis potentia virtuſque rebellandi Romanis adempta, hinc ortum eſt. Adrianus Imperator vrbem Hieroſolymam pridem euerſam rurſus habitari iuſsit, Æliamq; Capitolinam appelauit. Ioui item ex auerſo Templi ædem excitauit, Hoc facto magno Iudæi dolore afficiebantur, indignantes peregrinos ſecum in vrbe habitare, grauiusq; ferebant externa ſacra fieri, externorumque Deorum imagines in ea conſtitui. Ac cùm alij quamdiu Imperatoris metu, qui in propinquo erat, quieuiſſent, paratis nihilominus ad belllum neceſſarijs, acceſsit, vt edictum ab Adriano Imperatore emitteretur, quo ne circumciderentur Iudæi prohibebatur. Eius legis meminit Ælius Spartianus in Adriano his verbis: Mouerunt ea tempeſtate & Iudæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia. Hinc furore accenſi ac in arma verſi, Romanos vndiq; neci dare, Iudæamq; à Romanis vindicare ſatagebant, Malo propoſito, peiore reperto Duce. COCHABAS enim filius COCHAB, vnde & Barcochabas dictus eſt, homo nimi-

nimium audax, latrocinijs multisq; facinoribus clarus Iudæus, Stellam ſe illam magnam eſſe iactitabat, per quam Bileam Iudæos liberatos iri, in ſuo vaticinio cecinerat: atque ob id de cælo miſſum, vt oppreſsis ac miſeris Iudæis auxilio foret. Sex continuis annis bellum, multa cæde Chriſtianorum gentiliumq; geſsit. Victus tandem à Iulio Seuero, quem Imperator ad id bellum conficiendum deſtituerat, in Betheram præualidum oppidum, non longè ab Hieroſolymis ſitum, compulſus eſt, vbi longiore obſidione, fame, ſiti inteſtinisq; ſeditionibus confecti Iudæi, à Romanis ſuperantur. Deditíne ſint, an vi cum vrbe capti, incertum eſt. De hoc conſtat, ipſum Bercochabam meritas ſcelerum pœnas dediſſe, omnem deniq; Iudaicam nationem, ex illa regione pulſam, edictoq; propoſito, ne ex ſublimiore loco Terram illam patribus eorum promiſſam, contueri ſaltem liceret. Euacuata igitur Terra Iudæis, vrbs Hieroſolyma Chriſtianis conceſſa, totaq; regio alienigenis completa. Tradunt quidam Hadrianum Suem marmore exciſam ſuper vrbis portam poſuiſſe, in contemptum contumeliamq; Iudæorum. Hoc modo Iudæi tota regione patriaq; terra extorres facti, ac in omnes gentes diſperſi, ex eoq; tempore Rempub. nullam habere potuerunt. Quam pœnam abnegati Regis cœli, merito ſuo ſuſtinent.

137. Baſilides, Carpocrates & Saturninus, Menandri doctrinam miris technis, ac ſubtilibus argutijs auxerunt, inter quos Baſilides cæteros longè vicit. Sed eorum neniæ non ſunt dignæ relatu.

Valentini hæreſis ex ſuperioribus nata, qui varias Deorum generationes, quas æonas vocabat, effinxit. CHRISTVM de carne ac ſanguine Mariæ nihil ſumpſiſſe, ſed per eam tanquam per fiſtulam tranſijſſe docuit. Huius Synchronos Cerdo docuit, eum qui à lege & Prophetis annunciatus ſit Deus, non eſſe Patrem Domini noſtri Chriſti Ieſu. Hunc enim cognoſci, illum autem ignorari: & alterum quidem Iuſtum, alterum autem bonum eſſe. Irenæus lib. 1. cap. 28.

141. His ſucceſsit Marcion Ponticus, cuius doctrina ſuper modum blaſpema fuit. Docuit enim, Deum, qui á Prophetis annunciatus ſit, malorum factorem & bellorum concupiſcentem, & inconſtantem quoq; ſententia & contrarium ſibijpſi eſſe Ieſum, qui à DEO patre miſſus eſt: omnia ea deſtruxiſſe, quæ fabricator mundi (quem alium Deum eſſe dixit, præter verum Deum) conſtituerat. Sacras ſcripturas Noui Teſtamenti mutilauit, vndiq; tollens Teſtimonia, quæ patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſumq; filium eius creatorem mundi conteſtabantur: Salutem animæ per ſuam doctrinam dari confeſſus eſt, corporis reſurrectionem negauit. De ſanctis patribus, deq; eorum ſalute mira delyrauit. Quæ Irenæus copioſè tradit lib. 1. cap. 29.

Marcus Colorbaſeorum hæreſeos autor, Magia vſus multos ſeduxit, præſertim mulierculas, quibus ſuis præſtigijs fucum faciens, ad libidinē eas ſuiq; amoris cupidinem incendit. Gratiam ſuam eis infundens, Prophetare, id eſt, delyrare fecit. Summa doctrina eius fuit, ſe eſſe ſuper omnes, agnitione perfectiſsimum, ac quibus velit, ſe poſſe gratiam quæ in ipſo erat infundere, vt ſimiliter perfectiſsimi fierent: & hæc Iren[illegible] tis verbis ſcripta reliquit, lib. 1. cap. 8. 9. & 10. &c. Omnes iſti hæretici ſeduct[illegible] temporibus Hygini Rom. Epiſcopi fuerunt, præter Marcionem, qui aliqua[illegible] tó pôſt vixit, vt in Chronologia indicatur. HYGINI autem pontificis, ne & is non ſit nouarum conſtitutionum autor, Decreta hæc feruntur. I. Templa cum ſolenni ceremoniarum ac Sacrificiorum ritu dedicanda eſſe II. Eaq;

nec

nec minuenda, nec augenda eſſe, ſine metropolitani conſenſu. III. Trabes, tegulas, aliámue templorum materiam, in prophanos vſus vertere vetuiſſe perhibetur. IIII. Vnum, vt vocant, compatrem vel virum, vel fœminam, in baptiſmo adhiberi debere,&c. Clerum in ordinem redegiſſe,ac gradus diſtribuiſſe dicitur, lib. Con.

Pio Rom. pontifici præter paſchatis in Dominica die obſeruandi morem, & hæc aſſcribuntur. I. Quòd Sacerdotibus negligentius miſſæ ſacra facientibus pœnas ſtatuit, vt ſi quis per imprudentiam de Sanguine Chriſti effunderet in terram, pœnitentiam ageret dies 40. Si ſupra altare, dies 3. Si ſuper linteum calici ſubſtratum, dies 4. Si ſuper aliud linteum, dies 9. Sanguinem Chriſti effuſum lambere, vel ſi id fieri non poſsit, aut radere aut eluere, & raſum aut lotum vel comburi, vel in Sacrarium repoſitum ſeruari. II. Plebs Epiſcopum ne accuſaret, nec oues paſtorem redarguerent, ſanciuiſſe tradunt: Quia nec diſcipulus ſit ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra dominum Conc. lib. III. Virgines ante 25. annum non eſſe conſecrandas IIII. Sacrilegus eſſet quicunq; fundos, aliáue bona religioni dicata, in prophanos vſus conferret, &c. 145.

Aniceto quoq; Romano Epiſcopo decreta aliqua affinguntur, quorum alia Anacleto eſſe aſſcripta, ex ſupra dictis patet. Vt ſunt. Clerici nec comam nec barbam nutrirent. Epiſcopus non à paucioribus ac tribus alijs Epiſcopis confirmaretur. Porró conſtituiſſe dicitur: Metropolitanum ſeu Archiepiſcopum ab omnibus eius prouinciæ Epiſcopis conſecrandum eſſe. Archiepiſcopum à ſuo Epiſcopo, aut coram primate, aut Rom. Pontifice accuſandum eſſe. Archiepiſcopos non eſſe primates dicendos, ſed Metropolitanos, niſi iſta prærogatiua nomenclaturæ ei à Rom. Pontifice concederetur. Capitis verticem quoque in Sphærulæ modum radendum ſacerdotibus præcepiſſe ferunt. Plat. & lib. Con. 159.

Hoc tempore de obſeruatione paſchatis vehemens concertatio fuit. Cùm veró Aniceto ac Polycarpo ea de re non conueniret, conſtitutum eſt, ut quiſque de paſchate ſuum morem ſeruaret, ea lege tamen, ne propter temporis diſsimilitudinem in ceremonia illa de obſeruatione paſchatis,concordia Eccleſiæ rumperetur. Quia non oporteret, propter ceremoniarum diſſonantiam, rumpere fidei conſonantiam.

Marcellina Carpocratis doctrinam amplexa,multos Romam veniens ſeduxit Diſcipuli eius Gnoſticos ſeſe appellabant, eó quòd ſe ſolos fontem veritatis hauſiſſe, ac ſolos ſe ſcire quæ ſalutis eſſent arbitrabantur. Animas hominum à corpore in corpus tranſire docebant, donec omnia quæ homo ſiue mali ſeu boni facere poſſet,in omnibus perfeciſſet tunc demùm liberari ac in cœlum aſſumi atque hoc modo omnes tandem animas ſaluas fore. Opera hominum paria eſſe, ac non niſi opinione hominum, aut iuſta aut iniuſta fieri, ideo licere quicquid libeat. Quæ & factis præſtitere. Iren. lib. 1. cap. 24. hæc copioſius. 162.

Parthi à Traiano eo neceſsitatis compulſi erant, vt domi ſuæ intra limites ſe continentes Romanorum fines attentare minimé auderent. At cùm Adrianus, Piusq; Antoninus ſegnius res Orientis adminiſtrarent, multas quoq; quas Traianus magno labore, multoq; ſanguine prouincias ſubegerat, quaſi ad Rempub. Rom nihil pertinentes omitterent. Parthis animi creuerunt. Regnante igitur Romæ Pio Antonino, Vologeſes Parthorum Rex bellū in Romanos, magno apparatu, omnibus ad expeditionem neceſſarijs per totum Regnum ſuum conquiſitis, præparauit. 163.

Fatis

Anni Christi.

Fatis deniq; functo Antonino, Marco, Veroq; in Imperio ſuccedentibus, bellum indixit. Fugato primùm Atidio Corneliano (qui tum Syriam adminiſtrabat) Syriam, Armeniam, ac Cappadociam modis miſeris afflixit. Aduerſus hunc Annius Antoninus Verus, qui æquo iure cum Marco imperauit, cum exercitu profectus eſt: Ipſe Antiochiæ in delitijs agens, rem per duces, quos, vt ex factis apparet, ſtrenuiſsimos in exercitu habuit, admiſtrare. Duces cum Parthis congreſsi, eos in fugam vertunt, magna eorum cæde peracta, Armenia Syriaq; tota eos expellunt, veſtigiaq; eorum legentes Seleuciam vſque, quæ maxima Aſſyriorum vrbs eo tempore habebatur, perueniunt: ea ſuper Hydaſpem fluuium ſita eſt: Quam vi oppugnatam cum quadringentis hominum millibus, qui in ea degebant, ceperunt; Præſidioq; in ea Romanorum militum, vt res poſcebat, collocato, Rom. fines hac parte ab Hoſte tutarunt, Auguſtisq; magni Triumphi autores fuerunt. Quorum egregiam in bello operam, ex varijs collectam, hîc referre libuit: nomina ipſorum Ducum, ſi ea non ſub Imperatoris honore deliteſcerent, libentius relaturus; Quó cuique factorum ſuorum digna ſeruaretur memoria.

166. Ambigitur de Dionyſio, cùm eius nominis plures, in Veteri Eccleſiam fuerint conſpicui, quis eorum cœleſtis Hierarchiæ autor ſit? Fuit enim primus Dionyſius ille Areopagita Athenienſis, de quibus in Actis Apoſtolorum mentio fit. Quem Euſeb. hiſt. lib. 4. cap. 23. ab Apoſtolo Athenienſibus Epiſcopum datum aſſerit. Hunc eius libri autorem libenter dicerent; quò magnis nugis maior eſſet autoritas. Sed quòd is non ſit autor, ex hoc patet, quòd nulla libri iſtius apud veteres mentio fit. Alter Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus fuit, vir magno nomine, multisq; in Eccleſiam benè pieq; factis clarus, Cuius ſcripta Euſeb. prædicto loco recenſens, nihil de hierarchia meminit. Tertius fuit Dionyſius diſcipulus Origenis, qui Heraclæ primùm in Catecheſeos auditorio, deinde in Epiſcopali dignitate apud Alexandriã ſucceſsit. Hunc eius libri autorem eſſe, non dubitarem, ſi modó non recentior quiſpiam eſſet. Eo namq; tempore, ſatiati homines ſimplicitate Euangelij, Allegorijs, alijsq; eiuſmodi coram ratione ſpecioſis cogitationibus, operam impenderunt, vt ex Origenis ſcriptis cuilibet fit manifeſtum. Hæc de Dionyſijs.

170. Soteri Romani pontificis conſtituta hæc feruntur. I. Monacha (quæ tum temporis nulla fuit) pallam ne contrectaret, néue thus in acerram poneret. Platina autor. II. Inſtituit item, ne legitima haberetur vxor, niſi cui ſacerdos, ex inſtituto benedixiſſet, & quam parentes ſolenni pompa more Chriſtiano marito collocaſſent. III. Conſtituit quoq; , Ne Sacerdos celebraret, niſi vt minimum duo adeſſent (auditoreſne, vel communicantes velit, incertum eſt: de his ego crediderim.)

170. Orta eſt eodem anno perſequutio grauiſsima, quæ in Aſia incipiens, totam inde Europam ferè peruagauit, ac præcipuè in Gallijs ſæuijt. Mores autem Martyrum Chriſti, his verbis deſcribuntur Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 15. Qui pœnas martyribus inferebant, populum inſpectantem deterrere volentes, nunc flagris vſq; ad interiora viſcerum Martyres laniabant, ita vt abdita corporis, & quæ natura in arcanis locauerat, nudarentur, Nunc autem marinas cochleas, quos murices vocant, & acuta quæq; fragmenta, in dorſum ſupinatis martyribus ſubſternebant, in quibus omne tormenti genus & pœnæ ſpeciem conſumentes, ad vltimum eos beſtijs exponebant. Inſignes inter hos fuêre Germanicus quidam Smyrnenſis iuuenis, qui cùm ad abnegandum CHRISTVM vrgeretur, vltra prouocauit beſtias. Polycarpus quoq; 86. annorum Chriſtianus rogo impoſitus, cùm igni corpus eius

non

ſion læderetur, mucrone transfoſſus, talem ſanguinis riuum profudit, vt rogum in- *Anni*
cenſum reſtingueret. Corpus tandem illius igni crematum: oſſa à Chriſti fideli- *Chriſti.*
bus Smyrnæ collecta, cum honore reſeruata ſunt. Huic duodecim alij martyres in
paſsione comites fuerunt. Quin & apud Pergamum permulti ob Chriſti fidem
paſsi ſunt, inter quos Carpus vnus, ac Papyrius, & Agathonica illuſtris fœmina,
præcelluerunt. Iuſtinus quoque ex Philoſopho Chriſtianus, cùm ſecundò pro reli
gione noſtra Apologiam Iudicibus, noſtros infeſtantibus, offerret; remunerationis
ergò martyrij coronam accepit. Porrò & hoc notandum, quòd ad hæc tempora
vſque prophetiæ gratia, qua ſcilicet de futuris prædicitur, in Eccleſia frequentiſsima
fuerit. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 18. Felicitas Romana fœmina matrona ſanctiſsima hoc
quoq; tempore cum 7. filijs, Romæ ob Chriſti fidem paſſa eſt: filij eius varia morte
affecti: ipſa gladio necata fertur.

De Montano eiuſq; ſectatoribus, paucis hæc accipe. Vicus quidam fuit apud
Myſiam Phrygiæ, qui appellabatur Ardabau, in quo aiunt Montanum quendam, 174.
qui nuper ad Chriſti fidem venerat, ſub Crate Aſiæ procoſ. inanis gloriæ cupidita-
te incenſum, repentè mente alienata, proloqui cœpiſſe diuerſa ab his, quæ eſſent à
maioribus tradita, quem cùm plurimi vt inſanum repellerent; nonnulli verò agi-
tari diuino ſpiritu putantes, eum ſectabantur. Inter quos, Priſca & Maximilla eo-
dem furore & inſania refertæ ſunt, vaticinarique cum eo exiſtimatæ. Horum ſecta-
tores Cataphrygæ dicti ſunt. Doctrina eorum in ſumma hæc erat. Montanus ſe Pa-
racletum à Chriſto promiſſum eſſe dicebat. Omnibus ſibi adhærentibus diuitias &
beatitudinem promittebat. Ieiuniorum leges primus impoſuit. Nuptias ſoluere li-
berum permiſit. Præmia ſuis auditoribus diuiſit, collecta, ſub oblationis nomine, à
ſuis ſequacibus copioſa pecunia. De quibus hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 16. 17. & 18. &c.

Minimè hoc loco ſilentio prætereundem eſt, quòd omnes hiſtoriographi
tam diligenter memoriæ prodiderunt. Siquidem ex eo facto diuinum in bellis au-
xilium iuſtis adeſſe, planè perſpicitur. Nam cùm inſurrexiſſent gentes, vt Romani
eas vocabant, immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles; hoc eſt; Marco-
manni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis penè Germania, & in
Quadorum vſque fines progreſſus Rom. exercitus, circumuentuſque ab hoſtibus;
propter aquarum penuriam, præſentius ſitis quàm hoſtis periculum ſuſtineret: ad
inuocationem nominis Chriſti, quam ſubitò magna fidei conſtantia quidam mi-
lites effuſi in preces palàm fecerunt, tanta vis pluuiæ effuſa eſt, vt Romanos quidem
largiſsimè, ac ſine iniuria refecerit: Barbaros autem crebris fulminum ictibus per-
territos, præſertim cùm plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum
terga Romani vſque ad internecionem cædentes, glorioſiſsimam victoriam, &
omnibus penè antiquorum titulis præferendam, rudi paruoque militum numero,
ſed potentiſsimo Chriſti auxilio reportarunt. Hæc ipſius Antonini literis conteſtata
eſſe ſcribit Oroſ. lib. 7. cap. 15.

Tacianus natione Græcus, Iuſtini philoſophi & martyris diſcipulus, poſt præ-
ceptoris mortem magno in honore habitus, & quam diu in fide permanſit, multa 175.
vtilia pro Eccleſia ſcripſit. Tandem ſeductori ſpiritui aures præbens, ab eo, vt ma-
gnus aliquid ſibi eſſe videretur, ac veteres fuiſſent, inductus eſt: ex qua animi elatio-
ne nouam quoq; hæreſim ſpargere aggreſſus eſt. Valentini æonas, id eſt, varias Deo-
rum genealogias, miris modis, ſiquidem ingenio ac dicendi arte multùm pollebat,
exornauit. Omnem mulieris vſum, etiam in Matrimonio à Deo inſtituto, impium

Anni Chriſti.

eſſe docebat. Vino ac carnibus, ijsque quæ de ijs conficiuntur cibis, omninò abſti- nendum eſſe cenſebat. Animæ ſalutem poſt hanc vitam fatebatur, Corporis reſurre- ctionem negabat: Vetus Teſtamentum nullius amplius vſus eſſe, & ſimilibus de- lyramentis homines ſeducebat. Diſcipulum habuit Seuerum nomine, qui poſt mortem præceptoris, eadem phantaſmata ſecutus, Seuerianos hæreticos, ex ſuo no- mine dictos, progenuit.

Bardeſanes, cuius ibi mentionem fecimus, vir doctus fuit, in Syriaca lingua eloquentiſsimus, contra Marcionem & alios hæreticos grauiſsima ſcripta edidit. Non tamen omninò purus circa fidem extitit. Fuerat enim à principio Valentinia- na infectus opinione, cuius ſordes abjicere in totum non potuit. Hæc Euſeb. Nos, per errorem, nouæ eum hæreſeos autorem, in Chronologia ſcripſimus. Quare honorem debitum ei hoc loco referimus.

177. Quis primus autor ſit eius conſtitutionis, vt ſponſus & ſponſa à ſacerdote be- nedictionem accipiant, apud multos in dubio eſt. Platina & eius ſequaces hoc So- tero aſſcribunt: Gratianus & alij Euariſto. Ego vtroſque verè dicere puto. Euari- ſtus primus hanc ordinationem fecit. Sed cùm à multis negligentius obſeruaretur, à Sotero eam denuò promulgatam, & ſeuerius inculcatam eſſe. Hanc enim Diony- ſius Corinthi Epiſcopus, qui hoc tempore floruit, Sotero laudem tribuit, quód dili- gentiſsimus traditionum earum obſeruator fuerit, quæ à veteribus & anteceſſori- bus ſuis conſtitutæ eſſent: ac non ſolùm ſtrenuè eas ipſum ſeruaſſe, ſed in melius quoque auxiſſe, teſtatur hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 23. Sed his hactenus, ſicuti in argu- mento propoſueram, pro virili mea indicatis, cum nouo pontifice, noui libri ini- tium faciemus.

COMMENTARIORVM IOHAN- NIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

QVÆ TAM IN ECCLESIA, QVAM IN REPVB. Ciuili memoria digna, ſcituq; neceſſaria præ cæteris viſa ſunt, vnà cum varijs hæreti- corum opinionibus, à Tempore Sotrei Rom. Pontificis, vſque ad tempora Damaſi Papæ, hoc eſt, ab anno Chriſti 177. vſque ad annum eiuſdem 369. hoc ſexto libro breuiter indicantur.

178. QVo in honore Romani Pontifices eo tempore fuerint, ex hoc ſatis apparet; quód potentiſsimus Britanniarum Rex Lucius, qui ea tempeſtate CHRISTI fidem primitus ex continenti vltra Germanicum Oceanum in Britannicam inſu- lam publicè vocauit, non ab alio quodam Epiſcopo Doctores veritatis petijt; quàm à Romano, cùm tamen eodem tempore multi per Gallias clariſsimi habe- rentur Epiſcopi. Quos autem fidei doctores Britannia primùm ex Vrbe acceperit; in Chronologia indicatum eſt. Porró quæ de Ioſepho de Arimathia, qui Chriſti corpus, adiuuante eum Nicodemo, ſepulchro mandauerat, tradunt Britannici ſcri- ptores: quomodo ad inſulam cum multis alijs venerit, ac Euangelion Chriſti primꝰ ibidem ſeminauerit, ac reliqua, Britonibus credenda relinquo. Quàuis non dubito; quin multis annis antè, Chriſti fides in Britannia fuerit culta, quàm Lucius rex ad

eam

ſam peruenerit. Sed à quo primùm illuc Euangelium Chriſti ſit traductum, ali- *Anni Chriſti.*
quandiu adhuc in dubio manebit.

Eleutherius autem Pontif. hæc ſtatuit. I. Ne quis ob ſuperſtitionem cibi genus
vllum reſpueret, quò humana conſuetudo veſceretur. II. Noluit præterea quem-
piam de gradu ſuo dejici, niſi accuſatus reus criminis conuinceretur: exemplo Sal- 178.
uatoris, qui errorem Iudæ, licet rei, nondum tamen conuicti, ita æquo animo tulit,
vt quicquid interea egiſſet, pro dignitate Apoſtolatus ratum firmumque manſe-
rit. III. Prohibuit etiam, ne abſente eo, quem accuſator reum facit, vllá in cauſa
decerneretur. Quam quidem ſententiam & Damaſus Pontifex, & ius Pontificium
poſtea confirmauit. Huius autem pontificatu & Eccleſijs pax data eſt ac quies, &
nomen Chriſtianum per omnem terram mirùm in modum auctum, Romæ po-
tiſsimùm, vbi multi ex nobilitate Romana cum coniugibus & liberis, in fidem re-
cepti, baptiſmi Charactere notati ſunt. Platina.

Apollonius orator inſignis, cùm Romæ Chriſti religionem publica oratio-
ne laudaret, à iudicibus arreptus, morte mulctatus eſt.

Cæterùm, quæ circa hunc annum in Chronologia de perſequutione Galli-
cana ſcripta ſunt, ad annum Chriſti 174. pertinent, de qua ſuprà præcedenti libro
dictum eſt. Ea narratio apud Euſebium in hiſtoria lib. 4. cap. 1. &c. longior eſt,
quàm quæ hoc loco, vbi breuitati ſtudemus, inſeri queat. Inde ea petat lector, ſi
plura ſcire deſiderat. Claruerunt in hac perſecutione, Photinus Lugdunenſis Epi-
ſcopus, qui nonagenario maior in ius vocatus, pugnis probriſque affectus in car-
cerem truſus eſt, in quo & vitam breui finiuit. Huic exinde Irenæus ſucceſsit, qui
antea presbyter eius loci fuerat. Photino in Martyrio commilitones fuerunt, San-
ctus Diaconus & Maturus; item magno animo Blandina fœmina, cum filio Ponti-
co, quindecim annorum puero. Duo illi miris modis excruciati, cùm Blandina
quoque idem & grauiora perpeſſa eſſet, beſtijs proiecti ſunt, quæ cùm minus eis
nocerent (corpora enim Sanctorum tangere refugiebant beſtiæ) gladio occiſi, ſpi-
ritum Deo reddiderunt. Blandina ſæpius tormenta paſſa, eodem quo & illi modo
poſtrema interficitur. Paſsi ſunt ex nobilibus Attalus quidam, item Alexander ge-
nere Phryx, diſciplina medicus, & innumera inferioris generis hominum multitu-
do. Sed quod omni cruciatu grauius erat, inſignia de eis mendacia ſpargebantur.
(Sicuti & his poſtremis temporibus Satan per ſuos fideles libenter faceret, ſi quo
modo poſſet ſaltem.) Incuſabantur, eos humanis carnibus veſci, infantes dijs ſuis
immolare, inceſtibus ſeſe polluere, & nefandiſsima quæq; perpetrare. Attamen Sa-
tan nihil potuit: præualuit ei Veritas Chriſti, qui & nobiſcum erit. Feramus ergo
fortiter, Mendacia irridentes, & in Chriſtum ſperantes, qui Mundum vicit: is &
in nobis vincet, & nos per ipſum, & in ipſo: cui ſit honor & Imperium in omne
æuum, Amen.

Pantænus profeſsione Stoicus, Chriſtianorum apud Alexandriam indefeſſus
doctor, primus Scholam ibi inchoauit, In qua rudimenta Chriſtianæ doctrinæ in-
cipientibus proponerentur. Hæc paruo tempore tantum incrementi fecit, vt ſum- 183.
mi doctiſsimique Eccleſiæ doctores haberent, quod inde diſcerent. Sed hoc Pan-
tæni, quamuis laudabile inſtitutum, non tam felicem finem, ac initium habuit. Or-
tæ ſunt enim ex hac ſchola, vt plæriſq; ex alijs, variæ doctorum opiniones, è quibus
porrò ſchiſmata, hæreſes, & omnis generis peſtes doctrinæ Eccleſiæque extitere.
Origenes, Arrius & nonnulli alij hoc ſatis docent, ſi exempla deſideras. Huius
 Pantæ-

Anni Christi.

Pantæni inſtitutum, noſtri, id eſt, Germanorum Imperatores, in conſtituendis ſcholis vniuerſalibus imitati ſunt. Quos mox alij quoque reges ſucceſſu relig[illegible] ſunt ſecuti &c.

195. Poſt Pantænum Clemens, vir, vt ſcripta ſua, quæ nuper Græcè ſunt edi[illegible] cant, vndiquaq; tam doctiſsimus quàm diligentiſsimus, ſcholam Alex[illegible] rexit, atq; ſub his duobus, doctrina Chriſti in ea ſchola purè fuit tradita [illegible] ceſſor eius Origenes malè quæſitis ſuis ornamentis &c. obſcurare c[illegible] aliàs.

198. Quæſtio illa de Paſchate obſeruando, ſicuti Victor conſtituer[illegible] in Eccleſia tumultum excitauit. Sanciuerat enim Victor Pontif. Ro[illegible] ſcha die Dominica, à Quarta decima die menſis Martij, vſque ad [illegible] mam eiuſdem menſis celebraretur. Huic multi Aſiatici Epiſcopi co[illegible] multi contra Orientis ac Ægypti præſules aſſenſum præbebant. Hab[illegible] negocio diuerſi Epiſcoporum conuentus, Romæ, in Cæſarea Palæſt[illegible] &c. Hi omnes cum Victore conſentiebant. In Aſiam alterius partis co[illegible] qui decreuerunt, paſcha iuxta veterum conſuetudinem celebrari de[illegible] diu decertatum eſt literis, de paſchatis feſto. Victor ſuæ ſententiæ [illegible] defenſor, miſsis in Aſiam literis, Aſiaticos Epiſcopos ab Eccleſiæ vnitate exclu[illegible] decreuit, tanquam hæreſeos criminis reos, quòd de paſchate Romanæ Eccleſiæ conſentire nollent. Ne verò id efficeret, ſuæ factionis Epiſcopi (inter quos Irenæus præcipuam nauauit operam) reſtiterunt, monentes Victorem, vt ageret potius quæ pacis eſſent, Indignum eſſe dicentes, propter Ceremoniarum diſſonantiam, fidei pacisq; concordiam rumpere. Hoc pacto res ſedata, quælibet pars ſuam retinuit, quam receperat conſuetudinem, Donec in Niceno Concilio Victoris ſententia comprobata eſt, Quam in hodiernum diem obſeruat Eccleſia. Hic victor, quiete fruens, primus Papalem animum oſtendit. Quem porrò præter paſchatis diem plura conſtituiſſe ferunt, ſcilicet, Baptiſma in Paſchate celebrandum eſſe. Sed ſi qui peterent Baptiſmum (neceſsitate ſic poſcente) eos in quauis aqua, & quouis tempore ac loco baptizari præcepit. Lib. Concil. Porrò & Theodotum coriarium quendam, dicentem Chriſtum purum hominem ſine Deo eſſe, extra Eccleſiam fecit: Sacriſq; illis interdixit qui ob illatam iniuriam reconciliari nollent, ei qui læſit.

200. De Artemone & hæreſi eius vide circa annum Chriſti 261. in hiſtoria Pauli Samoſateni. Ariſtotelici Theologi fuerunt, vt noſtro ſeculo quàm plurimi. Vide hiſt. lib. 5. cap. 28.

203. De Zepherino Rom. Epiſ. Platina hæc dicit. Zepherinus pontifex rei diuinæ magis, quàm humanæ intentus, conſtituit, vt aſtantibus Clericis & laicis fidelibus, & Leuita & Sacerdos ordinaretur. Statuit item, vt conſecratio diuini ſanguinis in vitreo vaſe, non autem in ligneo, vt antea, fieret. Hæc inſtitutio ſequentibus temporibus immutata eſt. Vetitum enim eſt, vt neque in ligno fieret, propter raritatem, qua Sacramentum imbibitur: neq; in vitro, propter fragilitatem, neque ex metallo, ob tetrum ſaporem, quem inde concipit. Sed fieri voluère ex auro argentóue, aut ex ſtanno, vt in Triburenſi & Remenſi concilio ſcriptum apparet. Idem præterea inſtituit, vt omnes Chriſtiani annos pubertatis attingentes, ſingulis annis in ſolenni die paſchæ publicè communicarent. Mandauit item, ne Epiſcopus vel à Patriarcha, vel à primate, vel à Metropolitano ſuo in iudicium vocatus, ſine autoritate Apoſtolica damnaretur. Voluit poſtremò presbyteros omnes adeſſe celebrante Epiſcopo, quod etiam, vt dictum eſt, Euariſto placuit.

Perſe-

Perſecutione illa, quæ apud Alexandriam orta eſt, annis, vt ex hiſtoria Euſebij colligitur, compluribus durauit. Primùm enim Leonides Origenis pater capite plexus eſt, ob fidem Chriſti: deinde Origenes ſequenti anno Grammatices profeſsionem ſuſcepit: ac cùm celebre ſibi nomen ea profeſsione paraſſet, multi, vt fidei documenta ab eo perciperent, eum acceſſerunt, inter quos plurimi fuere gentiles, Plutarchus, Serenus, Heraclides, Heros, Serenus alius, qui omnes Origene iam Catechumenorum ſcholam regente, partim ipſi Catechumeni, partim neophyti, pauci in fide adulti, ob Martyrium Chriſti pœnis affecti morteque mulctati ſunt, Quorum inſtitutio tempus requiſiuit. Quot millia interea paſsi ſint ob Chriſti fidem, ex eo conſiderari poteſt, quòd etiam ij qui alios occiderant ob confeſsionem, ſimul ac dixiſſent ſe Chriſtianos eſſe, abrepti ad iudicium, permanenteſque in confeſsione conſtantes, morte damnati ſunt. Ad cuius rei cognitionem pauca adhuc addam. Erat fœmina quædam, ob caſtimoniam fideique conſtantiam, præ cæteris famoſiſsima nomine, Potamiena, hæc cùm multæ confeſsionis ergò tormenta pertuliſſet, ac ab Aquila (ſic enim Iudex Tyrannicus appellabatur) neque vt de fide diſcederet, neque vt pudicitiam proderet, vllis minis pœniſue adigi poſſet, vt pice liquefacta ignitaq; membris ſuperfuſa ad mortem vſque cremaretur, lictoribus tradita eſt. Baſilides erat vnus ex ijs, quibus confeſſores Chriſti affligere demandatum erat. Is cùm Potamienam (cùm eam ipſe ad mortem duceret) à populo impio probris contumelijs atque iniurijs affici videret, miſeratione compulſus, iniurias populi impudentius irrumpentis, abigendo ac repellendo turbam prohibuit. Ipſa humanitatis erga ſe propoſitum amplexa, Certus eſto, inquit ad lictorem, quòd cùm abiero ad Dominum meum, ſine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Ipſa ſtatuto de ſe ſupplicio mortem magno animo ſubiuit. Tertia nocte poſt, Baſilides ille in ſomnis ſibi Potamienam altare viſus eſt Coronam capiti ſuo imponentem, atq; dicentem: hanc tibi pro te orans à Domino impetraui, vt & in te impleatur, quod ſcriptum eſt: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris conſequatur. Hac viſione motus Baſilides modò carnifex, Chriſtianus fit. Pauco tranſcurſo tempore, dum Iuramentum, eò quòd Chriſtianus eſſet, in cauſa criminali dare nollet, Iudicio condemnatus capite plexus eſt, ob ſimplicem, quòd Chriſtianus eſſet, confeſsionem. Hæc de illa perſecutione dixiſſe ſatis eſto.

Anni Chriſti. 204.

Calixtus, vt in Chronologia dictum eſt, Ieiunia quatuor temporum inſtituit, de quo vt rem in ſumma teneat lector hæc ſcripta inuenimus. Calixtus inſtituit primùm, vt ter in anno ieiunaretur, dieq; ſabbati, præſertim vini & olei gratia, vt, quod quidam addunt, maior earum rerum prouentus eſſet feliciorque. Verùm poſtea mutata ſententia, id in quatuor anni tempora tranſtulit in Vernale ſ. Æſtiuale, Autumnale & Hyemale, quibus temporibus deinceps ratio ſacrorum Ordinũ habita eſt, cùm antea tantum in Decembri miniſtrorum Eccleſiæ Ordinationes fierent. Idem quoq; inſtituit, ne Clericorum delatores & accuſatores vel infames, vel ſuſpecti, vel inimici in accuſationibus & iudicijs reciperentur. Eos quoq; hæreticos putauit, qui arbitrantur, ſacerdotes poſt crimen admiſſum, etiamſi dignam pœnitentiam ſubijſſent, ad priſtinos honores redire non poſſe. Hæc eius inſtituta feruntur. Plat. Sabel. lib. concil. 223.

Quidam verò Vrbano qui ſucceſsit Calixto, Quatuor temporum Ordinationem aſſcribunt. Eius & hoc inſtitutum eſſe dicitur: Fundos vltrò Eccleſiæ ablatos recipiendos eſſe, prædia debere eſſe communia, prouentus vero viritim inter

Anni Christi.

Clericos diſtribuendos eſſe iuſsit. Item, Neminem eligendum in Epiſcopum, n
ſi prius presbyteri vel Diaconi ordinem habuerit. Ne vaſa ſacra vitrea, ſed aut au
rea, aut argentea, ſtanneáue eſſent, mandauit. Huius tempore Eccleſia primùm cœ
pit poſsidere prædia, quorum prouentibus Eccleſiæ miniſtri, & ſcriprores marty
rum geſtorum ſuſtentati ſunt. Pet. de Nat.

238. De perſequutione, quam Maximinus in Chriſtianos excitauit, nihil memo
ratu digni apud probatos autores reperitur, niſi quòd eam odio Alexandri anteceſ
ſoris ſui, qui Chriſtum coluerat, mouet. Neque alium quenquam, niſi Eccleſiarum
antiſtites atque doctores, occidi iuſsit. Hos enim eos eſſe aſſeruit qui alijs huiuſmod
doctrinam, quæ veteribus contradiceret, recipiendi autores eſſent.

240. Anthero vnius menſis Epiſcopo, vt Euſeb. in hiſtoria lib. 6. cap. 20. teſtatur
Pontificij hæc decreta aſſcribunt. Epiſcopos ab vno Epiſcopatu ad alium transfer
re, ſi id Eccleſiæ neceſsitas vel vtilitas exigit, licere, ſed ne id ſine ſummi pontif. (qu
hoc tempore nullus fuit) autoritate fieret. Plat. Pontificem (ſi ſummum) non niſ
ex Epiſcopis creandum. Sabell. Sed quis non videt hæc eſſe ſuppoſititia: cùm Pri
matus Romanæ Eccleſiæ vix circa annum Chriſti 607. Conſtantinopolitano Pa
triarcha maximè repugnante ſit confirmatus, vt infrà videbitur.

Operæ precium tamen erit, in Fabiani electione, qui huic Anthero ſuffectu
eſt, morem, quem veteres in eligendo Epiſcopo obſeruarunt, & quid in huius Ele
ctione ſcitu iucundum acciderit, paucis indicare. Poteſt autem hoc ex ipſius Euſe
bij verbis commodiſsimè videri, quæ lib. 6. cap. 21. ſic habent. Tradunt autem Fa
bianum, Anthero defuncto; cùm de agro reuerteretur vnà cum amicis ſuis, & vni
uerſus Eccleſiæ populus pro Epiſcopo eligendo in vnum coijſſet, atque alius de alic
(vt fieri ſolet in talibus) conclamaret, nec tamen vulgi ſententia certi aliquid obti
neret, aſtitiſſe eum inter cæteros, ſcire cupientem, qui rei exitus foret: Et ſubitó per
Dei prouidentiam Columbam cœlitus lapſam, figuram ferentem illius, quæ in
Sancti Spiritus imagine ſuper Ieſum deſcenderat apud Iordanem, ſupra caput aſti
tiſſe Fabiani. Ad quod ſpectaculum ora cunctorum oculoſque conuerſos, & omnes
velut vno ſpiritu commotos, hunc eſſe Epiſcopatu dignum, per Dei iudicium de
creuiſſe: eumque continuò cathedræ impoſitum, & legitimo ſacerdotio confir
matum. Hæc Euſebius. Sunt tamen, qui hunc columbæ deſcenſum ſuper Zephe
rini electione factum aſſerant. Hæc retuli, vt videres Epiſcopi electionem, apud Ve
teres à populi ſuffragijs pependiſſe, non vt nunc eſt, ab vnius vel duorum volunta
te, qui quiduis ſpectant potius, quàm ſcientiam cum pietate coniunctam. Sed ij
cùm impios indoctoſque, ventriſq; magis quàm Eccleſiæ vtilitatis curioſos Epiſco
pos ſibi præponant, quorum ipſi rectores eſſe poſsint: viciſsim hoc ferant neceſſe
eſt, vt ipſi nullo in pietatis genere inſtructi, vnà cum ſuo Epiſcopo ad infernum de
mergantur. Nihilominus Deo ſuos electos, per contemptos, pios tamen, verbi mi
niſtros, ad vitam æternam deducente. Porrò Fabiano quoque aſſcribitur, quòd is
ſingulis annis in Cœna Domini Chriſma renouare, combuſto veteri, ſtatuerit. Item,
Ne quis vxorem duceret, intra quintum conſanguinitatis gradum. Item quiſque
Chriſtianus ter in anno Euchariſtiam ſumeret.

246. Notandum circa hunc annum eſt, Quòd Philippus duobus ferè annis cùm
Gordiano Imperium adminiſtrauit, ſicuti ex Iulio Capitolino, vt in Chronologia
indicatur, videre eſt. Quód non aduertentes quidam, ſeptem aut ſex annos Phi
lippi Imperio, quo cum filio regnauit, poſt Gordiani mortem aſſcripſerunt, Cu

tame

tamen & ipſa Coſs. ſeries, quam nos certiſsimam habere non diffidimus (quod tamen citra omnem iactantiam dicimus) manifeſtè contradicit, Vt quiuis ex ſequentibus Imperatorum conſulatibus videre poteſt. Atq; hoc modo hiſtoriarum fidem duobus aut tribus ferè annis, ſine omni neceſsitate, ſua tantúm negligentia, anticipare fecerunt, Cuius lectorem commonefieri neceſſarium videbatur. Anni Christi.

Vt magnorum quoq; virorum errores conſideremus, quibus admoniti cautiores ſimus, in ſacris dijudicandis, de ea quæſtione, An hæretici baptizandi eſſent, quæ Euſeb. ſcribit, referam ex lib. 7. cap. 2. Quæſtio exorta eſt, in Africæ partibus præcipuè, An oporteret hæreticos, ſi reuerti vellent, rebaptizare? Cumque id à Cypriano & cæteris penè omnibus per Africam ſacerdotibus, oportere fieri, decernêretur; Cornelius(Rom. Pontif. is erat) & cæteri omnes per Italiam ſacerdotes, huiuſmodi, decretum MANENTE SACERDOTALI CONCORDIA refutarunt, ſtatuentes, antiquitus á patribus ſuper hoc traditam regulam debere ſeruari, quæ continebat: Poſt abiectionem praui, & confeſsionem recti Dogmatis ſola nos manus impoſitione purgandos. Hæc Euſeb. Audite vos hîc, qui Eccleſiæ Doctores nunc dicimini, ac omnium errorum eradicatores eſſe videri vultis, Vbi Priſcorum hoc apud vos concordiæ ſtudium eſt? Pudeat vos, quòd tantùm á Veteris Eccleſiæ more diſcedentes, nihilominus vos veteris Eccleſiæ inſtauratores eſſe iactare audetis. 250.

Hæreſes, quas in Arabia ortas, ac ab Origene extinctas eſſe, diximus, Euſ lib. 6. cap. 27. & 28. huiusmodi fuiſſe dicit: Quidam docuerunt, animam pariter cum corpore interire, pariterque corrumpi: rurſum veró in tempore reſurrectionis cum corporibus ſuſcitari. Ob hoc tam craſſum delyrium, Epiſcoporum conuentus habitus eſt, Cui Origenes interfuit. Quod ſi fides ſimplici ſcripturæ adhiberetur, vnico vel duobus dictis extirpari potuiſſet. Primûm, quòd Chriſtus dicit ad latronem: Hodie mecum eris in Paradyſio: Alterum Pauli: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed vbi maior fides hominibus quàm verbo Dei habetur, neceſſe eſt multas Synodos, multasqus ſectas in Eccleſia oriri. Quod & noſtro ſeculo in tanta hominum φιλαυτία fruſtra querimur. Altera hæreſis Helcheſaitarum dicta eſt ab Origene, cuius errores hi fuiſſe ibidem traduntur: Quædam de ſcripturis refutabant, quibusdam verò ſcripturarum teſtimonijs vtebantur, quibus volebant, ac quæ è re ipſorum eſſe videbantur. Apoſtolum Paulum omninò reſpuere: ac aſſere, ſi quis in perſequutionibus negauerit, eum criminis nihil habere, modò in corde fixus ſit; ſi enim ore neget, corde tamen in fide permanere. Librum ſingularê circumferre, quem cœlo lapſum dicere, cuius verba ſi quis audiret, remiſsionem omnium peccatorum accipere eum affirmare. Aliam tamen eam eſſe Remiſsionem, ac quam Chriſtus dederit. 251.

In ea, quam Decius mouit perſequutione, non tantúm Romæ in Chriſtianos ſæuitum eſt, Verùm etiam Hieroſolymis, ac in Antiochia. Illic inter cæteros Alexander Hieroſolymæ Epiſcodus, canicie, fide, pietateque clarus, multis ſubinde ſibi ſuccedentibus tormentis tortus, in vincula tandem reiectus, moritur. Simili morte Babylas Antiochiæ Epiſcopus abſumptus. Origenes quoque multa in hac perſequutione pertulit, mortis tamen ſupplicium effugit. Apud Corinthum quoque multi, antequam Imperatoris edictum publicaretur, ab impijs abrepti morteque damnati, pars igni, pars gladio cōſumpti ſunt. Inter quos Apollonia virgo enituit, cui dentes primùm omnes eruerunt, ac ſuccenſo rogo combuſtionem minitarunt: 252.

Illa è manibus eorum ſe proripiens, vltrò in rogum ardentem inſiluit, magno om-nium ſtupore, vitam Deo reddidit. Plura habentur in Epiſtola Dionyſij, quæ Euſeb. recitat. lib 6. cap. 31. &c. Seuitum denique multò crudelius eſt in ſanguinem innocuum, hoc tempore, ac nunquam alias. Sed & diuina vltio non tardauit. Biennio namque nondum expleto, Decius Tyrannus à Gothis victus interijt. Vt in Chronologia quoque dictum eſt.

253. Nouatus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, animi elatione tumens, ſalutis ſpem omnem ijs adimebat, qui in perſequutione lapſi fuerant, etiamſi dignam habuiſſent pœnitentiam. Ex quo princeps hæreſeos Nouatianorum ipſe factus ab Eccleſia Dei diſcedens, ſuperbo nomine ſectatores ſuos καθαρούς, id eſt, Mundos appellabat. Ob quam rem concilium Sacerdotale celeberrimum, in vrbe Roma congregatum eſt, Epiſcoporum quidem ſexaginta numero, presbiterorum quoq; totidem, cum Diaconis plurimis. Præterea etiam per ſingulas quaſque prouincias, de hac re magna deliberatione habita, ſtatutum eſt, Nouatum cum his qui eum mentis elatione tumidum ſequerentur, quiq; ad inhumanã iſtam & nihil fraternæ charitatis ſeruantem ſententiam declinarent, alienum eſſe ab Eccleſia. Eos verò qui lapſi in certamine fuerant, fraterna miſeratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 33. Nec tamen extirpari potuit hæc hæreſis. Durauit enim Conſtantinopoli præcipuè, quoad vrbs illa à Turcis capta, ac omni Chriſtiana religione publica euacuata eſt, Semper proprium habens Epiſcopum.

De Romanis Pontificibus quos ſilentio præteriui, nihil memorabile inueni,
257. niſi quod Cornelio quoq; aſſcribitur, eum ſanxiſſe, ne Iuramentum à Sacerdote, niſi pro fide exigeretur. Corpora quoque (ſi tam diu in ſepulchris incorrupta manſerint) Beatorum Petri ac Pauli, in alia loca tranſtuliſſe perhibetur. Lucij qui huic ſucceſsit vnica conſtitutio, ne & is non aliquem lapidem Romanæ curiæ poſuiſſe videatur, eſſe fertur, ſcilicet, Vt Epiſcopus duobus presbyteris, & tribus Diaconis ſtipatus, qui vitæ teſtes eſſent, ambularet. Plat. Stephanum verò, Ne ſacerdos alia veſte quàm ſacra in ſacris vteretur, ſanxiſſe ait Sabellius, Xiſto (mirum) nihil conſtitutionis aſſcribitur. Hoc tamen prætereundum non eſt, quòd Platina Laurentii paſſionem his temporibus factam aſſerit, quam alij in Decianam perſecutionem ponunt, qua & Fabianus Rom. Pontif. martyrij ergò mortem pertulit.

Sabellina hæreſis apud Ptolomaidem orta eſt, Sabellio quodam autore. Hi Chriſtum filium Dei & primogenitum omnis creaturæ eſſe negabant. Spiritus Sancti intellectum auferebant. Vnam perſonam Patri, Filio & Spiritui Sancto aſſcribentes.

Quæ de perſecutione Valeriana traduntur ab hiſtoricis, ita ſunt confuſa, vt ne-
258. ſcias, quem tuto ſequaris. In hoc conueniunt omnes, Valerianum initio imperii ſui, tam mitem fuiſſe Chriſtianis, vt domus eius propter Chriſtianorum frequentiam, Eccleſia Dei viſa ſit: ab Ægyptio deinde mago eum corruptum, ita tandem ſæuiiſſe in eos, quos antè tanquam Diuinos coluerat, vt omnes ſuos anteceſſores crudelitate ſuppliciorum facilè vicerit. Pœnam tandem diuinitus conſecutam. A Sapore enim Perſarum rege captus, oculis primùm eſt priuatus, deinceps pro ſella aſſcenſoria à rege habitus. Quandocunque enim equum inſcendere vellet, Valeriani dorſo pro ſcabello vſus eſt Rex. Qui verò præ cæteris in hac perſecutione Chriſtiani enituerint, ſi quid certi ſcire deſideras, vide hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 9. & ſequentibus.

REGNI

REGNI ANTICHRISTI IN TEMPLO DEI SEDENTIS INITIVM, AC DE DIEBVS 126. quorum in Apocalypſi mentio fit, quid ſtatuendum.

PAulus Samoſatenus, cùm in primaria Dei Eccleſia quæ fuit Antiochiæ, vbi & Chriſtianorum nomen primitus auditum eſt, Cathedram Epiſcopalem inſediſ-ſet, ſtatim in Chriſtum filium Dei blaſphemias euomuit, negans eum eſſe verum ac æternum Dei filium, qui de cœlo deſcenderit: Sed tantùm ex Maria & terra ſumſiſſe initium. Quam hæreſin Artemon quidam ante 60. ferè annos ſparſerat, quæ tamen ſine mora fuit extincta. Sed hic Paulus eam eò loci perduxit, vt in hodiernum diem nondum ſit deleta, Sed de die in diem ſic adaucta, vt totum de-nuq; Orientem á Chriſto auerterit. Nam quod hic in Antiochia ſéminauit, id paulò pòſt arreptum, Arius in Alexandria fœcundare fecit, ac per totam Aſiam tranſplan-tauit, cui denique Mahometes ſuccedens, fimum appoſuit, quo in tantum hæc Zi-zania ſunt corroborata, vt purum fidei frumentum omninò ſub eis oppreſſum ac ſuffocatum iaceat. Cùm hic Samoſata primus ex Epiſcopis fuerit, qui Chriſtum blaphemijs inceſſerit, & D. Paul. 2 Theſſ. 2. dicat, Antichriſtum in Templo Dei ſeſſurum (id eſt, in Eccleſijs publico docenti munere functurum eſſe) & in Apo-calypſi dicatur, quód Eccleſia vera quadraginta duobus menſibus, vel (quod idem eſt) 1260. diebus à Gentibus conculcari debebat: Quod vtiq; in Antichriſti regno fieri oportuit: Ab hoc Anno eius regni ac temporis initium ſumendum arbitror. Eſt enim hic Epiſcopus ſedens in templo Dei, ac blaſphemans Chriſtum in ſum-ma Maieſtate ſua, detrahens ei Diuinam eſſentiam. Deinde ſicuti Chriſtianorum nomen primùm in Antiochia cœpit, eaq; primaria ſit Eccleſia ſemper habita, ſic quoque convenit, vt Antichriſtus primùm in ea virus ſuum effundat, Regniq; ſui fundamenta ponat. Tertiò conſonat etiam tempus, quod in Apocalypſi defini-tur, quàm diu ſcilicet Eccleſia ab Antichriſti Regno conculcari debebat. Quod vt melius intelligatur, paulò pluribus exponam.

Poſtquàm Iohanni variæ calamitates, quæ Eccleſiæ Dei obvenire debebant, ab Angelo eſſent reuelatæ, tandem cap. 10. eius libri, ſummam, quam ſub Anti-chriſto paſſura eſſet, afflictionem ac Tyrannidem deſcribere incipit (de qua re ali-quando lucubrationes meas, quas ante ſexenniũ in totum illum librum ferè com-mentatus ſum, in publicum dabo) Ac deſcripta ſpirituali Papæ Tyrannide, quo-in ſummo vigore Antichriſti Regnum fuit, vt cernimus, ác indicatoque quomodo Papa externis ceremonijs Eccleſiam dimenſurus ac formaturus eſſet, inter cætera addit: Atrium quod intra templum eſt eijce foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt gentibus & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. In his verbis primùm conſiderato, Quód Atrium hîc dicitur vera Eccleſia Dei, quæ in Veteri Teſtamento per Sanctam Sanctorum præfigurabatur. Ea non videtur, ſed creditur Eccleſia, vt in Symbolo habemus, itaque nec metiri poteſt, vt Tem-plum exterius, quod cœtus ille viſibilis eſt, qui legibus, vt Verbum audiat, ac ſa-cramentis vtatur, compelli poteſt. Antichriſtus veró conſtituens Eccleſiam ſuam illam eijcit foris, nec quicquam curat, niſi vt conculcetur & extirpetur, ſicuti res ipſa ſatis docet: datumq; eſt ei, vt hoc faciat per gentes (id eſt, per infideles) menſi-bus 42, hoc eſt, per annos 1260. Porrò ſi tantum Papa temporis, Eccleſiam ſua

Tyran-

Tyrannide vexare deberet, certum eſſet, eam adhuc aliquot centenis annis duraturam eſſe: non enim vltrà 950. annos ſi á Primatu incipias, durauit. Sed, vt videmus, Papæ Tyrannis extincta eſt, itaq; hoc tempus non ſolùm Papæ regno aſſcribendum erit, ſed potius toti regno Antichriſti. Quod in Antiochia cœpit, in Alexandria per Arrium eſt confirmatum, indeque ſub alia facie, vt ea Apocal. cap. 10. depingitur, Romam occupauit. Tandemq; totum Romanum Imperium &c. ſibi ſubiugauit, vt in ſequentibus videre poteris. Quomodo ergo hoc tempus, cum hiſtoria conuenit? Ecce Paulus de quo ſermo erat, in Antiochia Eccleſiam ſuis legibus ordinauit, eiecto primùm Chriſto filio Dei, Pſalmis deinde ac hymnis Chriſtum concinentibus, ſuoq; idolo, quod Chriſtus, ſed non Deus eſſet, ſuiſq; pſalmis ac hymnis, quos ipſe finxerat, in locum illorum conſtitutis. Ac ſic Eccleſia vera vnà cum Chriſto proiecta, à Gentibus conculcari cœpit. Quæ calcatio per varias inde Gentes ſubinde acta eſt, vt ſuprà ſubobſcurè indicaui. Hæc enim Samoſatena blaſphemia nondum erat ſublata, cùm Arrius apud Alexandriam eam multò vehementius vrgere inciperet, totumq; Orientem ferè à Chriſto alienaret. Hoc aliquo modo ſedato furore, vt infrà videbitur, Mahomet exurrrexit, qui totam Orientis Eccleſiam omninò euertit. Interea Papatus vires acquiſiuit, qui denique ſummam huic regno, in quo Sanctum ſanctorum conculcatur, manum impoſuit, donec diuinitus exuſcitato D. Martino Luthero huic conculcationi obuiam itum eſt, per cuius Doctrinam, quam anno Chriſti 1521. (finitis illis 1260. annis) coram Romano Imperio VVormaciæ congregato confeſſus, Vera Dei Eccleſia reædificari cœpta eſt. Ex eo namq; tempore Regnum Chriſti ſubinde maiores vires accipere, Antichriſti verò Regnum per ſemetipſum collabi, ac confici, ad interituṁq; duci conſueuit. His ita conſonantibus (vt alibi copioſius à me eſt traditum) ab hoc anno 261. quo per Samoſatenum calcatio illa initium ſumpſit, ego quoq, eorum annorum principium facio, qui finiuntur cum anno Chriſti 1521. Quo Lutherus coram imperio victor, Antichriſti regnum fortiſsimè deſtruere aggreſſus eſt. Huic accedunt Monachatus, anno priore inchoatus, nec non Francorum potentia, ſub qua Papatus (vt in ſequentibus patebit) omnis potentiæ ſuæ vires acquiſiuit. Quæ Francorum potentia in Romanos ſeſe præcipuè eo anno Chriſti 261. exerere cœpit, atque ab eo tempore nunquam infringi potuit, Donec ipſo Romano Imperio in occidente potita foret &c.

264. Chiliaſtarum ſecta, quæ docebat, Regnum Chriſti in hoc Mundo mille annorum terrenum fore, non tum temporis initium ſumpſit, quo Nepos ille Ægypti Epiſcopus eam reſuſcitauit, á quo etiam Nepotiana hæreſis dicta eſt. Quin & Papias coæuus Polycarpi, ac alij quidam veterum in ea opinione fuerunt. Cuius firmum ſe argumentum in Apocalypſi habere rati ſunt, Vbi 20. capite dicitur: Quòd Beati cum Chriſto regnabunt mille annos. Hanc prauam opinionem Dionyſius Corinthi Epiſcopus euertit, quantum ipſe potuit. Manſit tamen (vt omnes ferè hæreſes ſemper aliquid ſeminis poſt ſe relinquunt) multo tempore pòſt. Nam & Lactantius in ea opinione fuit, vt ex ſcriptis eius cernitur lib. 7. diuin. Inſt. capite 14. &c.

268. Dionyſio hæc aſſcribunt Pontificij, quòd Presbyteris Eccleſiam & Cœmiteria in vrbe Roma, ſimul ac Pontificatum inijſſet, diuiſis, Parochias quoque & diœceſes foris diſtribuit, quò quisq; finibus ſuis limitibúſue contentus eſſet. Plat. lib. Concil. &c. Huius temporibus Antiochiæ conuentus Epiſcoporum eſt habitus, ad Samoſa-

noſateni blaſpemias diſcutiendas. In quo vnanimi omnium, qui tum aderant, Epiſcoporum conſenſu, Samoſatenus publicè cum dogmate ſuo damnatus eſt, Gregorio Cæſarienſi Epiſcopo maximè in hoc negocio deſudante, qui deinde pro Chriſti fide martyrij pænam ſubijt, Temporibus ſcilicet Diocletiani.

Felix Dionyſio ſucceſsit in Romanæ Eccleſiæ faſtigio, cuius inſtituta hæc eſſe dicuntur: Martyrum nomine annuatim ſacra ſemel facienda, Vnde Sanctorum defunctorum memoria conſeruaretur. Quæ hinc idolatriæ exortæ ſunt, noſtro ſeculo perſpicuum eſt, vbi hæc intelliguntur. Inſtituiſſe quoque ferunt, vt ſacra nullibi, præterquàm in ſacro loco fierent. Viros tantùm ſacris initiatos celebrare Miſſas, niſi ſecus fieri cogeret neceſsitas. Quod nihil ſuſpicionem facit, vt cogitem, Clericos indiſcretè, vel etiam Laicos, vt vocant, antè Miſſas celebrare conſueuiſſe. Ad quid enim aliàs opus erat lege? Porrò & hunc ſanxiſſe ferunt, vt templa, ſi in dubium vocaretur, an conſecrata eſſent, iterùm conſecrarentur. Tantæ his temporibus ſcilicet pijs patribus curæ fuerunt lapides, ligna, ædificia &c. cùm non haberent aliàs quod facerent, neque vlla hæreſis erat, quam oppugnarent, quó fides Chriſti in cordibus hominum maneret illibata. 277.

De perſequutione Aureliana, nihil aliud, quod fide dignum eſſet, apud probatos reperi autores, præter quàm quòd molitus ſit, poſt multa in Chriſtianos benefacta, perſequutionem, Sed morte præuentus, eam in actum minimè perducere potuiſſe, quod & in Chronologia dictum eſt. Hic Aurelianus tantum Chriſtianis, antequam corrumperetur, fauit, vt Samoſatenum publico Concilio condemnatum, quia ab Eccleſia diſcedere nollet, manu publica cum ignominia expelli fecerit. 278.

Manes genere Perſa, vita & moribus Barbarus, tam peſtiferam excitauit hæreſim, vt multis pòſt ſeculis vix è publico eradicarj potuerit. Tam vehementi enim ingenio fuit, vt aut inſanire, aut à Dæmonio impleri viſus ſit prudentibus. Delyria eius in ſumma hæc fuiſſe dicuntur. Chriſtum ſe eſſe dixit: duodecim quoque ad imitationem Chriſti diſcipulos elegit, quos vicatim ad ſeducendos populos emiſit. Chriſtum Dominum verum corpus humanum habuiſſe negauit: imaginarium quidem habuiſſe conceſsit. Seipſum Paracletum eſſe palàm dixit. Sectatores eius Manichei dicti, hæc addiderunt, Duas ſubſtantias, & bonam & malam, eſſe rerum creatrices, Animas ex Deo tanquam ex fonte emanere, Vetus denique Teſtamentum omninò reiecerùnt, Nouum ex parte tantùm recipientes. 280.

Eutychianus Rom. Pontifex, ne & is nihil ageret, Frugibus, & cum primis fabis & vuis in altari benedictionem imprecari ſtatuit. Si Platinæ ac Concil. lib. credimus Martyrum quoq; ſepultura ita delectatus eſſe fertur, vt per diuerſa loca trecenta quadraginta duo Martyrum corpora proprijs manibus ſepulturæ mandauerit, edictoque ſtatuerit, ne quiſquam fidelium martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica (vt ipſi pontificij veſtem ſacerdotalem vocant) aut collobio purpurato, ſi modò conſtitutionis huius ad eum perueniſſet noticia. 282.

Gaius quoq; huius ſucceſſor, ocioſus eſſe noluit, ſed quó aliquid ſaltem Romanæ ſedi ſtipis conferret, gradus Clericorũ denuó inſtituit, ac renouauit, per quos ad Epiſcopatum aſcenſus fieret. Quorum in ordine hæ nomenclaturæ ſunt: Oſtiarius, Lector, exorciſta, Aculutus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus. Diaconis regiones diuiſit, vt res martyrum conſcriberent. Sacris initiatum à prophano in ius vocari vetuit. 283.

vetuit. Pagano item ac hæretico poteſtatem ademit vocandi in ius Chriſtianum: Si quis credat, tantam fuiſſe Romani pontificis autoritatem, regnantibus adhuc & ius adminiſtrantibus Gentilibus ac Paganis.

298. Marcellino Romanam Eccleſiam gubernante, Diocletianus annno decimo no-
306. no imperij ſui, grauiſsimam omnium in Chriſtianos mouit perſequutionem, quæ menſe Martio eius anni initium habuit, ac prius finem non accepit, quàm ipſe Diocletianus Imperio renunciauit. Primò edictum emiſit, vt Eccleſiæ ſiue Templa Chriſtianorum vbique ſolo æquarentur: vt ſacræ ſcripturæ publicitus comburerentur: vt priuilegijs prærogatiuisq́; datis Chriſtiani priuarentur, manerentq́; perpetuó infames: Vt ſeruus, ſi Chriſtianus permaneret, nunquam impetraret libertatẽ. Ac non longè póſt, omnes, qui Eccleſijs præerant, in carceres conijci, & omnis generis ſupplicio ad ſacrificandum idolis cogi mandauit. Cui decreto non minori ferocia ac crudelitate obſecuti ſunt præfecti, quàm ipſe Diocletianus id factum cuperet. Copioſiſsimè hæc perſequutio ab Euſebio deſcribitur, quem, ſi quis plura deſiderat, conſulere poteſt. In hac perſequutione Marcellinus Rom. Pontif. grauiſsima labe Sanctiſsimam Sellam Romanam infecit; Quamuis eam ſanguine ſuo poſtmodum eluerit: Tamen hoc indicium dedit Sanctiſsimum, eo tempore, vbi vera Sanctitas adhuc magis dextrè, quàm poſterioribus ſeculis factum eſt, coleretur, non ſolùm errare & labi, ſed quod maius eſt, ipſum Chriſtum quoque abnegare potuiſſe. Nam cùm ad ſacra gentilia pertractus eſſet, iuſſusq́; ; vt dijs gentium thura adoleret, terrorum minis ita perterrefactus eſt, vt mox gentiles deos adoraret. Tandem ad ſe rediens, abnegati Chriſti crimine agnito, ad Campaniæ vrbem, vbi Concilium 180. Epiſcoporum coierat, properauit (Incertum, quam ob cauſam hæc Synodus congregata, neque Hiſt. Eccleſiaſtica de ea quicquam habet) ſqualidus, cilicioq́; indutus Marcellinus, veniam delicti petit, vtq́; ſibi dignas pro iſta abnegatione pœnas ſtatuerent, rogauit. Boni verò patres cognita illius pœnitentia, ne dolerem dolori adderent, Macrellinum mox abſoluerunt, Romamq́; ad munus ſuum redire iuſsêre. Quó veniens iratior, reſumpto animo ſeuerius in Diocletianum inuectus eſt, quód ſe ad ſacra Idolorum coëgerat. Ob quod compræhenſus ad martyrium ductus, æquo animo, quam ante fugerat mortem ſubiuit, Succeſſoriq́; ſubinde, dum ad mortem duceretur, iniungens, ne in ijs quæ fidei ſunt, Diocletiano obtemperaret. Hanc perſequutionem omnes Hiſtoriographi ſcribunt, diuina vltione Eccleſiæ contigiſſe, propter diſsidia, quæ horribiliter inter Chriſtiani nominis homines eo tempore exarſerant.

Marcello, qui Marcellino ſucceſsit, aſſcribunt Romanenſes, quòd conſtituit,
307. Nec concilium ſine peculiari Pontificis autoritate haberetur, Quam tamen conſtitutionem, multis ſeculis póſt nullam fuiſſe, ex ſequentibus Concilijs quàm plurimis conſtabit. A Maxentio in carcere pœdore ac ſiti necatum tradunt; Quod de Maximino verius crediderim, vt in Chronologia videre potes. Huic Euſebium ſucceſſorem faciunt. Cui antiquàm illam cantilenam, ne & is ſine conſtitutione Eccleſiaſtica diſcedat, aſſcribunt, ac dicunt eum, Ne à Laicis Epiſcopus in Ius vocaretur, conſtituiſſe. Huic Melciades ſucceſsit. Is harum legum autor eſſe dicitur: Quia ſcilicet dies Dominica, & dies Martis quaſi ſacri à Paganis habebantur, ideo Chriſtiani iſtis diebus non ieiunarent. Plat. Volat. Sabel. Item, ne ante probationem veri, ex ſuſpicionibus quiſquam damnaretur.

Sylueſter Melciadis ſucceſſor, omnium anteceſſorum ſuorum felicißimus, eò quòd ſuo tempore Chriſtianum nomen per totum Romanum Imperium publicè honorari cœpit. Huius permulta feruntur inſtituta, quæ verè an falsò ei aſſcribantur, apud me in dubio eſt. Statuiſſe enim tradunt, vt Chriſma tantùm ab Epiſcopo conſecraretur. Baptizatum ab Epiſcopo chriſmate ſignandum ac confirmandum, contra hæreticas ſuaſiones. Hinc puerorum confirmatio, hamus præteriti ſeculi ſuffraganeorum haud infelix, ad expiſcandam imperitorum pecuniam. Item, In occaſione mortis babtizatum chriſmate vngendum à presbytero. Hinc vnctio extrema, vnum de Sacramentis pontificijs. Gradus in Eccleſiaſticis ordinibus, vtq; vnuſquiſque vno gradu contentus, vniusque vxoris Vir eſſet, conſtituiſſe dicunt. Cætera ad veſtitum Clericorum ac Sacerdotum miſſantium pertinent, quæ Platina copioſius recenſet, meo operi nimis grauia. Maximinus Auguſtus exemplum Diocletiani in perſequendis Chriſtianis ſecutus, cùm per decem continuos annos in Orientis partibus crudeliſsimè graſſatus eſſet, & innumera hominum millia Deum verum colentium neci dediſſet, à Deo, qui etiam in ira miſericordiam ſuam oſtendit, miſerrimo morbi genere, à propoſita immanitate, qua omnes anteceſſores ſuos longè ſuperabat, ad ſui agnitionem, & ad reuocationem edicti ſui, reuocatur. Quod factum, cùm nobis ſingularem Dei curam ad liberandum pios, malosque puniendum proponat, ex Euſebij hiſtoria hîc apponere libuit. Ille, inquit, qui lætis, ac ſaginatis carnibus incedebat ſuperbus, inflatis ſubitò viſceribus, ſuppuratisque diſtenditur in profundioribus de hinc pectoris partibus obortum vulnus, totos intrinſecus viſcerum ſeceſſus, tabo ſerpente depaſcitur. Poſt etiam fiſtulis quibuſdam in ſuperficie purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefactis vulneris venis, ebullire vndatim cœpit innumera vermium multitudo. Fœtor verò tam intolerabilis erat, vt nullus omninò ne medicorum quidem propius poſſet accedere. Deniquè pleroſque medicorum, quod nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare poſſent, interfici iubet. In quibus cùm quidam iugulandus potius, quàm medicaturus aſsiſteret, inſpiratus à Deo, Cur, inquit, Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas poſſe reuocari? Nec humanus eſt iſte morbus, nec medicis curatur. Sed recordare, quanta in ſeruos Dei egeris, quamque in religionem diuinam impius & prophanus extiteris: & intelliges vnde tibi ſint poſcenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen à Medicis non curaberis. Tunc primùm Maximinus ſe hominem eſſe intellexit, & ſcelerum ſuorum immanitatem recordatus, primò omnium erraſſe ſe & impiè egiſſe, profitetur: mox edictam publicè proponi iuſsit, quo non ſolùm Chriſtianos à perſequutione liberos fecit, iniuriaſque eis inferendas ſuſtulit, verùm & eorum templa reædificari præcepit, vt ſolitis cultibus & obſecrationibus vacantes, etiam pro ipſius ſalute excelſo ſupplicarent Deo. Sic liberati Chriſtiani aliquantulum reſpirare cœperunt. Cæterùm & hoc notandum eſt, Quòd duo cum Imperio fuerunt Maximini circa hæc tempora. Primus fuit Maximinus Galerius, hic & Auguſtus fuit, is quoque Maximianus à quibuſdam dicitur, atque is eſt, de quo nunc ſermo fuit. Alter fuit Maximinus Cæſar, de quo hiſtoria Eccleſ. lib. 9. à cap. 1. vſque ad 10. agit, is ſimili modo in Chriſtianos ſæuijt, Victus tandem à Licinio, in morbum incidit lethalem, quo coactus, ſicuti Galerius, pro Chriſtianis ſcriptum emiſit, morboque ingraueſcente iuſtam ſe Dei vindictam pati, ſcelerumque iuſtam pœnam expendere, confeſſus eſt. Hæc, quia nomina & facta ferè conueniunt, non ſolùm alios, ſed me quoque aliquan-

Anni Christi.

314.

ANNI Chriſti.

diu ſuſpenſum tenuerunt, vt de vnico Galerio hæc facta intelligerem. Sed diligenti⸗tius hiſtorias conſiderans, hæc ſic, vt dixi, ſeſe habere cognoui. Sed de his hacte⸗nus.

Poſtquàm Eccleſia à Conſtantino pijſsimo Imperatore pacem conſecuta eſſet (vt in Chronol. diximus) Res omnis Eccleſiaſtica maximum paruo tempore in⸗

322. crementum ſumebat, fideſque ac pietas in Deum verum, ſupra modum ſuccreſce⸗bat, ita vt omnes Chriſtiani, ſe nunc omnia ſuperaſſe pericula, cogitare poterant. Tum Serpens antiquus hanc populi Dei felicitatem non ferens, cùm per homici⸗dium nil poſſet vltrà, per mendacium denuò pietatem fidemque Chriſti labefacta⸗re aggreditur. Ac cùm per Samoſatenum in Antiochia, quæ primatum inter Eccle⸗ſias antiquitus habere putabatur, vim ſuam antea eſſet expertus, ſedesque illa ob id nimis ſuſpecta: Proximam huic ſedem, quæ ab omni ſuſpicione longè aberat, ſcholæque autoritate cæteris præſtabat, Alexandriam ſcilicet, ad propoſitum ſuum propagandum elegit. In qua & obſequentem ſibi, fidelemque mendacij ſui mini⸗ſtrum, Arrium inuenit. Qui cùm in electione Epiſcopi, Alexandrum virum & æta⸗te & doctrina pietateque clarum, præferri ſibi vidiſſet, ex ſuperbia vindictam quæ⸗rens, nouum contra fidei doctrinam dogma ſpargere cœpit, Nempe Chriſtum, quem nos piè credimus ex ſubſtantia Patris ante omnia ſecula natum, æqualemque patri per omnia ſecundum diuinitatem, ipſe negauit verè filium Dei eſſe ex ſub⸗ſtantia Patris: Sed creatum quidem ante omnes creaturas dicebat, ac deinde per ipſum tanquam per præſtantiſsimam omnium creaturarum, Mundum ac creatu⸗ras reliquas creatas eſſe. Hoc aliud nihil erat, quàm Filium Dei ab æterna & ineffa⸗bili ſubſtantia Patris abſcindere & ſeparare. Huic annectebat appendicem: Filium Dei ſcilicet minorem eſſe Patre, & Spiritum ſanctum minorem Patre & Filio. Atque hæc impietas tantum incrementum paulo momento temporis acquiſiuit, vt to⸗tum denique Orientem, Aſiam totam, vnà cum præcipuis Eccleſiæ doctoribus ac Epiſcopis, qui huic blaſphemiæ aſſentirent, dementarit: de qua conſulere potes, ſi plura requiris, hiſtoriam Eccleſiaſt. lib. 10. & Tripartitam lib. 1. cum ſequentibus. Atque hic Arrius fuit Angelus ille Apocal cap. 9. qui aperuit fontem Abyſsi, ex quo locuſtæ egredientes, qui ſuos ſequaces præfigurabant, homines affligebant menſibus quinque, hoc eſt, centum quinquaginta annis, de quo aliàs copioſius. Quin & cir⸗ca annum Chriſti 372. in Chronologia quædam ea de re dicta ſunt, & poſtea, ſi vi⸗ſum fuerit, dicentur.

324. Conſtantini Imperatoris Auguſti, ad conſeruandam puram in Eccleſia do⸗ctrinam, promptum animum ex eo quiuis agnoſcere poteſt, quòd duos dies per ſin⸗gulas ſeptimanas, ac præcipuè diem Dominicum, à Iudicijs alijsque rebus Sacra im⸗pedientibus, liberos eſſe voluit. Niſi enim certis ſtatutisque temporibus, ad res diui⸗nas adminiſtrandas vtamur, populus in incerto poſitus, nunquam conuenire pote⸗rit, vt audiat Verbum Domini. Quòd verò Conſtantinus Dominicam præcipuè ele⸗gerit ad res diuinas, partim ex conſuetudine veteris Eccleſiæ factum eſt, partim quòd Chriſtus tali die à mortuis reſurrexit: Quod & Veteribus pro argumento fuit, vt hunc diem Sabbato Iudæorum præferrent, Libertate, quam Chriſtus promeruit, à lege Moſaica freti. Sextam autem feriam, quam & Veneris diem dicunt, illi æqua⸗lem fecit, eò quòd Dominus, propter peccata noſtra, eodem ſit crucifixus. At cùm diligentiſsimus crucis Chriſti cultor exiſteret, morem illum crucifigendorum homi⸗num, qui ad hæc tempora Romanis in vſu erat, lege lata ſuſtulit. Vide Hiſt. Trip. lib. 1. cap. 9. ſi quid præterea ea de re deſideras.

Cùm Arrij virus, & in Chriſtum filium DEI blaſphemia, totum ferè Romanum Imperium occupaſſet, multi tamen & pietate atque doctrina clari Epiſcopi adhuc eſſent, qui huic malo, maxima qua poterant virtute Verbi DEI reſiſterent: Conſtantinus Imperator huic morbo mederi volens, mandato ſimul ac magnis impenſis, primum generale concilium in Niceam Bythiniæ vrbem conuocauit, vbi confeſtim ex orthodoxis trecenti decem & octo Epiſcopi confluxerunt: ex Arrij parte verò decem & ſeptem, vt plerique tradunt. In hoc conuentu præcipuè decretum eſt, ac cum ſacris ſcripturis confirmatum, Chriſtum filium DEI eſſe ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialem Patri, vel eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre. Sicuti hoc in Symbolo ibidem congeſto copioſius explicatur: Quod quia tam familiare omnibus eſt, vt quotidie in Templis à pueris quoque cantetur, lubens omitto. Hoc decreto res Arrij damnata atq; diſiecta eſt. Cui Imperator pro ſua autoritate edictum addidit, vt omnes exilio damnarentur, qui orthodoxis patribus contradicerent: Quod vndecim cum Arrio ſentientes Epiſcopos ita perterruit, vt ſine mora reliquis orthodoxis ſubſcriberent, Ac ſex tantùm cum Arrio exilij pœnam ſubirent. Sed & illorum quorundam ſimulata conuerſio fuit, vt res deinde docuit, inter quos Euſebius Nicomediensis Epiſcopus omnium ſimulatorum facilimè princeps eſſe poterit, Qui poſtea cùm nihil tale ſperaretur, hoc incendium ita reuocauit, vt damnum multò maius Eccleſiæ attulerit, quàm Arrius ipſe afferre potuiſſet vnquam. Qua de re copioſiſsima in hiſtoria Tripartita, eiuſdemque autoribus ſcripta extant.

ANNI Christi. 328.

Feruntur etiam alia huius Concilij decreta, quæ, quia & nobis aliquomodo ſcitu neceſſaria videntur, huic operi ea inſerere non piguit. Referuntur autem à Rufino lib. 10. hiſt. Eccleſ. hoc ordine ac his verbis: I. Statuunt præterea (ſcilicet patres in concilio congregati) obſeruandum eſſe in Eccleſijs, ne quis ex his qui ſemetipſos impatientia libidinis exciderunt, veniret ad Clerum. II. Et ne quis nuper aſſumptus ex vita vel conuerſatione gentili, accepto baptiſmo antequàm cautius examinetur, Clericus fiat. III. Et ne quis Epiſcoporum cæterorumque clericorum cum extraneis mulieribus habitet, præterquàm cum Matre, vel ſorore, vel θεία (hoc eſt, conſanguinea in proximo poſt fraternitatem gradu conſtituta) vel ſi quæ ſunt huiuſmodi neceſsitudinum perſonæ. IIII. Vt Epiſcopus (ſi fieri poteſt) à totius prouinciæ Epiſcopis ordinetur: Si hoc difficile eſt, certè non minus, quàm à tribus, ita tamen vt Metropolitani Epiſcopi maximè vel præſentia, vel autoritas habeatur, Abſque quo ordinationem irritam eſſe voluerunt. V. Et ne, quem alius Epiſcopus de Eccleſia expulerit, ſiue Clericum, ſiue Laicum, ſuſcipiat alius. Sanè ne hoc aut iracundia aliqua, aut contentione (vt fieri ſolet) iniuſtè factum remedium non haberet, decernunt, per ſingulos annos, in ſingulis quibuſque Prouincijs, ſecundò ab omnibus Epiſcopis prouincialibus concilia agi debere, & de huiuſmodi negotijs iudicari: Vt ſi fortè ab vno aliquid iniquè geſtum ſit, à cæteris emendetur: Si rectè, vt ab omnibus confirmetur. VI. Et vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma, vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum (id eſt, earum quæ ſoli Vrbi Romanæ ſubiectæ erant) Eccleſiarum ſollicitudinem gerat. (Vbi hìc primatus Romani pontificis?) VII. Et, vt ſi fortè in ordinando Epiſcopo, duo vel tres pro aliqua contentione diſſentiant, reliquorum autoritas, & præcipuè Metropolitani cum cæteris firmior habeatur. VIII. Vt Epiſcopo Hieroſolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua ſerue-

tur, manente nihilominus & Metropolitani ipſius Prouinciæ dignitate, (Metro-politanus illius Prouinciæ fuit Antiochenus Epiſcopus. Hic in concilio hoc Ro-mano præfertur. Vbi ergo Romanæ Eccleſiæ Primatus? Vbi Petrus Primas hîc re-ſpicitur?) Sed recenſeamus & ea quæ reſtant inſtituta. IX. Vt Catharos (qui apud nos Nouatiani ſunt) ſi fortè pœnitentes ad Eccleſiam conuertantur, confeſ-ſos Eccleſiaſtica dogmata, clericos in ordine quidem ſuo ſuſcipi debere. Si verò Epiſcopus ipſorum conuerſus fuerit, Epiſcopi nomen amittat, presbyterię; in lo-cum relegatur, Niſi Epiſcopus ſemper Orthodoxus tali nomine eum honorare ſponte ſua dignetur. Sed hoc faciens, Epiſcopi locum ei vacantem quærat in quo conſtituatur. X. Ne in vna ciuitate duo ſint Epiſcopi. XI. Si qui imprudenter ad ſacerdotium prouecti, qui criminis alicuius rei ſunt, ſi conuincantur, abijciantur. Idem de lapſis, ſi ordinati fuerint, fiat. XII. Et ſi qui abſque tormentis in perſe-quutionibus lapſi ſunt, & ex corde agunt pœnitentiam, quinque annos inter Ca-techumenos faciant, & duobus annis poſt hoc fidelibus tantùm in oratione iun-gantur, & ita demùm recipiantur. XIII. Qui verò propter confeſsionem mili-tiam abiecerant, & rurſum ad hanc abierant, hos tredecim annis pœnitentiam ge-rere, & poſtea ſuſcipi, ſi tamen ex corde pœnitentiam gerant. Eſſe tamen in pote-ſtate Epiſcopi, moderandi facultatem, ſi eorum fructuoſam & attentam pœniten-tiam viderit. XIIII. De pœnitentibus verò qui vita excedunt, decernunt, vacuum nullum debere dimitti (id eſt, ſine communione corporis & ſanguinis Chriſti) Si quis ſanè accepta communione ſuperuixerit, debere eum tempora ſtatuta com-plere, vel certè pro vt moderari Epiſcopus voluerit. XV. Catechumeni lapſi tri-bus annis à Catechumenorum oratione ſeparentur, poſtea recipiantur. XVI. Ne de ciuitate inferiori ad maiorem Eccleſiam tranſire quis ambiat, ſiue Epiſcopus, ſi-ue alius Clericus. XVII. Ne quis Clericus, qui derelicta Eccleſia ſua, nulla exi-ſtente cauſa probabili, vagatur & oberrat per alias Eccleſias, ſuſcipiatur in commu-nionem. XVIII. Vt nemo eum qui ad alium pertinet, ſurripiens, in ſua Eccleſia ordinet Clericum, abſque conſenſu illius ad quem pertinet. XIX. Clericus qui vſuras frumenti viniq; ampliationem acceperit, tanquam turpis lucri reus abiicia-tur. XX. Diaconi præſentibus presbyteris Euchariſtiam ne diuidant, ſed illis tan-tùm miniſtrent, ſecus facientes abijciantur. Sed ſi presbyter nullus adfuerit, licet Diaconis Euchariſtiam diuidere. XXI. Paulianiſtæ, qui & Photiniani ſunt, re-baptizentur. (Pauli Samoſateni ſectatores Paulianiſtas vocat, & Photinianos, quia & Photinus ſimilem cum Paulo blaſphemiam ſparſit, vt infrà videbitur.) Diaconiſſas (id eſt, mulieres quæ templo pauperibusque ſeruirent) cùm non acci-perent manuum impoſitionem, inter laicos connumerandas eſſe. De obſerva-tione Paſchatis antiquus Canon confirmatus eſt, ne porrò in hac Eccleſiæ varia-rent. Hiſque Niceni Concilij decretis, pax & fidei vnitas Eccleſiarum in Orienti-s atq; Occidentis partibus conſtituta, ac ad tempus conſeruata eſt. Cæterùm & hæc obſeruatione digna ſunt, ex quibus Eccleſiæ libertas, quæ circa huius Concilij tem-pus in precio fuit, cognoſci poteſt. Spiridion in Cypro Epiſcopus, Religionis ve-ræ amans, miraculis inſignis, ad mutuo dandum promptus, & in egenos munifi-cus, Epiſcopatu fungens, domi ſuæ Vxorem & liberos habuit. Is in quadrageſi-ma cùm nec farinæ ad manum eſſent, Hoſpiti, qui ad ſe diuerterat, carnes porcinas apponi iubet, ipſeque vnà accumbit. Hoſpes cùm à carnibus abhorreret, dicens ſe Chriſtianum eſſe, Spiridion reſpondit, Eo nomine maximé illi carnes come-

dendas

 Anni Christi.

lendas eſſe, Quia, inquit, puris omnia pura ſunt, Hiſtor. Tripart. lib. 1. cap. 10. Hoc tempore quoque Paphnucius vir pietate inſignis claruit: huic propter fidem Chriſti alter oculus erutus eſt, Ipſe inconiugatus, in Nicena Synodo, ne lex de non cognoſcendis à presbyteris vxoribus, quas ante electionem duxiſſent, promulgaretur, à toto Concilio obtinuit, dicens, Coniugium honorabile eſſe, & concubitum cum propria coniuge caſtitatem: Perſuaſitq; Concilio, ne eiuſmodi lex publicaretur, quæ ſcortandi occaſionem præberet. Quæ Paphnucij ſententia laudata eſt à Synodo, & res de cœlibatu cuiuſque arbitrio permiſſa eſt: ac ne neceſsitatis, ſed voluntatis continentia eſſet, cautum eſt. Hiſt. Trip. lib. 2. cap. 14. Rufin. hiſto. Eccleſ. lib. 10. cap. 4.

Donatus genere Afer (à quo Donatiani ſeu Donatiſtæ hæretici nomen habent) multa in Catholicos ſcribens, totam penè Africam & Iudæam ſua perſuaſione decepit. Affirmabat enim Patre minorem eſſe Filium, & Spiritum Sanctum minorem filio, Catholicosque rebaptizandos eſſe. Huius libri, temporibus Auguſtini ac Hieronymi adhuc extiterunt, inter quos vnus fuit de Spiritu ſancto, Arrianæ doctrinæ conueniens. Plat. Beatus Auguſtinus multis hanc hæreſin ſcriptis oppugnauit, maximaq; ex parte Africa expulit. 331.

Quin & ex hoc Conſtantini ſtudium ad cultum Chriſti promouendum apparet, quòd tantis ſumptibus Chriſtianorum templa extrui fecit, ac tàm magnificè Eccleſiæ miniſtris ſtipendia è publico dari conſtituit: Cùm antea non ſolùm ædes ſacræ, verùm etiam ipſi Epiſcopi cum cæteris Eccleſiæ miniſtris & pauperibus, ex Eleemoſyna ac ſtipe collata ſuſtentarentur. Extruxit autem non in vna tantùm ciuitate, non in vna tantùm prouincia Templa magnifica, ſed per omnes ciuitates totius Romani Imperij, edictis ad ſingulas ciuitates miſsis, Epiſcopis atq; Præſidibus populorum mandans, vt opus ædificandorum templorum quàm celerrimè perficeretur. Hinc breui tempore in omnibus Imperij oppidis noua quaſi facies Religiõnis enituit. Vide 1. Trip. cap. 9. &c. 332.

Marcus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Niceni Concilij Symbolum, ne in deſuetudinem aut obliuionem veniret, ſtatim poſt lectum Euangelium, & à Clero & populo clara voce canendum ſtatuit. Quæ conſtitutio verum Epiſcopum magis honorat, ac ſi de veſtibus & alijs eiuſmodi nugis, quibus conſcientiæ plus onerantur, quàm ædificantur, conſtituat. 334.

Indis quoque his temporibus Lux Veritatis oritur, non multò abſimili modo, quo olim Ægyptijs per Ioſephum Iſraelis filium, veri Dei cognitio innotuit. Sic enim ſcribit Rufinus lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 9. Cui & Theodoretus lib. 1. cap. 23. conſonat. Tyrius quidam fuit Philoſophus Meropius nomine, is luſtrandæ terræ cauſa Indiam adijt, ſecum ducens duos pueros, fratris filios, quos in diſciplinam ſibi traditos habebat. Ædeſius iunior, Frumentius maior natu dicebatur. Luſtratis ergo quas animo conceperat terris, naui redire parat, ac cùm vel aquæ, vel cæterorum neceſſariorum cauſa ad portum quendam nauem appuliſſent, á Barbaris inuaduntur, cæditur Philoſophus cum nautis & alijs: duobus pueris ob ætatem, ac quam præ ſe ferebant faciei pulchritudinem parſum eſt. Capti tamen ad Regem eius loci adducti ſunt. Paruo tempore Rex cognita eorum indole, Ædeſium, à poculis, Frumentium verò, quia & ingenio ac arte illum ſuperabat, ab arcanis & rationibus eſſe fecit. Atque cùm in his fideles ſeſe maximè comprobaſſent, magno in honore apud Regem ac omnes prouinciales habiti ſunt. Rex moriens Vxorem

 cum

cum filio paruulo Regni hæredem reliquit, Adoleſcentibus autem liberam quæ vellent agendi facultatem conceſsit: Quos domum redire parantes, Regina multis precibus exoratos vt manerent retinuit, Frumentioque in cura Regni maximè vſa, donec puer adoleuit. Itaque cùm Frumentio Regni gubernacula concredita eſſent, Deo mentem eius & animos inſtigante, ſollicitus de Mercatoribus Chriſtianis requiſiuit, quibus honoratis poteſtatem dedit, per ſingula loca conuenticula faciendi, Chriſtianoq; ritu orationes & cætera pietatis officia celebrandi. Ipſe quoq; non minus in hoc ſedulus eſſe, cæteroſq; cohortari, fauore & beneficijs inuitare, ac quicquid oportunum fuiſſet præſtare, loca ædificijs aliaque neceſſaria præbere, & omnimodo geſtire, vt Chriſtianorum ſemen verusq; Dei cultus illic exurgeret. Sed cùm puer regius adoleuiſſet, cui procurationem Regni gerebant, expletis omnibus & ex fide traditis, multum licet retinentibus ac rogantibus, vt manerent, Regina cum filio, ad patriam tamen illi redeunt. Ædeſius Tyrum feſtinat, vbi poſtmodum presbyter factus manſit. Frumentius Alexandriam pergit, Athanaſioque qui tum ibi Epiſcopalem dignitatem obtinebat, rem omnem, vt ſeſe circa religionem Chriſti apud Indos haberet, ordine pandit. Vtque miſerorum hominum & ipſe miſertus quò ad plenam Chriſti agnitionem peruenire poſſent, Epiſcopum eis mittat, obnixè rogat. Quo audito, Athanaſius concilio ſacerdotum congregato, req; omni diligentius conſiderata, Frumentio dicit: Et quem alium inuenimus virum talem, in quo ſit Spiritus Dei, ſicuti in te eſt, qui hæc ita poſsit implere? Et tradito ei ſacerdotio, redire eum cum Domini gratia, vnde venerat, iubet. Qui in Indiam veniens, tanta miraculorum virtute claruit, vt infinitus Barbarorum numerus, paruo momento ad Chriſti fidem conuerſus fuerit. Hæc Rufinus ſe ex Ædeſio illius ſocio audiuiſſe teſtatur.

335. Iulius Papa nihil egregij pro re Romana fecit. Statuiſſe tamen fertur, Ne Sacerdos alibi, quàm apud iudicem Eccleſiaſticum cauſam diceret. Item, Notarios qui res Chriſtianorum Romæ conſcriberent, ordinaſſe dicitur, & à ſuſpecto Iudice ad Rom. ſedem appellare liberum feciſſe. Vnum tamen ei Papale factum aſcribunt Pontificij, nempè, valdè eum iratum fuiſſe, grauiterq; reprehendiſſe Orientales Epiſcopos Arrianos, quòd ſine ſua autoritate Concilium Antiochiæ indixerant. Quod quàm verùm ſit, ex conſtitutione ſexta Synodi Niceni comprobari poterit.

335. Iberorum gens, quæ ſub axe Pontico iacet, hoc quoq; tempore mirabiliter ad Chriſti fidem perducitur. Captiua quædam erat Chriſtiana: hæc cùm ſingulari cura Chriſtum coleret, obſecrationibusq; frequentius vacaret, omnium illius loci hominum animos in ſe conuertit, vt ſciſcitarentur, quid hoc ſibi cultu atque his obſecrationibus vellet. Illa Chriſtum Deum, ſe hoc modo colere confeſſa eſt. Sed plus non effecit, quàm vt Chriſti vocabulum illis innoteſceret. Succedente verò tempore Mulier quædam, ex gentis illius more, infantulum ægrotantem per ſingulas domos circumferebat, medicinam quærens, qua vbique negata, ad Captiuam illam ingreditur. Quæ vnicam ſe medicinam in Deo ſuo Chriſto habere dixit: pueroq; in lectulum ſuum inclinato, pro ſalute eius rogauit, qua ſine mora impetrata, matri eum reddidit. Hæc fama ad Reginam, quæ tum quoque grauiſsimo tenebatur morbo, delata, ipſa ſe ad Captiuam perferri fecit, ſimilique modo ſanitate recepta, regi omnique populo autor fuit, recipiendæ Chriſti religionis. Ad Conſtantinum inde miſſum eſt pro ſacerdotibus, qui populum inſtituerent, quibus acceptis, &

in hac orbis parte lux Veritatis orta, magna cum claritate effulſit. Ruf. 10. cap. 10. Theodoret. lib. 1. cap. 23. *Anni Chriſti.*

Tiridates Armeniorum rex, mirabili ſigno Dei, quod circa domum ſuam euenerit, ad Chriſti fidem quoq; his temporibus conuerſus eſt, cum omni ſua ditione. 335. Sed de perſequutione illa, quam in Perſide Chriſtianis accidiſſe in Chronol. 336. memorauimus, ſub Perſarum Titulo eodem loco ſatis dictum eſt. Si quis integram hiſtoriam legere velit, inueniet eam Hiſt. Trip. lib. 3. cap. 2

De Concilio Conſtantinopoli conuocato, atq; de Arrij morte, pauca hæc ex 341. Rufino aſſcribam: Quó pij videant, quàm vana ſint impiorum aduerſus pietatis cultores conſilia, etiamſi magno comitati fuerint exercitu, Imperarorumq; animati fauore, ſicuti Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus erat. Nam autoritate eius, qua apud Conſtantinum plurimùm pollebat, ob Arrij reſtitutionem Conſtantinopoli Synodus conuocatur: Quo maximè illi conuenêre, qui Arrium atq; Euſebium ſectabantur. Qui cúm ſæpè cum Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo congreſſi, vt Arrium reciperet, nec tamen aliquid impetrarent, ad vltimum certam ei diem ſtatuentes denunciant, vt aut ipſe Arrium ſuſciperet, aut ſi reniteretur, ſe Eccleſia pulſo, & in exilium truſo, ab alio eum ſuſcipiendum ſciret. Tum ille nocte, conſtitutam diem præcedente, ſub Altari iacens, atq; in oratione & lachrymis totam peruigilem ducere, Eccleſiæ cauſam Domino commendabat. Cumq; lux fuiſſet exorta, nec tamen ab oratione Alexander ceſſaret, Euſebius cum ſuis omnibus, veluti hæredici belli ſignifer, domum Arrij matutinus aſcendit, eumq; properè ſequi ad Eccleſiam iubet, proteſtatus, quód Alexander, niſi præſens acquieſceret, expulſus cederet loco Tanta huius Euſebij erat autoritas, vt dixi, apud Conſtantinum Imp. vt talia præſumere auderet in Patriarcham, nondum erroris conuictum. Erat igitur omnium ſumma expectatio, quó vel Alexandri perſeuerantia, vel Euſebij Arrijque inſtantia declinaret. Cumq; cunctorum animi eſſent, vt fit in tali re, expectatione ſuſpenſi, Arrius ad Eccleſiam pergens, Epiſcoporum & populorum frequentia conſtipatus, humanæ neceſſitatis cauſa ad publicum locum declinat. Vbi cùm ſederet, inteſtina eius atque omnia viſcera in ſeceſſus cuniculum defluxêre: ita tali loco dignam mortem blaſphema ac fœtida mente exoluit. Quod poſteaquàm in Eccleſia nunciatum eſt Euſebio, atque his qui vnà ſanctum & innocentem virum Alexandrum, de Arrio recipiendo fatigabant, ſuperati pudore, & adoperti confuſione diſcedunt. Atq; hoc modo Concilium iſtud cum Arrij morte, ſuorum confuſione finitum eſt. Hiſt. Eccleſ. lib. 10. cap. 12. & 13. Facta ſunt hæc anno Chriſti 342.

Res digna quoq; eſſet, quam longius hoc loco referrem, quomodo pius A- 343. thanaſius apud Imperatorem Conſtantium magiæ accuſatus, atq; in Tyri Concilio, quod ob eundem conuocatum erat, falſis criminationibus fruſtra impetitus, ac innocens tandem, ſola iudicum, qui & accuſatores erant, malicia ſit condemnatus, Orienteq; fugatus. Sed quia nimis hæc longa forent, paucis id negocium abſoluam, quod Rufinus hiſt. Eccleſ. lib 10. cap. 15. & ſequentibus copioſius tradidit. Crimina obiecta Athanaſio duo erant præcipuè Primùm, Mulier, quædam impudica, mercede ad id conducta, accuſabat eum illatiuitij corruptæq; pudicitiæ: hæc ſemetipſam falſam prodidit. Nã ingreſſus Athanaſius cum Timotheo presbytero, illa presbyterũ eum eſſe dixit, qui vim ipſi intuliſſet, cùm Athanaſium, quia ſuperiore loco ex compoſito iret, eum eſſe putaret, ignorans virũ, aut faciem eius. Alterum

Anni Christi.

erat, brachium hominis abſciſſum, hoc Arſenij fuiſſe dicebant, qui lector Athanaſij erat, atq; ob delictum quoddam clàm fugiens deliteſcebat. Athanaſium hoc ipſi abſcidiſſe ad Magiæ vſum accuſant. Arſenius hæc audiens, latebris exiens, ad Tyrum properabat, introductuſq; ab Athanaſio in concilij medium, duas habens manus ſiſtitur. Confuſi accuſatores eius, ad clamorem verſi ſunt, Magum Athanaſium eſſe, condemnatumq; ex Oriente fugere coëgerunt. Hinc per ſex annos variè afflictus, in latebris tandem, dum per totum Orientis Imperium, magna ſedulitate exercitibus quoque ad inueſtigandum eum conductis quæreretur, delituit (Tantæ molis erat Chriſti confodere ſeruum, vt omnis Imperij vis, aduerſus vnum hominem, qui Deum habebat defenſorem, commoueretur) Proditus tandem per ancillam, quæ ei miniſtrabat, ex Dominorum ſuorum iuſſu, qui latebras Athanaſio præparauerant, diuino admonitus Spiritu, ea nocte, qua eum compræhendere veniebant miniſtri, aufugit. Tandemque ad Conſtantem in Italiam peruenit, qui humaniter eum excipit, innocentiaq; eius cognita, minitabundus peiora fratri, niſi Athanaſium ſedi ſuæ reſtitueret, eum commendauit. Conſtantius fratris potentiam veritus, Athanaſium ad ſe vocatum, poſt paucas deliberationes, Alexandrinæ Eccleſiæ eum reſtituit. Vbi cum pace mediocri manſit, vſq; ad mortem Conſtantis. Quo ſublato, iterùm ab Arrianis expulſus, atq; apud Treuiros, antiquiſsimam Germaniæ Vrbem deliteſcere coactus eſt. Hæc in Chronologia, aliorũ ſententiam ſecutus, paulò aliter dixi. Sed poſtea diligentius obſeruans hiſtorias, in hunc modum, vt dictum eſt, ſe res habuiſſe Athanaſij, certior factus ſum.

343. Quidam hiſtoriographi hoc anno Hiſpanias à Gothis Athanarico duce occupatas eſſe, & quadraginta tribus annis poſſeſſas tradidère, Quod falſum eſſe hoc ſolum conuincit, quòd Athanaricus circa Thraciam & Pannoniam ſedem ſuam habuit, neque ab eius ſeculi ſcriptoribus, quicquam de occupata ab eo Hiſpania dicatur. Denique quæ occaſio, quæ facultas erat Gothis Danubij ripas deſerere, Romanumque orbem per Pannonias, per Alpes, per Gallias denique perrumpere, ac in Hiſpanias penetrare? cùm Conſtantius & Conſtans, toto imperio tranquilliſsimè potirentur, ac tantum Conſtanti virium eſſet, vt gentem bellicoſiſsimam Germaniæ, Francos ſcilicet, vltrò ad bellum ſollicitare &c. Quare ne illorum ſententia ſeducaris, huius te erroris hîc admonendum cenſui lector.

344. Concilium quod hoc anno Antiochiæ congregatum fuit, Euſebius quoque Nicomedienſis, qui tum Conſtantinopoli Epiſcopum agebat, procurauit, in quo ex diuerſis ciuitatibus nonaginta Epiſcopi conuenerunt. Maximus tamen Hieroſolymitanus Epiſcopus ei intereſſe noluit, cogitans quòd ipſi poſſet ſubripi (vt Socratres ait) vt in damnationem ſubſcriberet Athanaſij. Sed neque Iulius Romanus Epiſcopus interfuit, neque quenquam ſuo loco miſit. Præſens tamen Conſtantius Imperator fuit. Aliud nil concluſum, præter quod Athanaſius abſens denuò accuſatus ac condemnatus eſt. Confeſsio quoque breuis in ſymboli formam edita, quæ per omnia Nicenæ fidei conſonare videtur, ea tamen arte confecta, vt Arrij ſententiam per omnia defendat, quam inuenies in hiſtoria Trip. lib. 4. cap. 10. Athanaſio Gregorius quidam ſuffectus eſt, quem Syrianus magiſter militiæ V. M. militum aſſumptis, ſedi Alexandrinæ obtruſit. Euſebius Nicomedienſis multorum malorum autor, ſtatim finito hoc concilio, mortem æternam ex hac vita abreptus deguſtauit.

Vari

Variæ ex Arrij falſo dogmate hæreſes enatæ ſunt, inter quas vel maximi no- *Anni*
minis fuit illa, quæ à Macedonio Connſtantinopolis Epiſcopo, ſuam originem ac *Chriſti.*
nomen traxit. Is enim cùm malis artibus vi ac cæde (vltra III. M. hominum 345.
enim occiſa ſunt, cùm in Eccleſiam, pulſo Paulo anteceſſore ſuo pio, introducere-
tur) ſedem illam occupaſſet, palàm docere cœpit. Similem quidem filium per o-
mnia Patri: ſanctum verò Spiritum cum Patre & Filio nihil habere commune.
Taliaque docentem (quia hypocriticam gereret vitam) & Monaſteria permulta
apud Conſtantinopolim, ac vicinas prouincias, Epiſcopi nobiles magno applau-
ſu ſunt ſecuti.

Concilium Sardicenſe in Illyrico congregatum, Conſtantis Imperatoris Fra- 351.
trem ad hoc hortantis negocium fuit. Quod anno vno cum dimidio ante indi-
ctum, quàm inceptum eſt. Conuenerunt illic Epiſcopi quaſi trecenti, qui cum
Nicena Synodo conſentirent. Ex Arrianis autem cõgregati ſunt ſex & ſeptuaginta.
Qui tamen in Concilium venire noluêre, niſi ij, qui cum Athanaſio ſentirent, è con-
ſeſſu amouerentur. Quod cùm illi recuſarent, ipſi Sardica relicta in Philippopo-
lim Thraciæ ſeceſſerunt, factaq; concluſione, Nicenæ Synodi decretum de Con-
ſubſtantialitate damnauerunt. Contra verò qui in Sardica conuenerant, primùm
horum damnauerunt veſaniam, deinde Athanaſij accuſatores dignitate priua-
uerunt. Et terminum fidei Nicenæ corroborantes, & tractatum de diuinæ ſub-
ſtantiæ inæquilitate reſpuentes, Conſubſtantialitatẽ apertius tradiderunt. Scriptiſ-
que hæc commiſſa ad omnes Eccleſias tranſmiſerunt. Eorum ſcriptorum typus
habetur hiſt. Trip. lib. 4. cap. 24. Quin & hoc notandum eſt, Quòd Maximo Hie-
roſolymæ Epiſcopo hoc ipſo anno vita functo, Arriani in Eccleſia Hieroſolymi-
tana ſucceſſere.

Photinus quidam presbyter hoc tempore Samoſateni dogma renouans, do-
cebat, Deum quidam omnipotentem vnum eſſe, qui proprio verbo condidit 355.
vniuerſa. Ante ſecula verò natiuitatem & exiſtentiam filij dicere refugiebat, ſed ex
Maria natum docebat Chriſtum. Hic procul dubio ratione ductus, putauit Ver-
bum Dei per quod creata ſunt omnia, tranſitorium fuiſſe Verbum, vt ſunt vo-
ces hominum tranſitoriæ & euaneſcentes. Hinc occaſionem ſumpſit ſui dely-
rij. Inualuit tamen hæc inſania, vt ad extinguendum eam, Concilium Sirmij (Il-
lyrica vrbs fuit perantiqua) conuocaretur, in quo complurimi tam Orientis, quàm
Occidentis Epiſcopi conuenerunt. Inter quos & ſanctitate morum, & vitæ lon-
gæuitate, doctrina ac confeſſione huius ſeculi omnium hominum celeberrimus, v-
nus erat Oſius ille Cordubæ Epiſcopus, cuius quoque præſentia & Sardicenſe Con-
cilium, cui præfuiſſe perhibetur, cohoneſtatum erat. Hi conuenientes Photinum
eiuſq; dogma primùm damnarunt, cùm publica diſputatione, ad quam ipſe à
concilij ſententia prouocauerat, à Sabyno Amyræ Epiſcopo, in præſentia Impe-
ratoris Conſtantij victus eſſet. Deinde fidei confeſſionem duplicem ediderunt,
in quarum priori Symboli Niceni ſententiam ſatis dilucidè confirmant. In altera
verò vocabulorum illorum ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον vſum tollere niſi ſunt, Hanc ratio-
nem prætexentes, Quia vocabula hæc in Scripturis non haberentur. Vnde humanũ
quiddã bonos Patres paſſos eſſe liquidè conſtat, vt ratione humana ducti, quò pax
Eccleſiæ redderetur, hanc vocem ſummè neceſſariam conſubſtantialitatis auferre
conarentur. Scribit tamen Socrates Trip. lib 5. cap. 8. Eos pœnituiſſe huius confeſſio-
nis publicatæ, ac diligenter quæſiuiſſe, qua eam ratione, aut omninò delere poſſent,
aut

Anni Christi.

aut ſi minus, occultare tamen. Sed Imperatoris edicto publicatam: Oſium verò
vi coactum, vt concilij eius traditionibus ſubſcriberet. Canones præterea vltra vi
ginti, fidei rationem explicantes, editi ſunt in hoc concilio, quos breuitatis cauſ
aſſcribere nolui. Extant autem in Hiſto. Trip. lib. 5. cap. 7.

358. Aëtius Antiochiæ, ſub alio nomine, Arrij dogmata renouauit: eadem enim
cum Arrianis ſenſit, eorum tamen communione ſe ſubtraxit, quó facilius menda
cio faceret fidem. Sophiſticen amauit, quam ex Ariſtotelis categorijs, vt multi
euenit, malè intellectis didicerat. Notarium habuit Eunomium, qui eandem ma
giſtri ſui doctrinam ſecutus, Eunomianæ hæreſi nomen fecit.

Iudæi in Diocæſarea habitantes, quò extremum ſibi quoque excidium ac
cerſerent, arreptis armis Romanis rebellarunt: cùmq; vicina circa vrbem loca præ
dando diriperent, á Gallo Cæſare victi in vrbem fugati, capti atq; cum ipſa vrb
deleti ſunt. Scribit Hieronymus, non tantùm Diocæſareos Iudæos, ſed etiam i
los qui apud Tiberiadem ac Dioſpolim, & in alijs oppidis quàm plurimis habita
runt, ſimili fato, quo Diocæſareenſes, ad unum interijſſe. Quorum multa millı
fuerunt. Quin & innoxiæ ætati parſum non fuit, ſed indifferenter Viri, fœmina
pueri, infantes omnes cæſi, vrbesq; & oppida incenſa.

362. Eudoxius olim Germaniciæ (vrbs Ciciliæ eſt) Præſul, poſt mortem Leon
Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopi, ſedem illam inuaſit, palamq; Arrianam blaſphem
am, oppreſsis orthodoxis, in Eccleſiam reduxit. Abſente quoq; Conſtantio In
peratore, atq; in occidentis partibus bella procurante, ipſe Eudoxius clàm agit
pud potentes Palatij, vt in Nicea Synodus Epiſcoporum congregaretur: Sperat
fore, vt congregati Arriani, eam quæ antea in eadem vrbe edita erat confeſsio, h
conuentu vnanimi conſenſu damnarent, Arrijq; dogma firmarent. Vt deince
ſucceſſu temporis ſub nomine Nicenæ fidei priore concluſione erepta, poſterior ha
in precio eſſet. Sed Deus, qui Eccleſiæ ſuæ curam gerit, hoc malum citó auert
Congregatis enim Epiſcopis, ac ad tractandum de propoſito paratis, Terræm
tus tantus totam vndiq; concuſsit vrbem Niceam, vt magna pars ædificiorum r
ret, multoſq; mortales in ea commorantes opprimeret. Quo infortunio vrbis, a
uenæ perterriti, quiſque ad ſua receſſerunt.

363. Imperator concordiæ ſtudens, duo concilia vno tempore conuocari iuſ
pro Occidentalibus vnum in Arimino, alterum in Seleucia Iſauriæ pro Orienta
bus, Vtrinq; in partes diuiſi ſunt Patres, parte, prò Arrij dogmate, parte verò p
conſubſtantialitatis nomine depugnante. In Arimino quidem omnes ferè Oc
dentis Epiſcopi Nicenæ fidei ſubſcripſerunt. Orientis veró qui illuc conuenera
novam fidei formã propoſuerêre, in qua Conſubſtantialitatem Chriſti cum Pa
negabant: ſuadere quoq;, vt hoc vocabulum, cúm in ſcripturis non ſit, aboleret
Quia veró contradicebant Occidentales, ipſi diſcendentes in Niceam Thraciæ
bem, fidem illam à ſe conpoſitam publicaverunt, ſub Niceni Symboli, á patrib
olim conſcripti, nomine, hoc vendicantes. Sed aperto eorum mendacio deri
omnibus fuêre. Concluſerunt tandem Orthodoxi in Arimino remanentes, vt cu
Arrianis vltrà de religione nil concertaretur, ſed tanquam abiecti, ac per ſuam co
ſcientiam condemnati, ſuo more agere dimitterentur.

In Seleucia eodem modo in partes diuiſi ſunt. Accacius Cæſarienſis Epiſc
pus, multis ſibi alijs adiunctis, nouam fidei formulam proponebat, in qua Simil
filium apud patrem eſſe dicebat. De hoc cùm altera pars, quæ rectius ſentieb

Acc

Accacium interrogaſſet, Secundum quid Filius ſimilis eſſet Patri? reſpondit, ſecun- *Anni*
dum voluntatem tantummodò, non ſecundum ſubſtantiam. Quare cùm omnibus *Chriſti.*
ſibi adhærentibus, ab hac parte, quæ filium ſecundum ſubſtantiam ſimilem patri profitebatur, anathematizatus eſt. Hæc cùm ab vtroq; Concilio Imperatori renunciata eſſent, victus quaſi, præſertim Occidentalium autoritate, reliquos Epiſcopos omnes Ariminenſis concilij fidei concordare iubet. Quia verò ſubſtantiæ nomen
in Ariminenſi confeſsione erat omiſſum, Accacius cum ſuis ſtatim hoc arripuit, con- 364.
uocatis quoq; multis ex Bithynia alijſq; locis Epiſcopis Conſtantinopolim, nouam ſub Synodi nomine concluſionem fecit, Ne ſcilicet ex eo, vel ſubſtantia vel eſſentia nominaretur in Deo. Hinc ſeueritas in Epiſcopos & alios Eccleſiæ miniſtros agi cœptum. Ac quò minus hæretici viderentur, Macedonium quoq;, qui Spiritum ſanctum Deum negabat, condemnarunt. Quibus omnibus copioſius tractatur, hiſt. Trip. lib. 5. per totum ferè.

Antiochiæ, in præſentia Imperatoris, nouum ab Accacianis concilium con-
gregatur, in quo ſeſe totos aperuerunt, quid de filio Dei ſentirent. Manifeſtè enim 365.
concluſerunt, eum per omnia diſsimilem patri, non ſolùm ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum voluntatem, eſſeq; ex non exiſtentibus, ſicuti docuerat Arrius. His quoq; Aëtius cum ſuis ſequacibus adhærebat. Sed cùm ſcripto quodam blaſphemia hæc ad Imperatorem delata eſſet, reliqui omnes negauerunt ſe eſſe eius rei conſortes, culpa in Aëtio reiecta qui ſuam hanc ſententiam eſſe affirmans, in exilium mittitur. Cæteris, ni reſipiſcerent, ſimilia interminatus eſt Imperator.

Poſt hunc Aëtium Eunomius ſurrexit, qui Arianam hæreſin ſupra modum auxit. Is ab Eudoxio, qui tùm Conſtantinopolitanam ſedem Tyrannicè poſsidebat, Cyzici Epiſcopus ordinatus erat, eiecto, pio doctore Eleuſio. Ibi cùm virus ſuum ſpargere cœpiſſet, ab Orthodoxis coram Imperatore accuſatus, Epiſcopatu pulſus eſt. Hinc abſciſſus ab Eccleſia, propriam ſectam conſtituit, cui Epiſcopos Presbyteros &c. ordinauit. Hæc ab autore Eunomiana ſecta dicta eſt.

Appollinares apud Laodiceam Syriæ duo fuerunt, Pater profeſsione Grammaticus officij dignitate presbyter: Filius eius profeſsione Rhetor, officio Lector. Hi cùm frequentes eſſent cum Epiphanio Sophiſta ethnico, ſæpius admoniti, vt conſortium eius vitarent, ab Epiſcopo pio, eius monita ſpernentes, communione priuati ſunt. Hinc quaſi iniuria affectus iunior Apollinaris, Rhetorica arte tumens, nouam vindicandi libidine excitauit hæreſim, Trinitatis quidem ſubſtantialitatem affirmans, humanam autem naturam in Chriſto integram negabat. Aſſerebat enim, filium quidem corpus aſſumpſiſſe humanum, animam verò minimè: ſed ipſam diuitatem filij, loco animæ fuiſſe. Deinde quaſi pœnitentia ductus corrigens ſemetipſum adiecit: Animam quidem aſſumptam, quæ tamen non haberet mentem, ſed Deum Verbum eſſe pro mente in homine aſſumptum. Huius ſectaces ab Autore Apollinanariſtæ dicti ſunt.

Iulianum, quem ob defectum á fide, Apoſtatam dixerunt, noua arte Chri-
ſtianum nomen extinguere aggreſſus eſt. Nam cùm anteceſſores ſui Tyranni, 366.
omnes ferè vi ac cæde Chriſtianos conficere fruſtra eſſent moliti, ipſe contraria via ſibi eundum eſſe cenſuit: non enim vi neque tormentis, ſed præmijs, honoribus, blanditijs, perſuaſionibus, maiorem penè populi partem, quàm ſi atrociter pulſaſſet, eliſit. Studia literarum Chriſtianis prohibens, ludos literarum illis ſolis, qui

Deos

ANNI Christi.

Deos Deaſque venerarentur, patere decernit. Militiæ cingulum non dari, niſi im
molantibus, iubet. Procurationem prouinciarum iuriſque dicendi Chriſtianis non
committi præcepit, vtpote quibus etiam lex propria gladio vti vetuiſſet. In vni-
cum Athanaſium ſeuerius agere ſtatuit. Nam cùm Aruſpices cæteriq; Magi con-
queſti eſſent Iuliano, ſe viuo Athanaſio nihil proficere, confeſtim cum exercitu
Comitem quendam in Ægyptum miſit, qui eum compræhenſum occideret. Ac
cùm turba multa ipſum Athanaſium circumſtaret, vicem eius deflens, dixiſſe per
hibetur: Nolite ô Filij conturbari, quia nubecula eſt, & citò tranſibit. Naui tame
cedere furori placuit: cumq; per Nilum fluuium iter ageret, Comes ad capien
dum eum miſſus, cognito eius itinere, inſtanter eum inſequebatur, & cùm fort
applicuiſſet Athanaſij nauicula ad quendam locum, comperit à prætereuntibus, i
propinquo eſſe ceruicibusq; imminere percuſſorem. Cõterriti hoc nuncio omne
qui ſimul aderant, eremum ſuadebant ad fugæ præſidium petendam. Tum ille
Nolite, inquit, ô filioli deterreri: eamus magis in occurſum percuſſori, noſtro, v
ſciat, QVIA LONGE MAIOR EST, QVI NOS DEFENDIT, quà
qui perſequitur. Et conuerſa nauicula obuiam perſecutori iter agebat. Qui nu
quam ſibi in occurſum venire, quem quærebat, ſuſpicari poterat, prætereuntes e
interrogat de Athanaſio, vbi eum agere audiſſent. Cumq; reſpondiſſent, eu
non longè à tergo relictum, tota celeritate properat, vt, quem ante oculos ſitu
non viderat, alibi caperet. Athanaſius Diuino auxilio fretus, Alexandriam redien
vbi tutò latere poterat, ad perſequutionis finem in abſcondito manſit. Hiſt. Eccl
lib. 10. capite 34.

Iudæos quoque contra Chriſtum inſtigauit Iuliani perfidia. Interrogat
367. enim quare non ſacrificarent, cùm lex eorum ſacrificandi ritum eis imponeret: a
diuit eis non licere niſi in Templo Hieroſolymitano ſacrificia offerre. Hinc, vt triſt
tia quadam Chriſtianos afficeret, occaſionem nactus, ædificare Iudæis Templu
permiſit, ſumptuſq; ſuo ex ærario ſufficientes ad perficiendum opus dari iuſsit. A
tùm omnis ad extruendum Templum materia congeſta, ſequentique die fund
mentum ponendum eſſet: Tantus de improuiſo Terræ motus locum concuſsi
vt materiam omnem, calcem, ligna, lapides, vnà cum ædificijs in quibus Iudæi æ
ficatores habitabant, diſiecerit, ſoloque æquatas ædes oppreſsis Iudæis reliquer
Ac cùm lux orta eſſet, & reliqui, qui ex ſtrage ſupererant Iudæi, opus denuò agg
di tentarent, globi igniti ex ipſius Templi fundamento diuinitus emiſsi, plate
hinc inde diſcurrentes, omnes quos obuiam habuêre Iudæos adurendo exanim
runt. Atque in hunc modum temeritas Iudæorum punita, Verbique Dei verit
cœlitus comprobata eſt. Hæc Rufinus longius proſequitur, ſed hæc earum reru
ſumma eſt: Cui & Gentilis quidam ſcriptor Ammianus conſonat, qui à princip
viceſimi terti libri, eandem hiſtoriam hiſce verbis ſcriptam reliquit. Iulianus i
perij ſui memoriam magnitudine operum geſtiens pro pagare, ambitioſum quo
dam apud Hieroſolymam Templum (quod poſt multa & interneciua certam
na, obſidente Veſpaſiano, poſtea & Tito, ægrè eſt expugnatum) inſtaurare ſu
ptibus cogitabat immodicis, negociumq; maturandum Alipio dederat Antioc
enſi, qui olim Britannias curauerat pro præfectis. Cùm itaq; rei idem fortiter in
ret Alipius, iuuaretq; prouinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fun
menta crebris aſſultibus erumpentes, fecère locum exuſtis aliquoties operanti
inaceſſum, hocq; modo, elemento deſtinatius repellente, ceſſauit inceptum. H
Ammianus.

Du

Dum hæc fiunt, Imperator bello Perſico intentus erat, interea apud Alexan-driam multi conuenêre Epiſcopi, qui cùm Athanaſio concilium celebrantes, de maximis, quæ nunc agitabantur, quæſtionibus habuêre tractatum, vbi de Sancti Spiritus diuinitate (quam tàm Arrius quàm Macedonius in dubium vocauerat) conſuluerunt, eumque in conſubſtantiali trinitate compræhenderunt. Et Verbum incarnatum, non ſolùm carnem, ſed animam quoque ſuſcepiſſe declarauerunt, contra Apollinarem, ſicuti olim viris Eccleſiaſticis complacuerat. Non enim nouam Religionem in Eccleſiam introduxerunt, ſed quam ab initio Eccleſiaſtica traditio docuit Chriſtianos. Atque hanc ſententiam ex Patrum ſcriptis comprobarunt. Quorum autoritate Niceni concilij decreta roborauerunt, & conſubſtantialem Patri ac Filio Spiritum ſanctum ſunt profeſsi, Trinitatémque nominauerunt. Atque hoc tempore, Symbolum quod Athanaſij nomine in Eccleſia decantatur, digneq; obſeruatur, editum eſſe crediderim. Quamuis in hiſtorijs, quod ego memini, nulla eius fiat mentio. *ANNI Chriſti.* 392.

Cæterùm ne Romanam ſedem honore ſuo defraudemus, breuiter hæc de Liberio pontifice referenda ſunt, quod alij longius ſcriptum tradiderunt. Conſtante orthodoxorum fautore & defenſore, Maxentij fraude ſublato, Arriani vndiq; pijs inſidiabantur Epiſcopis, ac poſtquàm concilium Arimini conuocatū eſſet, egerunt, vt Liberius ad Imperatorem accerſeretur. Is enim in Mediolanenſi concilio, quod Conſtantij iuſſu, poſt victum Maxentium, ibi congregatum erat, vbi CCC. ferè Epiſcopi conuenerant, Arrianorum conatibus, qui decreto Athanaſium damnare petierant, maximè reſtiterat, adiuuantibus eum Paulino Treuerenſi, Dionyſio Albano, Euſebioque Vercellenſi Epiſcopis. Quorum etiam autoritate cæteri omnes perterriti, ſine effectu Concilium illud diſſoluerant. Quod poſtea, vt ſuprà diximus, Ariminum & Seleuciam translatum eſt. Vocatus igitur Liberius ab Imperatore, vt Orientalibus ſubſcriberet ſollicitatur. Ille fortiter abnuens, veritatem ingenuè fatebatur, ita vt Imperatorem, qui contemni ſe ab eo putabat, ad iracundiam prouocaret. Dato deliberandi ſpacio, cùm adhuc in propoſito perſeueraret, in Beræam Thraciæ in exilium miſſus eſt, Vbi cùm tribus annis ferè permanſiſſet, Imperator Romam veniens, ab honeſtis nobilibusq; matronis exoratus, Liberium reuocauit. Qui tædio exilij fractus, & Imperatoris beneficio illectus, Arrianis ſubſcribit, expulsoq; Felice, qui abſente Liberio pontificatum geſſerat, ceu victor Romam reducitur, & in pontificatum reſtituitur. Hinc in omnibus cum Arrianis ſenſit, præterquàm quòd hæreticos ad fidem redeuntes rebaptizandos eſſe negauerit, in quo ſolo cum Catholicis ſenſit. Plat. Hiſt. Trip. Interea Iulianus in Orientis partibus agens, dignam factis ſuis mercedem percepit. Cùm enim ſuperatis hoſtibus, incompoſito agmine Victor rediret, apud Cheteſiphontem confoſſus perijt. A ſuis an ab hoſtibus id factum ſit, incertum eſt: quanquam ſunt qui ſcribant, ſagitta ex incerto miſſa transfixum fuiſſe, eundemque exclamaſſe, manu ad cœlum extenſa: Viciſti Galilæe, viciſti. Nam Chriſtum per ignominiam Galilæum appellabat, & fabri filium: Vnde illud adoleſcentis dictum in Libanium Sophiſtam, interrogantem, quid ageret fabri filius? Iuliano, inquit, locellum componit: nam paulò pòſt cadauer eius locello aduectum eſt. Sic Chriſtus de hoc quoq; Tyranno ſanctos ſuos affligente vindictam ſumens, aliqua ex parte populo ſuo quietem reddidit, Templaq; Chriſtianorum, quæ Iulianus clauſerat, redaperiri fecit, De quo ſequentis libri initium ſumemus. 395.

Anni Christi.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ SVCCESSVS, ARRIAnorum motus, furor ac cædes, quibus Orthodoxos perſecuti ſunt, Pontificum, præcipuè Romanorum, vitæ, acta & conſtitutiones, nec non & ciuiles quidam motus, Bella, Victoriæ, regnique occidentis mutatio, & ſi qua præterea memoria ſciţuq; digna ab imperio Iouiani, vſque ad Iuſtiniani Rom. Imp. tempora, euenerunt, hoc Septimo libro compendio traduntur.

368. IVliano, qui de fide Chriſti ad Paganiſmum delapſus, arteq; magis quàm ſæuitiā Rem Chriſtianam tollere ſtudebat, è medio, vt dictum eſt, ſublato, Milites Romanorum in terra hoſtili exiſtentes, Iouinianum qui tum χιλίαρχος erat (id eſt, in Mille imperium habens) ad imperandum prouocauerunt. Is veræ pietatis amans non prius profiteri Imperatoris nomen voluit, niſi omnes milites conclamaſſent, ſe Chriſtianos eſſe. Dixiſſe namque fertur: Quomodo ego Paganis imperem, qui Chriſtianus ſum? Ad quam vocem cùm vniuerſus exercitus conclamaſſet, ſe Chriſtianos eſſe, Imperium accepit, Quo non diu, ſed feliciſsimè ad gloriam Dei, pacemq; publicam promouendam vſus eſt. In principio enim Imperij ſui, omnes orthodoxos cum Nicena fide conſentientes Epiſcopos, qui Conſtantij temporibus pulſi erant, ad ſedes ſuas edicto reuocauit, Paganorum templa recluſit, ademptis eorum ſacrificulis prouentibus. Athanaſium miro fauore complexus eſt, à quo ſolidam in fide inſtructionem petijt, qui collectis Ægypti, Lybiæ, Thebaidos Epiſcopis, eum in Nicena fide, quam cum ſacris literis ad amuſsim conuenire demonſtrauit, corroborauit. Vocatus tandem ad Imperatorem Antiochiam, plenius eum de omnibus informauit. Hoc Imperatoris ſtudium, ad conſeruandam puram & veram de Ieſu Chriſto doctrinam, videntes Arriani, qui cum Accacio Cæſareæ Epiſcopo conſpirantes, Arrianum dogma eouſque defenderant, æmulatione quadam Antiochiæ conuenerunt, Nicenæq; Synodo ſubſcribentes, confeſſionem eius rei Iouiano exhibuerunt. Atq; in hunc modum pax Eccleſiæ reſtitui potuiſſet, ni Deo aliter viſum eſſet. Octauo enim Imperij ſui menſe Imperator decedens, Arrianis ad reſpirandum locum tempuſq; conceſsit, Qui quo magis humiliati erant, eò ſeſe ferocius ex eo tempore extulerunt, donec tempus eis à Domino præſcriptum compleretur. Valens enim à fratre Valentiniano pio principe conſors Imperij factus, in Arriani delyrium lapſus, miſeris modis verè Chriſtianos afflixit, de quo pauló pòſt dicemus.

369. Poſt mortem Liberij Rom. Pontificis, magna de eligendo Epiſcopo ſeditio orta eſt. Nam ab vna parte eligebatur Damaſus, ab alia Diaconus quidam Vrſicinus nomine: cumq; minus inter ſe concordarent, res à ſuffragijs ad arma venit, vbi multi vtrinq; in ipſo templo ceciderunt. Damaſi verò pars victrix euaſit, qui Romanorum Epiſcopus inunctus eſt: Vrſicinus, quó & ipſe quieſceret, ad Epiſcopatum Neapolitanum obeundum miſſus eſt. Damaſus adulterij accuſatus, poſtquàm pontificatum inijſſet, publico concilio cauſam dixit, Vbi & innocens abſolu-

ſoluitur,& Concordius atque CaliſtusDiaconi falſi accuſatores damnati ac reiecti ab Eccleſia ſunt:Cautũq; lege eſt,vt deinceps pœnam talionis ſubeant,qui aliquem falſó accuſauerint. Hic Damaſus præcedentium ſe Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ vitas & ſtatuta conſcripſit: Vtque ſacerdotes ante Miſſam confeſsionem dicerent, edixit. Biblijs ab Hieronymo in latinum verſis primus autoritatem dedit,vt in Eccleſia legerentur.

Non alienum à noſtro propoſito erit, ſi & ea referam, quæ Mediolani hoc anno euenerunt, cùm defuncto Epiſcopo alius ſufficiendus eſſet. Poteſt enim ex 370.
eo & diuinæ Maieſtatis prouidentia, & Imperatoris Valentiniani ſincerus pietatis amor depræhendi. Scribit enim Theodoretus libro 4.capitibus 5.6.7. talem hiſtoriam, cuius verba in hiſtoria Trip. lib. 7. cap. 8. in hunc modum referuntur. Auxentio defuncto, qui Mediolanenſem præſulatum tenuerat, multisque fuerat concilijs abdicatus(Arrianus namq; extiterat) euocans Epiſcopos Imperator, hæc verba ad eos loquutus eſt: Noſtis apertè, eruditi vtique diuinis eloquijs, qualem oporteat eſſe Pontificem, & non deceat eum verbo ſolùm, ſed etiam vita gubernare ſubiectos, & toties ſemetipſum imitatorem virtutis oſtendere, teſtemque doctrinæ conſeruationem bonam habere. Talem itaque in pontificali conſtituto ſede, ei & nos qui gubernamus Imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus neceſſariò, veluti curantis medicamenta ſuſcipiamus. Hæc cùm dixiſſet Imperator, petijt Synodus,vt magis ipſe decerneret Epiſcopum, cúm ipſe ſapiens & pius exiſteret. At ille, ſupra nos eſt, inquit, talis electio. Vos enim gratia diuina potiti, & illo ſplendore fulgentes,melius poteritis eligere. Tunc Sacerdotes egreſsi, de Epiſcopali ſede tractabant. Verùm ciuitatis habitatores(vt fieri aſſolet)tumultus faciebant,alij hunc alij illum ordinare petentes. Arriani enim ſimilem Sectæ ſuæ volebant: Orthodoxi orthodoxum. Hanc ſeditionem Ambroſius, cui tunc præſidialis cura fuerat commiſſa, vbi cognouiſſet, metuens ne quid turbæ conſurgeret, ad Eccleſiam feſtinus acceſsit. At illi ceſſante ſeditione, communem dederunt vocem, petentes, vt Paſtor gregis ordinaretur Ambroſius, qui nondum fuerat baptizatus. Hoc Imperator cognoſcens, repentè iuſsit, & baptizari,& tanquam dignum virum ordinari pontificem. Nouerat enim eius rectiorem omni libra ſententiam, & omni regula certiora ſuffragia: arbitratus etiam diuinum in eo eſſe decretum, cùm in eius electione etiam pars contraria conſonaret.Is ergò ſacri baptiſmatis dono potitus,gratiam quoque ſimul ſuſcepit Epiſcopatus. Hæc Trip. Quem fructum verò hic Ambroſius in Eccleſia Chriſti fecerit, Scripta eius adhuc docere poſſunt Sed de hoc ſatis. Cognoſcens porrò Imperator, quoſdam in Aſia & Phrygia de diuinis dubitare dogmatibus, in Illyrico Synodum congregari fecit, & quæ de illis decreta atque firmata ſunt, dubitantibus deſtinauit. Sed ij qui conuenerant, decreuerunt, fidem in Nicena vrbe expoſitam eſſe ſeruandam. Quod & Valentinianus cum fratre Valente & Gratiano Filio publico propoſito edicto obſeruare mandauit.Epiſtola Legem continens extat apud Theodoretum lib. 4. cap. 8. & Trip. Hiſt. lib. 7. cap. 69.

Audeus Syrus natione & lingua, ex verbis Dei, quæ Gen. 1. habentur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, male intellectis, aſſeruit: 371.
Deum habere formam humanam, totiq; Diuinitati corporea membra circumdedit, in phantaſmate ſuo. Huic delyrio alia tam prophana quàm inhoneſta copu-

 lauit.

Anni Christi. lauit Ignem & tenebras à Deo conditas eſſe creaturas, cum Manicheis negauit. Sectatores eius pars vſuras execrandas exercere, pars illegitimo thoro fœminas iungere. Ac cùm hæc non ferat Eccleſiæ regula, nec eiuſmodi homines, ſi abſque pœnitentia manſerint, partem habeant in Regno cœlorum, ſemetipſos ab Eccleſia abſciderunt propriæ ſectæ proprios miniſtros & cœtus conſtituentes.

Meſſalaniorum quoq; circa hoc tempus hæreſis exorta eſt hos & εὐχήτας id eſt, Orantes, & ἐνθουσιαστὰς id eſt, Sacrificatores appellarunt. Hi cuiuſdam Dæmonis operationem expectabant, & hanc Sancti Spiritus præſentiam arbitrabantur. Qui verò integro huius rei languore participabantur, operationem manuum veluti malam auerſabantur, ſomnoq; ſemetipſos tradere, & ſomniorum phantaſias, Prophetias appellare. Principes huius mali fuère quàm plures, Dadoes & Sabbas, & Adelphius, Hermes & Simeones, & alij, qui ab Eccleſiaſtica communione non receſſerunt, dicentes diuinum cibum rem mediam eſſe, quæ neque obeſſet neque prodeſſet. Inter Monachos hoc malum latiſsimè ſerpſit, quorum Monaſteria permulta à Leocio Melitinenſis Eccleſiæ Epiſcopo incenſa atque diſiecta ſunt, Quem & Amphilochius Licaonenſis Antiſtes & Flauianus magni nominis Præſul apud Antiochiam, in extirpanda hac hæreſi ſecuti ſunt. Hic cùm Adelphium valdè ſenem ad ſe vocaſſet, ac quæſiuiſſet, quæ nam illa eſſent doctrinæ ſuæ præcipua, & quomodo malum ſpiritum à ſe repellere ſtuderent, audiuit, Nullam quidem vtilitatem ex ſancto Baptiſmate Baptizatis accedere, ſed ſolam ſtudioſam orationem in habitantem dæmonem effugare dicebat. Inſuper vnumquemque naſcentium à progenitore ſuo ſicuti naturam, ſic etiam dæmonum trahere famulatum. Et his expulſis per illam orationem ſtudioſam, Sanctum Spiritum aduenire, & ſenſibiliter ſuam deſignare præſentiam, atque corpus paſsionibus motus cuiuslibet eripere, & animam à mala voluntate penitus liberare, ita vt nequaquam deinceps egeat, neque ieiunio macerante corpus, neq; doctrina refrenante, & progredi ordinatè edocente. Non ſolùm autem qui hoc impetrauerit, corporis exultationibus, dicebat Adelphius, liberat, ſed apertè etiam futura præuidet, & Sanctam Trinitatem oculis cernit. Hæc delyria huius Sectæ fuerunt.

372. In Lampſaco eodem tempore Epiſcoporum rectè ſentientium Conuentus fuit, qui cùm Eudoxium Conſtantinopolitanum, & Accacium Cæſarienſem Epiſcopos ad pœnitentiam vocarent facta quoq; eorum reſcinderent: Valens Imperator, apud quem Eudoxius plurimùm valebat, ira commotus, illos omnes exilio damnauit: Eccleſias autem tradi iuſsit Eudoxio. Ob quam verò cauſam Valenti tàm familiaris fuerit Eudoxius, ex his intelligi poterit. Valens ad imperium à fratre vocatus, rectè ſenſit de fide: vxorem tamen habuit ab Eudoxio in Arrianum dogma ſeductam: hæc aures mariti quotidianis precibus demulcens, eò compulit virum, vt & ipſe Eudoxium amplecteretur. Circa id tempus Gothi in Thraciam tranſito Danubio irruptionem faciebant, quibus Valens obuiam ire magna virtute parabat: ſed cùm fortunæ vicem in bellis non ignoraret, voluit prius baptiſmatis gratiã ſuſcipere. Baptizatus ab Eudoxio eſt, qui iureiurando miſerrimum Principem obligauit, vt non ſolùm in impietate dogmatis permaneret, ſed & vndiq; contraria ſapientes expelleret. Atque ſic doctrinam ille Apoſtolicam derelinquens, contrarias partes fouere cœpit, & in Concilio prædicto, quæ iurauerat adimplere aggreſſus eſt. Mox & alios catholicos Epiſcopos ſedibus pepulit: Eudoxio communicare nolentes condemnauit: verberibus multos & alijs malis afflixit: Multos in aquis

ſuffo-

ſuffocauit. Atque hoc regnante primùm præualuerunt Arriani, qui Locuſtis in Apocal. aſsimulantur: Quique menſes quinque, hoc eſt, annos centum quinquaginta veram Eccleſiam affligere debebant, quod hoc anno Chriſti 372. cœpit, & durauit vſque ad Iuſtini tempora, qui anno Chriſti 522. hanc hæreſim penitus è publico ſuſtulit, Qua de re in Chronologia quoque dictum eſt. Si quis autem dixerit, quare ego Arrianorum perſequutionem hinc incipiam, ac non potius ab ipſo Arrij motu? Reſpondeo, Scripturam ipſam hoc tempus perſequutionis huius non ab Arrij motu, ſed à poteſtate diſcipulorum eius inchoare, quæ primùm ſub Valente eis data eſt. Antea enim nunquam tanta potentia præditi fuerunt, ac ex hoc tempore, quo Valens iuramento ſuo ſatisfacere inſtituit. Sed de hac re copioſius in Apocalypſin dictum eſt.

De Athanarici perſequutione nihil memorabile reperi, præter ea quæ in Chronologia paucis dicta ſunt. Vide Oroſ. lib. 7. cap. 32. Item Hieron. in Chronicis. 373.

Poſt Eudoxij mortem diſsidium ingens apud Conſtantinopolim exortum 374. eſt inter Catholicos & Arrianos, hi cæde, carcere, & latrocinio Chriſtianos infeſtabant, Qui octoginta legatos ad Imperatorem Valentem miſerunt, vt pacem eis daret, qui Arriani non eſſent. Imperator legatos naui impoſitos in medio Mari incenſa naui mergi iuſsit. Hinc per totum Orientem exagitatus furijs, Catholicos perſecutus eſt. De qua perſequutione lib. 7. Trip. hiſt. à cap. 30. vſque ad finem libri copioſè dicitur, In qua mihi præcipuè hæc obſeruanda viſa ſunt. Apud Edeſſam Meſopotamiæ vrbem, Thomæ Apoſtoli Baſilica opere eximio ornata erat, in hac quotidie Chriſtiani magna multitudine ad orandum confluebant, Hanc 376. Valens inſpicere volens, cognouit omnes ſibi exoſos, qui ibidem conuenirent, Præfectum expellere eos, vniuerſoſque occidere iuſsit: Qui indignationi Principis ſatisfacere nolens, latenter mandauit, vt nemo in Baſilica maneret. Sed nullus reſpexit eum, neque conſilium, neque terrorem eius magnifaciens. Omnes enim altero die ad eundem orationis locum pariter confluxerunt. Cumq; Præfectus cum multa militum manu ad Baſilicam feſtinaret, vt Imperatoris iræ ſatisfaceret, Quædam muliercula in paupertate degens, ſuum filium manu trahens, curſuque ad illam Baſilicam properans, Præfecti interrupit officium. Indignatus verò Præfectus, mulierem ſibi iuſsit adduci, dixitque ad eam: Quo infelix mulier ſic indecenter curris? Cui illa, Quò & alij, inquit, ire feſtinant. Tunc ille, Non audiſti, quòd Præfectus illic occiſurus eſt vniuerſos quoscunque repererit? Et mulier, Audiui, inquit, ideoq; feſtino, vt illic inueniar inter eos. Et quò hunc paruulum trahis infantem? Tunc mulier ait, Vt & iſte martyrium ſuſcipere mereatur. Hæc cùm audiuiſſet Præfectus, conſiderans animum populi concurrentis, rem omnem vt ſeſe haberet Principi manifeſtat, Suadens quoq;, ne tantam hominum multitudinem, ad moriendum pro fide ſua paratam, tàm breui tempore præter omnem rationem occideret, à furore concepto Imperatorem retraxit. Atq; in hunc modum Edeſſeni conſtantes in fide, diuinitus ab ira Principis ſunt defenſi, & à furore eius liberati. Miniſtri tamen Eccleſiæ eius octoginta perſonæ, diuerſis locis in exilium bini & bini tranſportati ſunt.

Cæterùm cùm Valens omnes ferè Orientis Eccleſias paſtore nudaſſet, ad Cæſaream Cappadociæ venit, vbi Baſilius ex rebus Magnus dictus, Epiſcopi munere fungebatur. Hunc primùm per Præfectum tentari iuſsit: ſed cùm nihil proficeret blanditijs, minis vſus eſt, quibus aliud nil extorſit, quàm vt Baſilius intrepidus dixe-

 rit:

rit: Atque vtinam aliquid mihi eſſet digni muneris, quod offerrem huic,qui maturius Baſilium de nodo follis huius abſolueret. Tandem ægrotante Imperatoris filio,in aulam vocatus Baſilius,vt pro ſalute eius oraret, reſpondit: Filium ad vitã rediturum,ſi à pio Viro baptizaretur: Qui patris iuſſu ab Arrianis baptizatus,mox obijt. Decumbebat quoq; & vxor Valentis: Quibus malis Valens monitus pœnitentia ductus,in Sacrum templum ingreſſus,magni Baſilij magiſterio fretus eſt, & altari obtulit dona ſolennia. Quin& in magna familiaritate Baſiliũ habere cœpit, vocatumque in aulam ad ſe qua ipſe reſidebat, multa apud eum de diuinis dogmatibus verba fecit, & docentem libenter audiuit. Vbi cùm fortè Demoſthenes quidam nomine, aulicæ culinæ præfectus, adeſſet, Baſiliumq; repræhenderet, Barbariſmum fecit. Tunc S. Baſilius ſubridens, Vidimus, inquit, ſine literis Demoſthenem. Cumq; iratus is magis minitaretur, Baſilius ait, Tuum eſt de pulpamentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Poſt hæc Imperator ita dilexit virum, vt etiam optima prædia quæ illic habebat, pauperibus qui ab eo gubernabantur offerret. Primùm ergo Valentis impetum hoc modo Baſilius declinauit. Cùm verò poſtea reuerſus illuc fuiſſet, priorum oblitus, quoniam à ſeductoribus eius voluntas obſidebatur, rurſus eum monebat vt hæreticis aſſentiret. Cumq; in vanum omnia tentaſſet, Legem de exilio eius ſcribi iuſsit, quam ſubſcriptione manus ſuæ roborare volens, nullum apicem complere valuit. Calamus enim ſtatim contritus eſt: cumque ſecundus & tertius calamus hoc pertuliſſet, & ipſe adhuc legem impiam firmare contenderet, dextra eius commota eſt, ac tremor ſubitus eam inuaſit: hinc animo terrore concuſſo, ambabus manibus arreptam chartam fruſtatim diſrupit. In hunc modum Baſilius à DEO defenſus, vſque ad finem vitæ in hoc mundo ſedem ſuam tranquillè rexit. Valentis hinc præfecti Imperatori gratum facere cupientes, vndique in Orthodoxos inſurrexerunt, præcipuè autem in Ægy-
383. pto, vbi Magnus quidam nomine, Lucium quendam Alexandrinæ Eccleſiæ Arrianum præfecit, Petrumque Athanaſij ſucceſſorem ſede depulit, ac multos pietate claros proſcripſit, Monachos quoque Valentis iuſſu, militare coëgit, De quibus omnibus longa Petri Epiſcopi Alexandrini Epiſtola habetur. Trip. lib. 7. cap. vltimo.

Cùm lex illa Theodoſiana, qua Nicena fides obſeruanda præcipitur, inſigne
384. contineat exemplum, quod pij principes in cauſa Religionis ſine periculo imitari poſsint, eam ex Sozomeno huc aſſcribi placuit, vt & ij qui tot libros habere nequeunt eam hoc loco diſcant. Habetur autem in hiſt. Trip. lib. 9. cap. 7. in hunc modum.

IMPPP GRATIANVS, VALENTINIANVS ET THEODOSIVS AVGG. populo vrbis Conſtantinopolitanæ.

CVNCTOS populos quos Clementiæ noſtræ regit Temperamentum, in ea volumus Religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque ad hunc ab ipſo inſinuata declarat: quamq; Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ Sanctitatis hoc eſt, vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam Deitatem, ſub pari Maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes veſanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta, poſt etiam motus noſtri, quem ex

cœle-

cœleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos Data III. Calend. Martias, Thesſalonicæ, Gratiano A. quintùm, & Theodoſio Aug. I. Coſs. *Anni Christi.*

Hæc lex quamvis pio Zelo fuerit propoſita, tamen nil admodum effecit, niſi quòd Epiſcopi Catholici ſedes ſuas ex parte receperunt. Nam cùm Imperium Occidentis, varijs motibus vndique impelleretur, Maximo in Britannijs Imperium arripiente, quo vix ſedato, Eugenio idem imitante, coactus fuit Theodoſius, relicto Orientis imperio, illic Tyrannis occurrere, quibus deletis & ipſe obijt. Regnantibus deinde filijs, & ſucceſſoribus eorum, tantum cum Gothis, Vandalis ac alijs populis negocij fuit, vt de Religione non multùm eis tractare licuerit, vſque ad tempora Iuſtini, de quo infrà. Interea Arriani ſuo more facere potuerunt, vt in ſequentibus ex parte videri poteſt. Sed hoc ideo factum eſt, vt Orthodoxi aliquid ſolatij haberent, & contra Arriani frenum, ne nimis furore accenſi graſſarentur in pios homines, donec tempus furoris eorum diuinitus prædictum finiretur.

Concilium Theodoſij iuſſu Conſtantinopoli ea de cauſa congregatum eſt, ut Macedoniani cum Orthodoxis, quibus iam multo tempore communicauerant, in fidei vnitatem redirent. 385. Præſentes fuerunt CL. Orthodoxorum Epiſcopi, Macedonianorum XXXVI. Sed ex his paucisſimi ad illos tranſierunt: plurimi in ſua opinione perdurantes ad ſua, re infecta, reuerſi ſunt. Cæteri Nicenam fidem confirmarunt, & alias quaſdam conſtitutiones ſanciuerunt, Nempe, vt Conſtantinopolitanus Epiſcopus haberet honoris priuilegia poſt Pontificem Romanum, eò quòd ſit noua Roma, (Hoc non diu ſeruatum eſt, vt poſtea ex certamine, de Primatu, circa annum Chriſti 600. manifeſtum fit) Conſtituerunt quoque Patriarchias & Prouincias diſtribuere, mandantes Vnuſquiſq; Epiſcopus ad extraneas Eccleſias non iret, cauſa docendi vel ordinandi. Hoc enim olim propter perſequutionis tempus indifferenter fiebat. Definierunt pariter vt ſi quid in Prouincia qualibet emergeret, prouinciæ Concilio finiretur. In his omnibus Imperator ſuum præbuit aſſenſum. Hiſt. Trip lib. 9. cap. 13.

In Concilio autem quod Romæ celebratum eſt, omnes prædictæ hæreſes anathematizatæ ſunt. fides quoq; de Conſubſtantialitate Patris, Filij & Spiritus Sancti, multis articulis explicata eſt, in quibus & multa ad veram religionem ſcitu neceſſaria continentur. 386. Sed quia prolixiora ſunt, lectorem eò tranſmitto. Inuenies autem ea, Trip. Hiſt. lib. 9. cap. 16.

Illud verò Concilium, quod ſecundum fuit à Theodoſio apud Conſtantinopolim conuocatum, cùm valdè prudenter in eo actum ſit, totum, vt in Hiſt. Trip. habetur, tractatum eius, huic loco inſeram, quó & noſtri ſpeculum quoddam habeant, in quo videant, quid eis in his, non multó abſimilibus eorum temporum turbis Eccleſiaſticis, faciendum ſit. Theodoſius pius princeps, volens vtiq; pacem & concordiam in Eccleſijs reſtituere, vocauit ad ſe Nectarium Conſtantinopolis tum Epiſcopum, fidei integritate grauem virum, conſilium ab eo petens, Qua ratione pax in Eccleſia fieri poſſet. Qui conſilij inops, deliberandi tempus petit, Vocatoq; in conſilium Agelio Nouatianorum Epiſcopo, qui in fide idem ferè ſentiebat, res ad Siſinnium Lectorem Nouatianorum delata eſt. Is enim Sacrarum literarum peritiſsimus, ac in conſilijs argutiſsimus habebatur. Qui audito Imperatoris propoſito, qui res per diſputationem finiri poſſe putabat, dixit: Diſputationes non ſolùm ſciſmata nõ vnire, ſed etiã hæreſes ad contentiones maiores adducere:

ANNI Chriſti.

Propterea tale Nectario dedit conſilium. Bené ſciebat, quod veteres patres princi- pium ſubſtantiæ Filio Dei dare vitabant, quoniam percepiſſent, eum eſſe patri co- æternum. Quapropter conſuluit, vt diſputationes fugeret, & teſtimonium ex traditione veterum adhiberet, vtq; Præſules hæreſeon interrogaret Imperator, An fidem antiquis haberent Eccleſiæ doctoribus, qui ante diuiſionem floruiſſent? An certè illos velut alienos à Chriſtaniſmo reſpuerent. Et ſiquidem eos abnegarent, obijceretur eis: Ergo eos anathematizare præſumite, Et ſi hoc facere non aude- rent, á populo pellerentur. Quo facto apertam fore victoriam Veritatis. Si veró de Principis non offenderentur Doctoribus: Noſtrum, inquit, eſt præbere vete- rum libros, per quos noſtrum dogma illorum teſtimonio roboretur. Hæc cúm Nectarius libenter audiſſet, ad Principem lætus recurrit, ordine rem conſiliumq datum enarrat. Qui conſiderata ſententia, cauſam ſapienter inſtituebat. Conuo- tis enim hæreſiarchis, interrogauit: An ſuſciperent Magiſtros Eccleſiæ, qui ante tempora diuiſionis extitiſſent? Illis veró non abnegantibus, ſed tanquam Præce- ptores honorantibus, rurſum Imperator interrogauit: An eis horum teſtimonia de Chriſtiano dogmate complacerent? Hæc audientes Præſules hæreſeon atq; diſpu- tatores eorum (erant enim plurimi ad diſputationis certamina parati) in reſponſo vehementer hæſerunt. Irruit enim in omnes magna diſcordia, alijs dicentibus, bo- num Imperatoris eſſe propoſitum: alijs veró cogitantibus, quód propoſito ipſo- rum minus expediret, dum alij aliter de libris veterum ſentire viderentur. Ita di- uiſi nequaquam inter ſe conueniebant, qui eiuſdem hæreſeos eſſe modó videban- tur. Quamobrem conſors malicia, ſicut linguæ Gigantum veterum (Gen. XI. eſt diuiſa, & turris eorum funditus eſt ſubuerſa. Cognoſcens igitur Imperator eo- rum confuſionem, & quód in diſputatione ſolummodó, & non in antiquis expo- ſitionibus confidebant, alio properauit itinere, eiſq; præcepit, vt ex ſcripto vna quæque religio definitionem ſuæ fidei declararet. Tunc callidi viri ſingularum hæ- reſeon ſubtiliter ſua verba tractantes, dogma proprium conſcripſerunt. Erat enin definitus dies, quo ſinguli Epiſcoporum ad palatium conuenirent. Aderant erg Nectarius & Agelius τοῦ ὁμοουσίου fidei præſentes: Arrianorum veró Demophilu qui á Theodoſio Epiſcopatu & Eccleſia Conſtantinopoli pulſus erat: Eunomia- norum, ipſe Eunomius: Macedonianorum, Eleuſius Cizyci. Igitur Imperato eos qui conuenerant, & vniuſcuiuſque dogmatis ſcripta ſuſcipiens, ſeorſimq; rec dens orauit intentè, vt ſibi cooperaretur DEVS ad veritatis electionem. Deinc vniuſcuiuſque dogmatis relegens ſcripturam, alia quidem omnia tanquam diu ſionem Trinitatis introducentia culpans, repentè diſrupit & ſolum τοῦ ὁμοουσίου dog ma cum laude ſuſcepit. Hæc autem occaſio fuit, vt Nouatiani benè agentes, intr ciuitatem haberent rurſus Eccleſias. Admiratus namq; princeps eorum concord am circa fidem, lege præcepit, vt propria oratoria tenerent, & priuilegia ſuæ fid atque Eccleſiæ poſsiderent. Verúm aliarum religionum Antiſtites, propter diſco diam ſuam in repræhenſionem ſui populi venientes, æſtuabant, triſtitiaque conf ſi diſcedebant, & literis conſolabantur alteri alteros, vt non cruciarentur, quó plurimi deficientes ad fidem Conſubſtantialitatis accederent, dicentes, Multos qu dem vocatos, paucos autem electos. Quod certè tum non dicebant, cúm mu tum populum per poteſtatem ſibijpſis aggregarent. Hæc ea Synodo referuntu Imperator interea lege ſanciuit, vt hæretici neque Eccleſias haberent, neque de f de docerent, neque Epiſcopos aut alios ordinarent. Et alios quidem è ciuitat

b

bus expelli, alios ſine honore eſſe, neque frui communi ciuitate permiſit. Inſuper crudeles pœnas aduerſus eos in lege conſcripſit, quas tamen executus non eſt. Huc enim ſpectabat, vt per hoc concordes exiſterent, non veró ſupplicio ſubiacerent. Hac ſuppliciorum ſuſpenſione, Antiocheni, Ægyptij, Arabes & Cyprij Arriani ferocientes, in catholicos eorum locorum Epiſcopos, quæ voluêre, facere præſumpſerunt, de quo ſuo loco & tempore dicetur. *ANNI Chriſti.*

Vrſinus qui & Syricius dicitur, eodem tempore Romanæ Eccleſiæ ſedem ex electione occupauit. Hic primus Monachos ad Eccleſiaſtica munera vſque ad Epiſcopatus dignitatem, in Romana Diœceſi prouexit. Ordines veró non niſi per interualla dari conſtituit, ita, vt ab infimo inciperetur, & ſenſim per gradus aſcendendo nullo prætérito, ad Epiſcopatum perueniretur. Presbyterum ab Epiſcopo tantúm creandum ſtatuit. Sacerdotem officio priuandum eſſe, qui viduam, aut ſecundam vxorem duceret (Quod Antichriſti nota fuit inſignis, 1. Timoth. 4.) Hæreticos per impoſitionem manuum, ſi pœnitentiam agerent, recipiendos, ita tamen (quod etiam Antichriſti eſt peculiare, tollentis libertatem Chriſtianam) vt reliquum vitæ in Monaſterio agerent, & ibi orationibus & ieiunijs vacarent, Cognitis tandem ſanctimoniæ vitæ dignis exemplis, ad Eccleſiæ communionem admiſit. Miſſas in loco ab Epiſcopo ſacrato celebrari conſtituit. Plat. Sabel. Pet. de Natal.

Quamuis nemo ſcriptorum eius ſeculi, cauſam ob quam à Maximo Treuerenſe Concilium ſit conuocatum, indicet: Plerique etiam de hoc omninò muti ſunt: Tamen hac occaſione congregationem eam factam autumo. Poſtquàm Gratianus á Maximo interemptus eſſet, vxor eius Arriana hæreſi infecta, apud Mediolanum reſedit, Valentiniano filio in cætera Italia agente. Ea cùm pacem à Maximo haberet (occupatis enim Britanniæ, Galliæ ac Hiſpaniæ regionibus, pacem Valentiniano obtulerat, quam & ille, vt res vrgebat, libenter accepit) Arrianam hæreſim maximo conatu in Eccleſias introducere voluit: Cui veró tota Mediolanenſium ciuitas repugnabat. D. autem Ambroſius orationibus ac ieiunijs eorum conatus infringebat. Cúm enim ipſa in tantum fureret, vt & vi ab Eccleſijs pelli iuberet pios ſacerdotes Chriſti: Maximus occaſionem nactus, cæteræ Imperij partis occupandæ, vindicem ſe veræ Religionis obtulit. Exercituque contra Italiam ducto, Impiam Mediolano fugere coegit. Ita vt ipſa, quod pijs CHRISTI miniſtris parauerat exilium, prima ſortiretur. Valentiniano igitur tota Italia pulſo, dum is in Oriente auxilia quærit, Maximus totius Galliæ Epiſcopos ad Treuerim conuocavit, vt experiretur in Doctrina fidei concordiam, Ne & in Occidente, ſi fortè doctores Eccleſiarum diſcordarent, res Eccleſiaſticæ turbarentur. In quó ſanè non mediocre boni pijq; Principis officium fecit. Sed quid in hoc Concilio ſingulariter ſit concluſum decretúmue, non memini me apud quenquam ſcriptorum reperiſſe. 388.

Duo circa hunc annum præ cæteris memorabilia traduntur. Primúm, inſigne ſpecimen impietatis: alterum veró, maximæ tam pietatis quàm conſtantiæ argumentum. Illud Conſtantinopoli in hunc modum ſeſe exeruit. Arriani qui ibi erant conſtituti, cúm Theodoſio pio Principi minus fauerant, diuerſas de eo (bello namque contra Maximum occupatus erat) opiniones, diuerſaq; mendacia in populum ſpargebant. Quo facto animum á Satana, qui homicida & mendax 352.

ab ipſa

ANNI Chriſti.

ab ipſa Veritate dicitur,obſeſſum, vt plerique alij falſarij &hypocritæ,manifeſta-runt. Dicebant enim Imperatorem non ſolùm amiſiſſe exercitum, verùm etiam ipſum quoque à Maximi ducibus, vinctum captumq; teneri. Cumque famam hanc de die in diem fortius dilatarent, tantam in peruerſa Arrianorum turba con-citarunt, audaciam, vt nihil veriti, Arcadium (qui tum præſens & à patre cuſtos regni erat relictus) ipſius nectarij pij Patriarchæ domum publicè incenderint, Vt cupidini peruerſiſsimorum cordium aliquomodo indulgerent. Alterùm verò Me-diolani ita ſe habuit. Theodoſius Imperator cúm Theſſalonicæ ageret, in vindi-ctam quorundam Iudicum, qui per ſeditionem extincti erant, magnam in popu-lo ſtragem fecerat, ita vt ſeptem millia hominum occiſa ferantur. Hanc inſpe-ratam de pio principe immanitatem Ambroſius cum gemitu perceperat. Cumq; Imperator Mediolanum veniſſet, & ſolenni more Templum ſacrum ingredi vel-let, Ambroſius ei plenus Zelo DEI ad ianuam occurrens, longa contra eum & ve-hementi obiurgatione uſus, ab Eccleſia eum recedere compulit. Indignum enim dicebat, hominem ſanguinarium, qui nullam pœnitentiam egiſſet, templum ſa-crum ingredi. Et quomodo manus, inquit ad Imperatorem, extendes ad Deum quibus adhuc ſanguis ſtillat iniuſtus? Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies Sanctum Domini corpus? Qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis percipies quando furore verborum tuorum tantus iniuſtè ſanguis eſt effuſus? His & ſimili-bus Imperator monitus peccati ſui agnoſcens magnitudinem, in Palatium re-dijt: Ibique octo menſium, vt tradit Theodoretus, pœnitentiam fletu & lamen-tatione egit. Tandem in Natiuitatis Domini feſto, ipſe ad Ambroſium accedens veniam delicti petijt, quam poſt multas correptiones impetrauit. Ingreſſus ergo templum Imperator, inter eos qui publicè pœnitentiam agebant, aſtitit. Legem tandem tulit: Ne quis reus ante triceſimum diem latæ ſententiæ occideretur. Hæc omnia copioſius in hiſt. Trip. lib. 9. cap 30. habentur. In quibus, utrum magis ſit collaudandum, Epiſcopi ne fiducia, an Imperatoris humilitas & obedientia non video. Rariſsimum profectò vtrumq; eſt: Ideoq; dignum, quod Chronicis inſcribatur, Vt apud nos in prouerbio eſt.

Amphilochius vir magnæ autoritatis, reuertenti Theodoſio ex Heſperia ſup-plicauit, vt Arrianorum concilia, quæ illi frequenter per ſingulas vrbes celebra-bant, inhiberet. Sed Imperator hoc parui faciens, contempſit. Amphilochius hoc aduertens, repulſam diſsimulat ad tempus. Tandem occaſione accepta Palatium ingreditur, videnſq; filium Imperatoris Arcadium, qui & ipſe iam Imperator erat aſtare patri, Theodoſium ſolenniter ſalutauit, filium veró quaſi non Imperatorem tranſiuit. Verùm Imperator credens oblitum Amphilochium, inuitat, vt hono-rem debitum filio ſuo exhibeat. At ille, Sufficit inquit, ei proprius honor. Tunc Imperator contriſtatus, ſuam iniuriam, filio factam contumeliam putauit. Hoc videns Amphilochius, conſilij ſui cauſam aperuit, dicens: Vides Imperator, quem-admodum filio tuo non pateris irrogari contumeliam? Crede ergo, etiam omni-um Deum ſic abominari eos, qui ipſius unigenitum filium blaſphemare conten-dunt, & velut ingratos circa Saluatorem & benefactorem, habere ſemper odio. Quo tum dicto factoque Imperator intellecto, miratus prudentiam viri, legem ſtatim protulit, vt hæreticorum concilia prohiberentur. Cui an paruerint Arriani incertum eſt. Templa quidem & conuentus publicos vſque ad Iuſtini tempora habuêre.

Vt ve

ANNI Chriſti.

Vt veteris Eccleſiæ conſuetudo, quam in recipiendis pœnitentibus obſeruauit, noſtris quoque innoteſcat, pauca ex Zozomeno aſſcribam, quibus & cauſa indicatur, quare confeſsio Auricularis Conſtantinopoli ſublata eſt. Pœnitentibus proprius Presbyter, qui conuerſationis bonæ, ſecretiq; tenax, ſacrarum quoque literarum non ignarus eſſet, veteres præfecerunt: ad hunc accedebant hi qui deliquerant, delicta propria fatentes. Quibus ille ſecundum vniuſcuiuſque culpam indicabat & mulctam. Locus certus erat pœnitentium, in quo rei ſtabant, lugentes, Ac cùm ſacra celebratio eſſet impleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione, ſeipſos in terram proſternebant. Ad quos concurrens Epiſcopus, & ipſe cum lachrymis & gemitu ſpiritus proſterni, & omnis Eccleſiæ plebs fletibus inundari. Poſt hoc autem prior ſurgebat Epiſcopus, & eleuabat iacentes è terra. Competenter tandem facta oratione pro pœnitentibus, omnes dimittebat. Illi afflictionibus ſponte vacantes, aut ieiunijs, aut alijs, quæ impoſita erant, expectabant tempus quod decreuerat Epiſcopus. Conſtituto verò tempore, velut quoddam debitum exoluentes, afflictione de peccato curati, cum populo communione participabantur. Porrò Conſtantinopoli Presbyter ſuper pœnitentes fuit, vſq; ad illud tempus, quo quædam mulier nobiliſsima, cùm peccata ſua fuiſſet confeſſa, & ei á Presbytero fuiſſet præceptum, vt ieiunaret & Deo operibus ſupplicaret: Cùm hoc obſeruaret, crebrius in Eccleſia cum Diacono ſe concubuiſſe, confeſſa eſt. Hoc cùm populus cognouiſſet, ſæuire in ſacerdotes, tanquam per eos Eccleſia contaminata eſſet. Tum Nectarius ſceleratum Diaconum ab Eccleſia remouit, & quibuſdam ſuadentibus, vt ſingulos ad communicandum iudicio conſcientiæ ſuæ relinqueret, etiam presbyterum ſuper pœnitentes ſuſtulit Et ex illo antiquitatis conſuetudo apud Conſtantinopolim ſublata eſt, Trip. lib. 9. cap. 35. 395.

Hoc tempore Nouatiani inter ſe diuiſi ſunt, ob Paſchatis obſeruationem: 398. quidam more Iudæorum, quidam verò more communi hoc obſeruandum contendebant. Quin & Arriani diuiſi ſunt, ob hanc quæſtionem: Cùm ipſi Filium Dei ab æterno ex Patris eſſentia natum non credant, quæſiuerunt, vt fieri neceſſe eſt rebus incerto poſitis, An pater ab æterno pater dici deberet? Quibuſdam affirmantibus, quibuſdam contrá negantibus, ſingulæ partes ſuas Eccleſias habere cœperunt: Sic etiam Eunomiani in partes ex diſcordia diuiſi ſunt, quorũ alij à Theophronio Eunomiotheophroniani dicti ſunt, alij ab Eutychio, Eunomio Eutychiani, qui & baptiſma corruperunt. Non enim in Trinitate, ſed in Chriſti morte baptizabant. Sic ſe res hæreticorum ſemper habent, cùm nihil certi ſit in ore eorum, neceſſe eſt, vt alius hoc, alius illud ſtatuat, quod & noſtri ſeculi Theoſtigianis eueniſſe cernimus.

Eodem anno Theodoſius bellum cum Eugenio, qui in occidente Rempublicam inuaſerat, habuit, in quo cum Diuina ſeſe Potentia, pio principi Theodo- 398. ſio auxiliatricem manifeſtè exhibuerit, pauca de conflictu, quo Eugenius perijt, ex Oroſio adferam. Eugenius atq; Arbogaſtes inſtructas acies campis expedierant, arcta alpium latera, atq; ineuitabiles tranſitus, præmiſsis callidè inſidijs occuparant: vt etiam ſi numero ac viribus impares forent, ſola tamen belli diſpoſitione victores. At verò Theodoſius in ſummis alpibus conſtitutus, expers cibi ac ſomni, ſciens quód deſtitutus à ſuis, neſciens quòd clauſus alienis, Dominum Chriſtum ſolus ſolum qui poſſet omnia, corpore humi fuſus, mente cœlo fixus, orabat. De hinc

poſtquám

Anni Chriſti. poſtquam inſomnem noctem precum continuatione tranſegit, & teſtes prope modum, quas in precium præſidij cœleſtis appenderat, lachrymarum lacunas reli quit, fiducialiter arma corripuit ſolus. Sciens verò ſe eſſe non ſolùm ſigno crucis tuendum, ſed & victoriam adepturum, ſigno crucis ſe muniens, ſignum victoriæ dedit, ac ſigno crucis ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum etiamſi nemo ſequere tur, Victor futurus immiſit. Prima ſalutis via extitit Arbitrio, hoſtilium partium Comes: qui cùm ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidijs, conuer ſus ad reuerentiam præſentis Auguſti, non ſolùm periculo liberauit eum, verùm eti inſtruxit auxilio. At ubi ad contigua immiſcendæ pugnæ ſpacia peruentum eſt, con tinuò magnus ille & ineffabilis turbo ventorum in ora hoſtium ruit. Ferebantu per aërem ſpicula miſſa noſtrorum, atq; vltra menſuram humani iactus per ma gnum inane portata, nuſquam propemodum cadere, priuſquam impingerent ſinebantur. Porrò autem turbo continuus ora pectoraq; hoſtium nunc illis graui ter ſcutis euerberabat, nunc impreſsis pertinaciter obſtructa claudebat, nunc auul ſis violenter deſtituta nudabat, nunc oppoſitis iugiter in terga trudebat, tela etiam quæ ipſi vehementer intorſerant, excepta ventis impetu ſupinata, retrorſum coacta, ipſos infeliciter configebant, Proſpexit ſibi humanæ conſcientiæ pauor Nam continuò ſeſe, parua ſuorum manu fuſa victori Theodoſio hoſtilis proſtra uit exercitus. Eugenius captus atq; interfectus eſt. Arbogaſtes, qui illum Imperato rem fecerat, ſua ſe manu perculit. Oroſ. lib. 7. cap. 36. De hac victoria Claudia nus inter cætera hæc cecinit.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti &c.

De Anaſtaſio Papa Romano hæc referuntur. Primùm quòd debiles vel ali
401. quo membro mutilos Celericorum albo non eſſe aſſcribendos cenſuit. Deinde u Clerici & qui ſacris interſunt, Euangelium ſtando, venerabundi atque curui, neuti quam ſedentes audirent. Item peregrinos, maximè verò transmarinos, non reci piendos in clerum, niſi quinq; Epiſcoporum Teſtimonijs fulti eſſent. Idque pro pter Manicheos factum eſſe tradunt, qui tum in Africa in precio erant, & emitte bant ſuos quoquo verſum, ad fidei ſinceritatem paſsim corrumpendam.

Quæſtio illa, quamuis ſtulta & ridicula videatur, An DEVS corporeus ſit (i
403. eſt, an Diuina eſſentia ſit corpus quoddam, manus habens, & cætera humanæ for mæ membra) tamen maximas inter Monachos Ægypti turbas excitauit. Rudio res enim ex eis aliter non ſentiebant, quàm DEVM corporeum eſſe. Cùm audiren à ſcripturis ei tribui manus, pedes aures, os, oculos &c. ac contrà ſentientes, ſicut blaſphemos grauiter perſequebantur, Ita Vt etiam Theophilum Alexandriæ Epi ſcopum occidere niterentur, Qui vitæ magis honoriſq; ſeculi amans, quàm Diu uinæ veritatis, eis, vt periculum effugeret, conſenſit. Poſtea cùm ipſi aduerſus Dio ſcorum quendam, Monachorum principem, ſimultas eſſet, blaſphemiam de De corporeo palàm defendere cepit, quò ſimpliciores Monachos aduerſus Dioſc rum rectè ſentientem incitarent: tamen quoque inter ipſos Monachos ſeditioner commouit, vt vi alter alterum inuaderet. Quia verò & hac ratione Dioſcorum pe dere non poterat Theophilus, armis hoc effectum dare voluit, acceptaq; armato tum multitudine Nitriam ingreſſus eſt, ubi Dioſcorus cum fratribus ſuis degeba ſed illi præmoniti fuga vix elapſi, periculum euaſerunt. Hic Theophilus primu

inte

nter Chriſtiani nominis Epiſcopos, arma tractauit. Quin & auri cupidiſsimum fuiſſe ſcribit Socrates. Trip. Hiſt. lib. 10. cap. 7.

Innocentius eius nominis Primus Rom. Eccleſiæ Pontifex, bona, vt apparet ratione conſtituit, vt Sabbato ieiunium celebraretur eò quòd tali die Chriſtus in ſe- 404.
pulchro iacuiſſet, & diſcipuli eius mœſti ieiunaſſent. De Iudæis quoque & Paganis, deq; Monachis regulas quaſdam tulit. Cataphrygas autem hæreticos, quorum autores fuêre Montanus, Priſcilla & Maximilla (vt ſuprà dixi) ab vrbe expulit, Theodoſio annuente: vel (vt alij volunt) in monaſteria relegauit. Præterea verò Pelagium monachum, & Cœleſtinum hæreſeos damnauit, de quo errore poſtea dicendum. Quin & alia eius inſtituta feruntur. Templum ſemel conſecratum amplius non eſſe conſecrandum. Res profectò magno periculi. Item, Oleo ab Epiſcopo conſecrato infirmos vngendos eſſe. Hoc deinde vnum ex Sacramentis Papiſticis factum eſt. Chriſtianis ante ſacramenti participationem pacem in Eccleſia dandam inſtituit. Pueros quoque ex Chriſtianis parentibus natos, per baptiſmum renaſci oportere, contra Pelagium pronunciauit. Arcadium Imperatorem ſacris interdixit, quòd Iohannem Chryſoſtomum, Eudoxiam vxorem vehementius perſtringentem pro Concione, in exilium miſiſſet, & concilij congregati ſententia eum ab exilio reuocauit. Sed Chryſoſtomus prius mortem obijt, quàm ſecundò reuocaretur. Hæc ex Plat. Sabell. Petro de Natal. & Trip. hiſt. lib. 10. capite 18. &c.

Concilium Cypri dolo Theophili Alexandrini Epiſcopi, qui Epiphanium, & doctrina & pietate clariſsimum, ſeduxit, contractum eſt, tantummodò, vt Chryſoſtomus periret. 405.
Quem Theophilus ob eam cauſam inſectabatur, quia Dioſcorum, de quo ſuprà, Iohannes ad ſe confugientem receperat. Ideo cùm alia via eum non poſſet ire perditum, Origenis libros, quos ille diligenter & legebat, & venerabatur, condemnari curauit: cui damnationi ſi non ſubſcriberet Iohannes ab Eccleſia pulſus exilio damnaretur. Quod & factum eſt. De quo & in Chronologia diximus. Totam actionem hanc inuenies Hiſt. Trip. lib. 10. à cap. 8. vſq; ad 18.

Perſequutio Chriſtianorum in Perſide per κακοζηλίαν Abdæ Epiſcopi originem 413.
ſumpſit. Is enim Zelo feruens, Templum Ignis, quem Perſæ Deum putant, deſtruxit. Correptus à Rege iuſſuq; vt illud reædificaret, cùm mori mallet, quàm templum idoli reſtituere, ipſe primus interfectus eſt: Templa deinde Chriſtianorum per totum Regnum deiecta, Chriſtianiq; varijs mortibus deleti ſunt, maximè eos perſequentibus Magis Perſarum ſacerdotibus. Claruerunt in hac perſequutione Hormiſdes vir Nobilis, Cui Rex iſdigertes omnes poſſeſsiones eripuit, Camelorumq; actorem fecit, ob fidei confeſsionem. Tandem perſeuerantem, toto regno miſerrimum ac nudum eiecit. Beniamin quoque Diaconum, quem diu in carcere cuſtoditum, Romani poſtea Legati precibus liberatum, in confeſsione perſeuerantem & docentem intrepidè, acutis calamis, vnguibus femori inteſtiniſque infixis, immaniſsima morte occidit: de quo plura Trip. Hiſt. lib. 10. cap 30. & ſequentibus.

Vt res omnis melius intelligatur, quare & quomodo Roma à Gothis capta ſit, integram eius rei narrationem, ex Iohannis Cuſpiniani Cæſarum vitis, huc apponam. 414.
Is enim omnium, quos eo legi, hoc negotium ea tum perſpicuitate, tum breuitate tradidit, vt vix habeat ſecundum. Verba eius in Vitas Arcadij & Honorij hæc ſunt: Cùm Theodoſius rebus humanis exceſsiſſet, ambo filij iuuenes erant.

nes erant. Qua occaſione duces veterem fidem, & ius legati ſanctiſsimum, regnandi cupiditate violarunt. Ad hoc iuuenes Cæſares atque Augusti auxiliarijs ſuis, hoc eſt, Gothis, donaria conſueta ſubtrahentes, faſtidium illis ingerebant. Qui ne longa pace eneruarentur, regem ALARICVM deligunt, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, ex genere Balthorum: qui dudum ob audaciam virtutis Baltha, id eſt, audax, nomen inter ſuos acceperat. Quem Rufinus Gallicus, vel ſecundum alios Britannus, clàm miſsis muneribus euocat, atq; arma capere contra Arcadium perſuadet, vt ſub eo metu, diadema Orientis capiti ſuo imponeret, & Arcadium Imperio priuaret. Facile Alaricus perſuadebatur, qui iam cum ſuis noua quærere regna maluit, quàm alienis per ocium inſeruire. Proditione comperta, medio conatu Rufinus pernicioſus tutor, militibus Italicis eſt occiſus: caput cum dextra præciſum ante ipſas Conſtantinopolis portas pependit, ac ſpectantibus ludibrio fuit: vxore eius in exilium miſſa, cunctas eius opes Eutropius Spado promeruit. Is eſt ille Rufinus, quem Claudianus duobus libris inſectatur acerbiſsimè. Interea Gildo in Africa etiam animum adiecit, ad Prouinciam ſuo Imperio ſubigendam, puerorum ætatem aſpernatus poſt Theodoſij patris obitum. Cui Maſcezel frater reſtitit, impium fratris ſcelus deteſtatus: Ob id in Italiam nauigans, vt Honorio id conquereretur. Gildo interim in fratris inuidiam, eo abſente, eius filios enecat. Maſcezel ab Honorio copias accepit, traiecturus in Africam, ex Capreis Inſula viros ſanctimonia vitæ præſtantes accipit, quorum precibus victoriam à DEO aſſequi ſperat. Et nimirum cum quinque millibus armatorum, LXXX. millia ex fraternis copijs deleuit. Gildo fuga naui ablatus, ſæuitia maris in terram relatus eſt. Submiſsi à Maſcezele fratre ſatellites apud Tabracum, qui gulam Gildonis, à fuga retracti, velo fregerunt. Hoc modo Maſcezel filiorum cædem vltus, in eandem dominandi cæcitatem lapſus eſt, quaſi non Honorio, ſed ſibi viciſſet, Africam armis receptam ad ſe trahere conatus eſt. Sed nihilo eſt res meliore euentu ab eo mota, quàm antè à fratre fuerat. Milites enim eius Imperium pertæſi, Maſcezelem obtruncant. Atque ſic duorum fratrum rebellium continuatis cædibus vltio ac vindicta recepta eſt, qui Africæ imperium non magis temerè, quàm infeliciter tentare auſi fuerunt. Scripſit hoc bellum poëtice & eleganter Claudianus poëta, & Oroſius in fine ſuarum hiſtoriarum. Sed cæca dominandi libido, quæ ſæpè tranſuerſos egit mortalium animos, Stilliconem quoque, qui occiduæ Aulæ præfectus erat, ſubuertit. Qui cùm genere Vandalus eſſet, acquiſitis multis opibus, maiorem in dies autoritatem acquiſiuit. Dum Honorio inſidiatur, ſecretiore via filio ſuo Eutherio regnum parat. Nam cùm duæ eſſent Stilliconi filiæ, quæ ambæ vna poſt alteram Honorio nupſiſſent, mortuæque ante diem nuptiarum obijſſent, mœſtus parens ad imperij res infringendas callidum ingenium adiecit: Sueuos, Suanorum gentes & Alanorum, Burgundios, Alanos, & populares ſuos Vandalos, magna ſpe prædæ ſollicitauit, ad Gallias hoſtiliter inuadendas occultè, ſperans fore, vt Honorius aut bello ſuccumberet, aut filius in Regni conſortium veniret. Ipſe copiarum ductorem nefando conſilio exhibebat, metumq; ſimulabat. Mox igitur CC. Millia duce Rhadagaiſo in Pannoniam coëunt, & Alarico regi Gothorum ſe miſcentes, Thraciam, Illyricum, Noricum, & eam Italiæ oram quæ Norico adiacet, ferro & igni populantur, vaſtant agros, diripiunt oppida, editis paſsim cædibus omnis ſexus indiſcriminatim. Rhadagaiſus Apenninum tranſgreſſus, Feſulis conſedit. Cui He-

truriæ

ANNI Chriſti.

truriæ imminenti, Vldinus & Sarus cum exercitu Hunnorum & Gothorum auxiliariorum occurerunt. Quorum occurſu multitudo Gothorum in anguſtias deiecta, commeatibus vndique interclusis, inedia confecta eſt. Rhadagaiſus poſt res perditas, cum paucis fugam molitus, captus & ex fuga retractus, ſtrangulatus eſt. Tantaq; vis hominum capta eſt, vt ſeruitiorum greges vno aureo ſectores licitarentur nummo. Hoſtes qui ſuperfuerunt ad Alaricum Veſegothorum regem confugerunt, qui haud procul Rauenna, loco cui Candiano nomen eſt, caſtra fecit. Quo nuncio excitus Stillico, præmiſsis qui hoſtes (extremum agmen carpendo) ab inſtituto itinere remorarentur: Ipſe cum robore copiarum per Aquileiam & Patauium Rauennam deſcendit. Alaricus ad Polentiam vicum in Alpibus Coccijs caſtra tranſtulit, duo, & XX. millia paſſuum à Rauenna, vt loca Apennino proxima obtineret: Legationemq; Honorio Imperatori Rauennam mittit, vt agros ad habitandum donet: ſe curaturum, vt æquo iure Romanorum, ac Gothorum populus, ſine diſcrimine gubernetur. Honorius inito conſilio, Gallias, Hiſpaniasque, iam penè Vandalorum, ac Sueuorum incurſu perditas offert. Quam donationem ſacro oraculo confirmatam, receptant Gothi: Quo dum proficiſcuntur, cum omni ſuppellectile, fraude à Stillicone ſunt petiti, nihil mali Gothis ſuſpicantibus. Cùm enim Stillico rei militaris eſſet ſcientiſsimus, magiſq; conſilio quam viribus valeret (nam erat hominum numero multò inferior) in Veſegothos à tergo irruit, & de induſtria hoſtem fatigabat, & bellum trahebat, vt inuadendi imperij occaſionem inueniret. Tum Saulem Hebræorum ducem, cum valida Iudæorum manu, ex Foro Popilij Gothis immittit, in ipſo Paſchatis die, quo tempore pientiſsimè religioni incumbebant (Erant enim Veſegothi iam Chriſtianæ Religionis cultores religioſiſsimi) quod minimè ſuſpicabantur. Et cùm Gothi religionis metu feſto die arma tractare vererentur, fœdam paſsi ſunt ſtragem. Tandem regis iuſſu arma capiunt, Hebræorum exercitum fundunt, fuſum diſsipant, paſſimq; cum multa cæde ſternunt. Et cùm iam Veſegothi Stilliconis intelligerent flagitium, eius adorti quoque exercitum, ad internecionem vſque dejiciunt: tum paulò pòſt Stillico occiſus eſt cum filio Eucherio, iuſſu Honorij: licet aliqui in foro pacis poſtea trucidatum ſcribant cum filio, cui vt purpuram indueret, fidem violauit & iuſiurandum, & res humanas in apertum diſcrimen traxit. Nam hoſtes fraude intellecta, iter cœptum omittunt. Victores inuocantes Deos quòd ius gentium violatum ſit indignati, furibundo animo Liguriam reuertuntur, vnde iam tranſierant, eiuſque ſpolijs potiti, Aemiliam pari vaſtatione populantur. Flammineæq; aggerem inter Picenum & Tuſciam vſque ad vrbem Romam diſcurrentes: quicquid inter vtrunq; latus fuit in prædam diripiunt. Tum Romam contendunt, obſtupeſcentibus cunctis. Quacunque iter faciebant voto potiti: Nam exercitus tum Honorij, Stillicone occiſo, duce carebat. Ideò miles Romanus vincere ſuetus, turpiter cæſus ac victus eſt. Romam armis obſeſſam, ac inedia fatigatam miſerabili, Gothi capiunt, fame potius quàm gladio ſubactam, teſte Hieronymo, Anno quo condita erat Milleſimo, centeſimo ſexageſimo quarto, prima die Aprilis. Vrbe capta ac paucis ædificijs ſuccenſis, acceptis tamen pluribus vndiq; ſpolijs, Alaricus propoſuit edictum, vt capitale eſſet, ſi quis Apoſtolorum principum violaret Templa, & vt in vniuerſum cæde abſtineretur, ſibi placere oſtendit. Quicunq; in Templa fugerunt ſeruati ſunt, & vaſa direpta reſtituta ſunt. Honorius vt erat ſocordis ingenij, cùm Romam captam audiret, parùm curauit, ſicut & quòd Pla-

 cidia

cidia ipſius ſoror in hoſtium poteſtatem venit, quæ abducta eſt captiua, quam Ala-
ricus in foro Cornelij Ataulpho propinquo ſuo vxorem dedit. Sexto die Goth
egreſsi vrbem per Campaniam & Lucaniam in Brutios veniunt, omnia populan
tes. Vbi in Siciliam, & inde in Africam trajicere conati ſunt Sed aduerſis tempeſta-
tibus prohibiti, amiſsis medio conatu pleriſque nauibus. Dum Conſentiæ Alaricus
hyemat, morbo interijt. In cuius locum Veſegothi Ataulphum defuncti regis pro
pinquum ſubſtituunt. Erat is vir forma menteque conſpicuus, pulchritudine cor
poris, vultuq; decorus, licet ſtatura non admodum eſſet procerus. Qui ad vrbem
diripiendam cum exercitu reuerſus eſt, cupiens quicquid remanſiſſet eradere, ſiu
Romam funditus potius euertere, & alteram diuerſo loco vrbem ſtatuere, abolita
que antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nomi
nare, vt nomen ſuum Ataulphi tanquam vrbis conditoris pro Auguſti nomine po
ſteri reciperent. Sed Placidia Ataulphi vxor iam legitima, ob generis nobilitatem &
formæ pulchritudinem marito dilecta, Regis animũ à propoſito auertit. Et quam-
uis iterùm Gothi vrbem diripuiſſent, à cæde tamen & incendio temperatum eſt
Ita moribus vxoris Placidiæ lenitus eſt Ataulphus, qui tum cœpit de ſancienda pa
ce, iungendaq; amicitia cum Honorio agere, cum quo fœdere percuſſo ad Gallias
tetendit. Quas vnà cum Hiſpanijs, Vandali, Sueui, & Alani rapinis & incendio fœ
dabant Burgundios inſuper & Francos in ſocietatem belli traxerunt Qui Rhenum
tranſgreſsi Gallias vndiq; populabantur, & populabundi in Aquitaniã tranſiuêre
vt ſuperato Pyreneo, Hiſpanias inuaderent. Sed audito aduentu Ataulphi, ſe fini
bus continuerunt, Galliæq; omnes Veſegothis patuêre, vt Regnum illic fundarent
Hactenus ex Cuſpiniano. Sic caput orbis Roma primûm direptioni patuit, ex quo
tempore ſicut mortale corpus, lethali ſemel accepto vulnere, ſubinde peius habu-
it, donec vniuerſa imperij Occidentalis gloria, exhauſtis primùm eneruatiſque ſi-
mul viribus, vnà cum potentia eius concidit, atq; ad alienos populos translata eſt,
de quo ſuo loco. Pergemus nunc ad ea quæ reſtant.

Pelagius profeſsione Monachus vnà cum Cœleſtino hæreſeos complice, libe-
417. rum Arbitrium diuinæ gratiæ anteferebant, docebantq, ad implenda diuina iuſſa
voluntatem per ſe ſufficientem eſſe. Contra hos multa ſcripſit Auguſtinus. Pelagi-
us autem in Britanniam proficiſcens, totam Inſulam errore ſuo infecit, adiuuante
eum Iuliano tanti mali comite & ſocio.

420. Sozimus Romanorum Epiſcopus, quò & ipſe memoriam ſui poſteritati re-
linqueret, in Eccleſia hos ritus veteribus adieciſſe fertur. Conſtituit primúm, vt
Diaconi, dum celebraretur, læuas tectas haberent linoſtimis. Conceſsit item,
vt in Parochijs cerei ſancto ſabbato benedici poſſent. Ne Clerici in publico bi-
berent vetuit: Ac ne ſerui in Clerum reciperentur, cùm huiuſmodi viros & libe-
ros & integros eſſe oporteret. Hæc Platina, qui & noſtri ſeculi ſtatum Romanæ
curiæ quaſi cum ſtomacho depingens, hæc addit. Aſciſcuntur nunc non mo-
dò ſerui, & vulgò concepti ac nati, verùm etiam flagitioſi omnes ex flagitioſo quo-
que geniti: quorum ſceleribus Eccleſia DEI magnum aliquod incommodum
tandem capiet. In quo quidem minimè falſus eſt Platina. Audiuimus enim no-
ſtro ſeculo, Cardinales è ſtupro, atque eodem inceſto natos, magno in honore
haberi.

421. Concilio quod Carthagini habitum eſt, ducenti decem & ſeptem Epiſcopi
interfuerunt, inter quos Aurelius Auguſtinus Hyponenſis Epiſcopus in primis emi-
tuit

tuit. Pelagiana hæreſis in vniuerſum damnata eſt, multæq; de ordinandis Epiſcopis, deq; Clericorum cauſis criminalibus, conſtitutiones factæ ſunt. Quibus & alia ſcitu non indigna ſunt admixta. Quorum primum eſt, quod Clericos & Epiſcopos Vxoratos fuiſſe docet, conſtitutione XII. quæ ſic ſonat: Item placuit, vt filij vel filiæ Epiſcoporum, vel quorumlibet Clericorum gentilibus vel hæreticis aut ſciſmaticis matrimonio non iungantur. Deinde ad hoc tempus Euchariſtia, etiam poſt cibum ſumptum, vſi ſunt, qui mos hoc concilio ſublatus eſt, vt Articulo XXIX. indicatur, qui & de Conſ. diſt. 1. refertur. Sacramenta Altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo Cœna Domini celebratur &c. Hæc præcipua ſunt eius conuentus acta.

Sozimo Papa defuncto grauis apud Romam orta in Clero ſeditio eſt. Nam 422.
dum Bonifacius in Baſilica Iulij Vrbis Romæ Epiſcopus creatur, Eulalius in Conſtantiana electus, huic ſtatim objicitur. Quod vbi Honorius, qui tum Mediolani erat, intellexiſſet, ambos ab vrbe pepulit. Reuocatus tamen ſeptimo menſe poſt Bonifacius ſolus vrbis præſul conſtituitur. Hic etiam ſacratiſsimas & valdè neceſſarias (ſi dijs placet) conſtitutiones fecit duas. I. Ne mulier vlla etiam ſacris initiata, quas Monachas vocant, pallam ſacratam altaris aut contingeret, aut lauaret. II. Ne ſeruus vel obnoxius Curiæ, vel obæratus, in Clerum reciperetur. His quidam & tertiam addunt, Neminem ſcilicet ante triceſimum annum ſacerdotem eſſe ordinandum. Hæc de illo. Quem ſecutus eſt Cœleſtinus patria Campanus. Hic ante ſacrificium pſalmos Antiphonatim ab omnibus canendos inſtituit, quod antè non 426.
erat in vſu. Epiſtola enim & Euangelio lectis Sacrificio finis imponebatur. In initio ſacrificij, vt Pſalmus, Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam &c. à Sacrificaturo diceretur, ordinauit. Graduale in Miſſa conſtituit. Vt Sacerdotes Canones ſcirent præcepit. Pelagianam hæreſim Anglia & Scotia expellere niſus eſt, miſsis eò Germano Antiſiodorenſe, & Palladio Epiſcopis.

Neſtorius Conſtantinopolitanæ Vrbis Epiſcopus, myſterium duarum in Chri- 432.
ſto Domino naturarum vnionis non intelligens, Deum ex Virgine natum eſſe negauit. Quo errore maximæ in Eccleſia turbæ ſunt excitatæ. Quæ Concilio poſtea apud Epheſum celebrato ſublatæ ſunt.

Memorabile eſt, quod Iudæis Cretam habitantibus hoc anno accidit. Se- 434.
ductor enim, quem quidam ipſum Kacodæmona fuiſſe putant, totam Inſulam anno integro peragrauit, Moſen ſe eſſe dictitans, qui Iſraëlitas olim per Mare Rubrum eduxiſſet ex Ægypto, miſſumque ſe denuò, vt diiperſos Iſraëlitas ad terram ſuam reduceret. Cumque miſeri Iudæi ſpe falſa ducti, nimis citò crederent ſeductori, omnia ſua bona alijs reliquerunt, ſtatoque tempore, omnes cum paruulis & vxoribus ſeductorem qui eos præcedebat ſequebantur. Ventum erat ad rupem quandam mari imminentem, ibi Pſeudomoſes præcipiebat eis, vt inuolutis ſe veſtimentis, in globorum modum, de rupe verſus mare dimitterent: Iis ſine mora obtemperantibus, multi in ipſis lapidum acuminibus colliſi interiebant, multi aquarum vorticibus abſorpti ſtultitiæ ſuæ pœnas dabant. Perijſſent multò plures, niſi Chriſtiani piſcatores, quoſdam in mari periclitantes, mortique iam propinquos, nauibus excepiſſent: Ii enim refocillati, ad ſuos redeuntes, dolum periculumque eis reuelarunt. Quibus agnitis, omnes furore accenſi, Pſeudomoſen ad necem quæritabant, qui nuſquam comparens, ſuſpicionem dedit, ſe Dæmonem fuiſſe erroneum, humana forma, vt commodius quæ vellet perficeret, apparere ſolitum.

Anni Christi.

tum. Hac tamen calamitate moti multi ex Cretenſibus Iudæis, ad fidem Chriſti ſunt conuerſi.

Quo pacto Burgundiones ad agnitionem Chriſti peruenerint, libet hîc pau-
434. cis indicare. Hunni in pace habitantes, Burgundios infenſis ſæpius vexabant incurſionibus, iĳ libertati diuturnæ aſſueti, aliorum auxilia, ne in ſeruitutem traherentur, inuocare, metu detinebantur. A Deo tandem qui eis auxiliari poſſet, ſubſidium petere propoſuerunt. Ac cùm audiſſent Romanorum Deum fortiſsimè ſuos defendere, in Galliam Catechumeni veniunt, fideiq; principia edocti, ſeptem quoq; dierum ieiuno præmiſſo, ſicuti ab Epiſcopo eius loci iuſsi erant, baptiſma ſuſcipiunt omnes. Ad ſua iuſſu Epiſcopi reuertentes, ſpeq; fiduciaque pleni, Diuinum ſibi adeſſe auxilium, in hoſtes eunt. Rex Hunnorum Suptarus nomine, ex nimia voracitate ea nocte corruptus, ac ad bellum omninò inutilis factus, exercitum ſuum deſtituebat. Irrumpentes igitur Burgundij, Hunnos ſine duce, ſine ordinibus agentes paſſim cædunt, ſternunt, profligant, eorumq; ad decem millia, cùm ipſi trium Millium numerum non excederent, vna nocte occidunt. Subſidium itaque hoc modo diuinum experti, tota Burgundionum gens feruentiſsimè in fide Chriſti in poſterum manſit. Habetur hæc hiſtoria, Trip. lib. 12. cap. 4.

435. Concilium Epheſinum, vnum ex quatuor principalibus, Theodoſij & Valentiniani Imperatorum iuſſu conuocatum eſt. Coierunt Epiſcopi plus minus ducenti, inter quos Cyrillus Alexandrinus, & Iohannes Antiochenus, nec non & Iuuenalis Hieroſolymitanus Epiſcopi clari fuerunt. Hi Neſtorij dogma ventilantes, quidam hæreſeos eum condemnarunt, quidam verò cum ipſo ſenſerunt. Videns tandem Neſtorius, maius ex ſciſmate periculum imminere, phraſin ſuam, quæ ſola hoc certamen mouerat, pacis ergò mutauit. Dixerat enim antè, Deum non eſſe ex Maria natum, ſed hominem. Quamuis non negarat, Chriſtum verum Deum & hominem eſſe. Tum verò palàm dixit: Dicatur etiam Dei genitrix Maria, & ea quæ afferunt diſsidium quieſcant. Ac quamuis hoc ſatis ad pacem eſſe potuerat, vicit tamen inuidia, qua eum plæriq;, maximè verò Cyrillus, inſectabantur, vt ipſe Neſtorius ab Eccleſia eiectus, pro hæretico damnatus, atque in Oaſiam Eremum exulandi cauſa miſſus ſit. Quomodo autem huius Concilij acta excipi debebant, docet Lutherus in libello de Concilijs.

436. Sixtus Romanus iniens pontificatum, intentata calumnia reus accuſatur à Baſſo presbytero. Cûm verò coram LV. (Speculum XV. tantùm numerat) Epiſcoporum Synodo cauſam dixiſſet, omnium ſuffragijs abſoluitur, Baſſo Valentiniani iuſſu in exilium pulſo. Hic (mirum) nullam conſtitutionem fecit. Baſilicam tamen Beatæ Mariæ Virgini extruxit, quæ nunc Sanctæ Mariæ Maioris appellatur, quam & fundis, argento & auro alijſque muneribus ornauit. Quæ enumerat Platina. Iulianum Athelenenſem iactantiſsimum Pelagiani erroris aſſertorem, Diaconi Leonis hortatu, arte & conſilio in omni ſuo conamine oppreſsit. Proſper in Chron.

Notandum eſt ibi de peregrinatione, quam ex Voto fecit Eudoxia Auguſta;
441. quantum iam tum inualuit ſuperſtitio, de viſitandis locis, quæ præ cæteris videbantur ſacra. Hoc primum, quod ego memini, exemplum eſt, ex voto factæ peregrinationis. Vouerat autem Eudoxia, ſe Hieroſolymas viſitare velle, ſi filiam vidiſſet viro elocatam. Quæ eodem anno Valentiniano Aug. nupſerat. Trip. lib. 12. cap. 15. Notandum etiam, quòd iam multo tempore, clarorum ſanctitate virorum cor-

pora

pora corporumue reliquiæ, magno in honore habita ſunt. Quod quamvis pio Zelo, piaq; obſeruantia factum ſit: Multùm tamen ea res Idolatriam apud poſteros auxit: Cùm vera de Chriſto doctrina eiuſmodi ſanctorum cultu obſcuraretur. *Anni Chriſti.*

Giezericus Vandalorum Rex Arriano furore imbutus, cùm Regnum Africæ ſumma poſsideret pace, ne non haberet quo ſanguinem funderet humanum, bellum aduerſus Chriſti milites mouit. Edictis primùm à Catholica fide tàm laicos 443.
quàm clericos deficere iubet. Quibus cùm nihil proficeret, Templa claudi prophanariq; iuſsit, Epiſcopis Presbyteris, Clericis quoq; omnibus bona ſua eripuit, vt egeſtate eos ad defectionem compelleret. Sed quia & hoc modo conſtantes in fide, in docendo & adhortando ſedulos videret Chriſti miniſtros, furore, vi & carceribus, ac armis deniq; rē aggreſſus eſt. Multis trucidatis variaq; morte damnatis, multos carceribus incluſos fame & vinculis confecit. Qui ex miſericordia captiuos viſitabant, aut palàm cæſi, aut cum ijs incluſi, ſimili pœna affecti ſunt. Multi ſunt proſcripti & in loca deſerta expulſi, quos pij homines relictis omnibus magno numero ſequuti, in deſertis conuentus egerunt, Verboq; Dei & hymnis ſeſe delectauerunt. Quibus armati milites immiſsi, omnes vbicunq; eos inueniſſent, trucidarunt. In ſumma, tanta crudelitate ac ſæuitia in vtriuſq; ſexus perſonas, Catholicam fidem profitentes, vſus eſt Tyrannus iſte Vandalicus, quanta ne Diocletianus quidem, nec vllus vel ſæuiſsimorum hoſtium Chriſti, ante ſe ſit vſus. Scribit huius perſequutionis hiſtoriam diligentiſsimè, Victor Vitenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui non multò poſt Giezerichi mortem, ſub Hunerico filio eius vixit.

Sixto mortuo Leo Diaconus in Pontificatu ſufficitur: hic facundia & morum ſanctitate præclarus fuit. Attilam, quod poſtea dicendum erit, ab Italia ſolis precibus remouit. Templa à Vandalis Romæ diruta & diſpoliata reſtituit, ornamentiſq; 444.
nouis cohoneſtauit. Apoſtolorum ſepulchris (vt putantur) Clerico cuſtodes adiunxit, quos cubicularios appellauit. In Miſſa canonem auxit. Hanc igitur oblationem &c. adiungens. De Monachis fœminis conſtituit, ne qua benedicto tegeretur velamine, niſi prius in comperto eſſet, eam LX. annos integrè caſteq; vixiſſe. Nullus Epiſcoporum in tanto honore apud Romanos habitus eſt, ante hæc tempora, vt hic Leo, etiam cùm adhuc eſſet Diaconus.

Eutyches Abbas in monaſterio apud Conſtantinopolim fuit. Is cúm videret 449.
Neſtorium ob id damnatum eſſe, quòd naturas in Chriſto ſeparaſſet, & quaſi duas perſonas effinxiſſet, æquè vt ille indoctus, à ſiniſtra lapſus eſt. Nam ne & ipſe ſentire cum Neſtorio putaretur, diuinam cum humana natura in idem compoſitum recidiſſe affirmabat, vnumq; factum, nec vllo modo naturas eſſe diſtinguendas. Hanc hæreſim cùm Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus damnaſſet, Theodoſio annuente, Synodus apud Epheſum indicitur, in qua Dioſcoro Alexandrino præſidente, Eutyches reſtituitur, Flauianus verò damnatur. Nicephorus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ continuator, vocat hoc Concilium Latrocinale, eò quòd Dioſcorus magno ab Imperatore exercitu ſtipatus ei præfuerit, ac plus viribus quam rationibus valuerit. Flauianus calcibus attritus á Dioſcoro, & mœrore ex iniuria confectus, tertio die pòſt mortuus eſt. Tandem propter Attilæ incurſiones Theodoſijq; mortem, Lis iſta in Eccleſia pependit, donec ad Martiani Imperium, qui à Leone Papa literis admonitus, maximam illam apud Chalcedonem, Patrum congregationem, quam quartam Synodum dicunt, conuocauit. In qua DC. & XXX.
Epiſcopi conuenerunt, qui vnanimi conſenſu decreuerunt, duas in Chriſto naturas 455.

 confi-

Anni Chriſti.

confitendas eſſe: Chriſtumq; vnum, eundemq; Chriſtum Deum & hominem cre-
dendum. Hinc Eutyches & Dioſcorus eius defenſor damnati, ambo honore pri-
uati ſunt, hic veró ad Gangras quoque in exilium miſſus eſt.

DE ATTILA HNNO-RVM REGE.

ATtila Hunnorum rex cum fratre Bleda regni conſorte, maximarum in cætera
446. Europa rerum potitus, vim omnem in Romanos vertit. Thracias primùm ex
Pannonijs, & Illyricum ſæua populatione deuaſtabat, omnia caſtella, oppida, vr-
beſq; munitas ſeruituti ſuæ ſubijciēs, ſola Adrianopoli & Heraclia, quæ olim Perin-
thus dicebatur, relicta. Theodoſius tantis viribus impar, eum quem contra Vanda-
los miſerat exercitum, è Sicilia reuocat. Sed adhuc non fidere audens tantæ ſe
bellorum moli opponere, legatos ad Attilam mittit, Sex millia librarum ei pro re-
ceſſu præbens, mille librarum annuum tributum pollicens, pacem coëmit. Tutu
455. itaq; ab Orientis patribus Attila fratrem è medio tollit, quò ſolus rerum dominus,
ea quæ vellet commodius ageret. Omnibus deinde collectis copijs, bellum in occi-
dentem transfert Germaniam cum Galijs miſerrimè diripiens. Nihilominus pa-
cem ſe cum Valentiniano habere ſimulans, cui & per legationem ſignificat, ideo ſ
Gallias & Hiſpanias petere, vt eas à Gothis vindicatas Romanæ Reipublicæ reſtitu
re poſsit. Sed doli eius Imperatorem non latuerunt. Itaq; celerrimè Theodoricum
Veſegothorum Regem, per Aëtium Patricium in ſuas partes traxit, atq; cum eo-
dem Aëtio cōtra Attilam, poſt vaſtatam fere omnem Galliam, Aurelianos iam ob-
ſidentem, direxit. Nec mora congregatis vndiq; bellatoribus, Aëtius cum Rege
Theodorico & eius filio Thuriſmundo obuiam Hunnis fortiſsimè pergit. Conu-
nêre hoſtiles exercitus in campis dictis Catalaunicis, Vbi conſerta incredibili pū-
gna, ab vtraq; parte C.&LXXXM. hominum bellatorum cæſa referuntur. Vicêre
Romani, fugato Attila. Theodoricus tamen Veſegothorum Rex eo in prælio ceci-
dit. Præclarum hinc fuit Aëtij nomen in tota Heſperia, quod tantam ei conciliauit
inuidiam, vt non multó pòſt, ab ipſo Imperatore ſit interemptus. Cum quo ſimu
omnis fortuna & virtus Heſperiæ corruit. Attila enim continuó reſumpta fiducia,
cruentus Italiam petit. Aquileiam captam funditus eradit. Ticinum atq; Medio
lanum regias vrbes excidit. Inde vaſtatis circumquaq; locis, cúm Romam quoque
pararet irrupere, Leo Magnus Papa miſſu Valentiniani ad eum acceſsit, eumque
precibus adeò mitem reddidit, vt illicò, permiſſa pace firmiſsima, ad Canubium
non rediturus abierit. Continó enim nouis domi celebratis nuptijs, ex crapula
ſanguinem fundens, rebus humanis exceſsit, & humani generis diutinæ vexation
finem aliquando vel mortuus attulit. Poſt mortem Attilæ, ut magnarum rerum
vicem æſtimes, omnes populi, ab ipſo ſub Hunnorum poteſtatem coacti, Oſtro
gothi primùm, quorum rex erat Valamir, Hinc Gepidæ cum rege Andarico, ab
Hunnis defecerunt: quod factum ſtatim Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli &
Turcilingi imitati ſunt. Hunni à Gothis quoq; & Gepidis Pannonia pulſi, non tan
tūm potentia, ſed ipſo quoq; ſolo exuti & priuati ſunt.
458. Poſt Aëtij mortem, quem Valentinianus, vt dictus eſt, interfici curauerat, re
Romana per totum Occidentem corruere cœpit. Ac quamuis ab Attila nihil me
tus eſſet reliqui, aliæ tamen gentes multò pernicioſiores Reipub. (eò quód partim
in Sinu Imperij, partim verò in ijs Imperij regnis, quæ deſtituta omni ſubſidio erā

agebant

agebant) direptum Occidentis Imperium in varia Regna diſtraxerunt. Franci enim Gallias, Angeli & Scoti Britanniã nullo reſiſtente occuparunt. Vandalis iam tum Africam: Gothis, Sueuis cum Alanis Hiſpaniam poſsidentibus. Huic intempeſtiua Valentiniani mors acceſsit. Ipſe enim ab Ætij fautoribus occiſus interijt. Quidam ſtrangulatum, quidam alio mortis genere extinctum aiunt. Hinc inter principes Romanos de ſumma Imperij certatum, vt in Chronologia vides, nullum, qui poſt hæc regnauit, diu Imperio potitum, donec ad Herulorum ius tota Italia peruenerit. Poſt Valentiniani mortem, Giezerichus Vandalorum & Africæ rex, tranſito mari Romam inuaſit, direptis omnibus, tàm ſacris quàm prophanis, omnes vrbis Theſauros, omnia Imperij ornamenta, in ſignum proximè inſtantis Rom. rerum caſus, in Africam abduxit. Sic Roma exinanita, iniurijs omnium ac incurſationibus patuit.

Hilarius Romanæ Eccleſiæ pontifex multis Romam, à Vandalis exhauſtam, ornamentis illuſtrauit. Baſilicas in primis nouo ædificiorum genere, quæ ſacella vocant, gemmis auroq; diſtincta, ac varijs inſuper, vel ex argento, vel auro, vel lapide precioſo formatis animalium, aliarumq; rerum formis, in uſus varios, ijſdem ſacellis impoſitis, exornauit. Tres Epiſtolas de fide Catholica ſcripſit, quibus confirmauit Concilia, Nicenum, Epheſinum ac Chalcedonenſe. Superiorum Pontificum decreta in Synodo L. Epiſcoporum, Romæ in Baſilica S. Mariæ congregata pronunciauit ſanctè obſeruanda, publicauitq; per vniuerſum orbem. Capita verò decretorum, quæ in omnibus Eccleſijs publicauit, hæc ſunt. Canones Niceni Concilij ſanctè colendos & obſeruandos eſſe. Pœnitentem non admittendum ad Sacros ordines. Ignaros literarum, Corporiſq; aliquo membro carentes, non eſſe ſacris initiandos. A defuncto Epiſcopo ordinata illicitè, iure à ſuperſtite corrigi. Ne Epiſcopus ſibi ſucceſſorem eligat: Nulluſq; Epiſcopus ſine Metropolitani conſenſu ordinetur. In vna Eccleſia duos Epiſcopos non eſſe conſtituendos. Ad ſacerdotium illi non eſſe aſpirandum, qui non duxerit Virginem in Vxorem. Ab officio ſacerdotali repellendũ, qui vel viduam vel repudiatam duxerit. Vna Eccleſia relicta, alterium curam ſumere nemini liceat. Hinc Irenæum de Epiſcoporum collegio exclusit, quòd vna Eccleſia deſerta, ſe ad aliam ambitioſius coutulerat. Celebrata eſt hæc Synodus anno Chriſti 470. Fl. Baſilico & Herminericho Coſs. lib. Concil. 465.

Timotheus Herulus, perfidus quidam homo, cúm recta ad Epiſcopatum via pergere neſciret, neq; poſſet, honoris tamen cupidiſsimus eſſet, noctu cellulas monachorum circumbat, vnumquemq; ex nomine vocans: quo reſpondente, dicebat, Angelum Domini ſe eſſe, adhortabaturq; eos, vt à Proterij Alexandrini Epiſcopi communione diſcendentes, Timotheum Herulum Epiſcopum facerent. Hi cûm viſionem nocturnam in vulgus ſpargerent, magna leuiſsimæ multitudo turbæ Timotheo adhæſit, quam muneribus ac pollicitationibus firmius ſibi adhærere fecit. Nactus igitur aliquam potentiam, vi Epiſcopatum inuadit: Proterium pietate clarum, in die paſchatis ad Baptiſterium fugientes, in ipſo ſacratiſsimo die ac loco neci tradidit, ſex alijs quoq; cum ipſo occiſis. Cadauer Epiſcopi reuerendi, funibus per publicum tractum, ſine omni miſericordia igni quoq; crematum eſt. Ex eo tempore Chalcedonenſi Concilio derogauit, cúm omnes alij totius orbis Epiſcopi ipſam amplecterentur. Qin & Cyrilli magni ſcripta, cúm ea nondũ publicata inueniſſet, multis in locis ab ipſo corrupta feruntur. Tandem per integrum ferè annum ita graſſatus, à Leone Imperatore Cæſaream vocatus, vnà cum ſocijs qui in 467.

Proterij

Anni Christi.

Proterij necem conſpirauerant, in exilium miſſus eſt, mutilatis prius ſociorum linguis. Hæc ob id retuli, vt videret lector, quanta potentia tunc temporis regnarit Antichriſti Spiritus &c.

471. Simplicius Papa Romanus, anteceſſorem ſuũ imitatus, Sanctorum templa ædificauit. Sacerdotibus hebdomadas partitus eſt primus & iuſsit, vt hebdomadatim ad S. Petrum, Paulum & Laurentium manerent, propter pœnitentes, & eos qui Baptiſmum poſcerent. Vrbem deniq; in quinq; Regiones Presbyteris diuiſit, vtpote, Petri, Pauli, Laurentij, Iohannis Lateranenſis, & S. Mariæ Maioris. Hanc tandẽ conſtitutionem addidit, quam Gregorius inde & alij Pontifices confirmarunt, Ne quis Clericus ſacerdotij poſſeſſionem à Laico acciperet. Item, Ne quis inuitus, ad Epiſcopatum pertraheretur. Huic primo (ſi Platinæ credimus) inter Romanos Epiſcopos, ab Accacio Conſtantinopolitano, & Thimotheo Antiocheno Epiſcopis, Primatus honor oblatus eſt.

474. Petrus Gnapheus Presbyter Conſtantinopoli fuit. Is Zenonem Imperatorem, cui familiaris erat, precibus induxit, vt aliquot millia peruerſorum hominum mercede ei conducere liceret. Quo impetrato, confeſtim in eos, qui Chalcedonenſi Concilio adhærebant, inſurrexit, præcipuè autem in Martyrium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum ſæuiebat. Sedem enim illius inhiabat. Diſsidio itaq; inter populum Antiochiæ facto, Martyrius pius Epiſcopus officio renunciauit, dicens Clero non ſubdito & populo diffidenti, & Eccleſiæ ſqualenti abrenuncio, ſeruans mihimet ſacerdotij dignitatem. Quo diſcedente Petrus Gnapheus Thronum eius inſilijt, ac cuncta perturbauit. Audiens verò hæc Imperator, cuius familiaritate fretus Petrus hæc patrauerat, ſtatim in exilium eum propelli iuſsit. Quod is fuga præuenit, multis antea cædibus in Antiochia cauſatis, Cùm nunc hos, iam illos anathemate feriret. Similes Eccleſiarum perturbatores, noſtra hæc præſentia tempora, quibus viuimus, permultos habent, quamuis non tantum valeant, cùm viribus ſint minores. Sed de ijs, iuuante Domino, ſuo loco & tempore, ſi viuere datur. Nunc ad ea quæ res poſcit.

476. Quæ ſuprà de Giezericho & eius in Catholicos perſequutione, dicta ſunt eadem filius eius ſuccedens Honorichus per imitationem in Chriſtianos exercuit. Sed quia longior eſt hiſtoria, quàm quæ huic operi poſsi inſeri, atq; eadem vt à Victore ſcripta eſt, paſsim extet typis publicata, minimoq; ære poſsit comparari, eò lectorẽ remitto: Vnico hoc adiecto, quòd Tyrannus ille Honorichus, morte ſatis miſerabili, ſed tantorum ſcelerum digniſsima, vitam octauo Regni ſui anno finiuit. Nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis eius videbantur mandari ſepulturæ. Sed & hoc prætereundum non eſt: Quód multis in hac perſequutione linguæ ſunt mutilatæ, quibuſdam quoque penitus abſciſſæ qui diuinitus tamen curati, etiam ſine linguis locuti ſunt.

Cùm iam Romanorum in occidente rueret Imperium, dum alius alteri inſi-
480. diatur, Odoacer Herulorum rex, quem quidam Saxonem, quidam verò Rugium fuiſſe tradiderunt, qui tum temporis totam penè Germaniam obtinebat, magno cum exercitu Italiã intrauit: Victorq; primus ex peregrinis dominis Romã poſſedit. Atq; is vnus ex illis eſſe mihi videtur, de quibus in Apocalypſi cap. 17. dicitur, Quinque ceciderunt &c. Nam cùm ibi ſermo ſit, de Romano imperio, quod fuit & non eſt, & tamen eſt &c. Ego de eo Imperio intelligo, quod poſt Auguſtulum enatum eſt. In hoc quinq; diuerſorum populorum dynaſtiæ conciderunt

priuſquam

priuſquàm à Germanis occupatum,&Electoria dignitate corroboratum fuit.Fuerunt autem quinq; illi qui ceciderunt, Herulus de quo nunc dixi, Gothus alter, Græcus cũ Exarchatu tertius,Francus ſub Pipino,&eius nepotibus quartus, Quintus verò Longobardus,ſub Berengariis. Hi enim omnes ſucceſsione Romã obtinuerunt,Donec Saxones eam per Othones occuparunt, ex quibus tertius Otho Electores inſtituit, ſub quorũ tutela Occidentis Imperium,vſq; ad Carolum Quintum firmiter ſtetit. Appropinquante verò die nouiſsimo, ac mundo ad interitum inclinante, omnia nunc turbantur, donec ſeptimus veniat, Qui non diu manſurus eſt. Quis verò hic fuerit, meum non eſt diuinare.

Accacius Conſtantinopolitanæ Vrbis Epiſcopus, Petro Moggo,qui Calcedonenſi Concilio aduerſabatur, communicans,magnas in Eccleſia Dei diſcordias 481.
& rixas excitauit. Fueruntq; hæc tempora,apud Antiochiam & Alexandriam quò ad Eccleſiæ ſtatum, turbulentiſsima.Moggus enim vi in Alexandrinam ſedem intruſus eſt. Quem Monachi Zelo pio ferueutes, poſt trigeſimum Epiſcopatus diem, de ſede pepulerunt, ac Timotheum,quem is antè dejecerat,reſtituerunt. Huic ſuffectus eſt Iohannes quidam Tabenneſiotes,vir tam doctrina,quàm puritate fidei clarus,quem Zeno Imperator,ab Accacio Patriarcha Petroq; Moggo blanditijs victus, ab Eccleſia remouit, ac Petrum Moggum turbatorem eidem reſtituit. 482.
Sed Antiochiæ res non meliores fuère. Stephanus enim pius eius ſedis Epiſcopus, Petri Gnaphei hominis itidem turbulenti fauore, à populo tanquam Neſtorianus 484.
accuſatus eſt apud Zenonem. Sed hunc Laodicena Synodus ad diſcutiendam eius cauſam conuocata, abſoluit, innoxiumq; ſedi ſuæ reſtituit. Qui tamen non diu ſuperuixit. Mortuo itaque Stephano,Stephannm alterum pro eo conſecrauerunt, quem inimici fidei, vt Nicephorus inquit, voto quo erga Gnaphea flagrabant, in Natatorio ſancti Martyris Barlæ calamis acutis trucidantes,in Orontem fluuium proiecerunt, furore armantes amentiam. Sed & Gnapheus hac vſus arte,ſedem non obtinuit. Quia AccaciusPatriacha Zenonis iuſſu, Calendionem quendam nomine ad ſedem Antiochenam promouit. Cumq; res magis quàm dici poteſt, vndiq; in Orientis partibus,atq; in Ægypto turbatæ eſſent,& Accacius in dies maiora tentaret, Orientis quidam Epiſcopi rem ad Felicem Romanum Pontificem etulerunt, qui Synodo conuocata,Petrum Moggum tanquam hæreticum ab Eccleſia eijciendum cenſuit: Miſsiſq; duobus Legatis Epiſcopis ad Zenonem, hæc ſignificat Zenoni & Accacio: qui furore correpti, legatos carceri apud Abydum ncludunt: Tandemq; vi compellunt eos,PetroMaggo & Accacio communicare(Plantina &alij quidam pecunia corruptos aiunt.) Quod Felix reſciſcens,eoſdē egatos ab officio depoſuit. His & eiuſmodi contentionibus Eccleſia tum temporis diuexata eſt, Cùm foris pacem haberent Epiſcopi, inter ſemetipſos ſeſe commordentes, vnus alterum ex inuidia & ambitione deuorauit. Quod propterea reuli,vt ſtatus Eccleſiæ ſeculi iſtius, noſtris innoteſceret.

Interea Gundamundus Vandalorum ac Africæ Rex,patruo Honoricho ſuccedens,multò atrociora in Chriſtianos,quàmGiezerichus & Honorichus anteceſſores ſui, perpetrauit. Quod Procopius lib. 3. de rebus Vandalicis,paucis indicat, 484.
dicens,Chriſtianos imitatione ſuorum ſupplicijs etiam maioribus afflixit.Plura de hac perſequutione non reperi.

De Felice Pontifice Romano,hæc, præter ea quæ dicta ſunt,referuntur:Quod Presbyteri filius fuerit, & Eccleſias ab Epiſcopis tantùm conſecrandas eſſe ſta- 486.
tuerit:

Anni Christi.

tuerit: Apud Iudicem accuſato ad reſpondendum inducias dari cenſuerit. Et quód iudices & accuſatores à ſuſpicionibus liberos eſſe voluerit. Baſilicam quoq; S. Agapiti extruxerit.

494. Xenaias natione Perſa dominum ſuum fugiens, in villis circa Antiochiam, ſub Calendione Epiſcopo ſeſe continuit, ac ſimplices homines à fide retraxit, presbyterum ſe eſſe mentiens, cúm nondum baptizatus eſſet. Sed Calendio actus eius cognoſcens, è regione eum expulit: quo facto nomen eius magis apud exteros innotuit. Ac cùm non multò pôſt, Zeno Imperator pleroſq; Orientis Epiſcopos, eo quód peruerſam eius opinionem recipere nollent (Chalcedonenſi enim Concilio aduerſabatur) ab Eccleſijs deijceret, Calendio quoq; ab Antiochena ſede ex pulſus eſt. Inq; locum eius Petrus Gnapheus, de quo ſuprà memini, indroductus. Is Xenaiam re vocauit, eumq; Hieropoleos Epiſcopum conſecrauit, ac mutato nomine Philoxenum appellauit. Cumq; reperiſſet, nondum eum baptizatum eſſe, ſufficere ei, dixit, pro baptiſmate, conſecrationem, qua Epiſcopus factus eſſet. Quæ res maximum Antichriſti iam regnantis manifeſtumq; eſt indicium. Porró is Xenaias primus in Eccleſia bellum contra Imagines excitauit. Quod deinceps maximos in Eccleſia tumultus dedit, ac totum denique, quod adhuc ſupererat Romani in occidente Imperij, ab orientis Imperatoribus alienauit, de quo ſuo loco dicendum.

495. Gelaſius Valerij Africani Epiſcopi filius, Romanus Pontifex poſt Felicem ſedit. Hic Manicheos Romæ depræhenſos exilio damnauit, & libros eorum publicè combuſsit. Qui libri authentici & Apocryphi in Eccleſia habendi ſint, declarauit. Bigamos ad ordines Eccleſiaſticos non admittendos, ſine Rom. Pon. diſpenſatione, cenſuit: Præfationem Miſſæ, Verè dignum & iuſtum eſt &c. inſtituit. Te igitur clementiſsime Pater &c. in Miſſa addidit. Rat. diuin. Vrbem Romam, cúm fames iuualuiſſet, ab inopia liberauit. Scriptis contra hæreticos pugnauit, eloquio & in pauperes beneuolentia, multos anteceſſorum ſuorum præcelluit. Anaſtaſium tandem Orientis Imperatorem, quia hæreticis & Arrianis faueret excommunicauit: quod aliquot inde ſeculis ſuccedentes Pontifices exemplum ſibi ſumentes, innocentes quoque Imperatores, quod libidini ſuæ non parerent, anathemate ferre auſi ſunt.

495. Eodem anno Theodoricus Oſtgothorum rex Italiam occupauit (quam pridem à Zenone in poſſeſsionem, ſi ab Herulorum poteſtate eam vindicaret, acceperat) non tamen ſine ſanguine. Nam cùm tertio antè anno, cum exercitu Gothorum omniq; eorum ſubſtantia, ad Italiam pergeret, Traſillam Gepidarum regem hoſtem eſt expertus, quem inſidias ſibi molientem bello victum occidit. Poſt quem & Buſam Bulgarorum regem obuiam habuit, quem magna cum ſuis agminibus cæde proſtrauit, vt Diaconus dicit. Ingreſſus inde in Italiam, cúm ad Sontium flumen, quod non procul ab Aquilea labitur, caſtra firmaſſet, longoq; fatigatum itinere exercitum reficeret, Odoacrum cum omnibus totius Italiæ viribus obuiam ſenſit. Quem Theodoricus alacriter excipiens, magno ſuperatum prælio poſtremò in fugam conuertit. Exinde cúm Veronam mouiſſet exercitum, iterùm aduerſus eum Odoacer non minori, quà prius, belli ſeſe apparatu opponit. Contra quem Theodoricus, haud procul Veronenſi vrbe, confligens, maxima eius exercitum cæde contriuit, Ipſumq; pariter & omnem illius multitudinem terga dare coëgit. Qui dum fugæ metu, ſe præcipites in Atheſim fluuium mergunt, ex magna parte rapitiſsimis gurgitibus impliciti, ſuffocantur. Theodoricus verò, dum ip-

impe-

impetu ſubſequitur fugientes, Veronam ilicò, pauore ciuibus conſternatis inuadit. Odoacer autem cum ijs, qui euaſerant, fugiens, Romam contendit. Sed obſeratis continuò portis, excluſus eſt. Qui cùm ſibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio flammiſq; conſumſit. Inde quoque regrediens, Rauennam ingreſſus eſt: ibiq; quibus ſe aduerſum hoſtes tueretur, munitionum præparare obſtacula cœpit: Theodoricus itaq; à Verona digrediens, Mediolanum peruenit: vbi cùm conſiſteret, magna ad eum multitudo militum, pluresq; Italiæ populi conuenere. Sed paucis interiectis diebus, rurſus qui ſe dediderat exercitus, Tuſa quodam nomine inſtigante, Odoacri ſe partibus reddidit. Ea res Theodoricum in tantum perterruit, vt ſe ſuumq; exercitum apud Ticinenſem vrbem muniret. Talium rerum viciſsitudines Burgundionum rex Gundobaldus aduertens, Liguriam cum ingenti exercitu ingreſſus, cuncta quæ reperire poterat, pro voluntate diripiens, infinitam ſecum ad Gallias captiuorum multitudinem abduxit. Theodoricus itaq; aliquandiu intra munitiones exercitum retinens, demum relictis ibi matre, ſororibus, vniuerſaq; vulgi multitudine, cum expeditis armatorum copijs, ad Rauennæ, vbi Odoacer erat, obſidionem perrexit, dumq; eo loco, cui Pinetum nomen eſt, non procul ab vrbe caſtra poſuiſſet, per continuum ferè triennium Odoacrum obſedit. Qui cum frequenter ex vrbe cum ſuis erumpens exercitum Theodorici inquietaret, nouiſsimè noctu in caſtra irruens, magna Gothorum exercitum ſtrage proſtrauit. Victus ad extremum fortiſsimè Gothis reſiſtentibus, in vrbem confugit. Nec multò póſt inter vtroſq; pax facta, vt æquo iure, tám Gothus quàm Herulus Italiam poſsideret. Qua tamen pace Herulus non diu vſus eſt. Inuitatus enim à Theodorico ad cœnam Odoacer: cúm inſidiarum eum ſuſpectum haberet, contra fidem truculenter eum occidit: Herulisq; extra Italiam & locum & regem dedit: Ipſeq; ſolus tota Italia cum vrbe Roma potitus eſt. Atque tum hoc cœpit altera poſt Imperium dynaſtia apud Romanos, de qua ſuprà in Odoacro dictum eſt &c.

Anaſtaſius Rom. Pontifex, nihil conſtituit, quod referatur: Imperatorem tamen Anaſtaſium excommunicaſſe fertur. Cæterùm quæ Platina de eo ſcripſit, quomodo ab Accacio Conſtantinopolitano ſeductus ſit &c. vera eſſe non poſſunt, cùm Accacius ſeptimo ferè anno prius mortem obierit, quàm hic Pontificatum Romæ ſuſceperit. 500.

Symmachus ſucceſſor eius, magna Cleri diſcordia Pontificatum accepit. Nam cùm ipſe in Baſilica Conſtantiniana eligitur, coitur ab alijs in Baſilica Mariæ, ibiq; Laurentium Pontificem creant. Hæc diſſenſio quia totam ciuitatem in diuerſa ſtudia diſtraxit, ideo Synodus Rauennæ indicitur, in qua Symmachus, totius Concilij ſuffragijs, pontificiā dignitatem retinuit. Quò verò & Laurentium competitorem placaret, Nuceriæ Epiſcopum eum fecit. Quarto anno poſt ſopitam diſcordiam, Laurentiana factio Laurentium Nuceria Romam accerſit, Probino & Feſto vrbis Coſs. ſic iubentibus, & contentionem renouant. Theodoricus autem Rex ſeditionis pertæſus, mittit Petrum Alcinatem Romam, vt Symmacho & Laurentio pulſis, ipſe Pontificatum occuparet. Symmachus verò in conuentu CXX. Epiſcoporum Romæ habito, tàm accuratè cauſam dixit, vt omnium calculis Pontifex decerneretur, Laurentio & Petro Alcinate relegatis: ob quam rem ſeditio plus quàm antea increuit: à conſilio ad arma itum, cruor vtrinq; fuſus eſt, atq; ita deſæuitum vt etiam factiones in ſacras virgines ferrum ſtringerent. Quam tandem ſedi- 502.

Anni Christi.

tionem Fauſtinus conſul compeſcuit. Plat. & Sabell. Symmachus ergo, ſtabilita di-
gnitate pontificia, Manicheos vrbe expulit, libroſq; eorum combuſsit, Decretaq;
tulit, quibus ambitum & ſcandala præuenire cupiuit. Decreuit enim, Ne viuo Pon-
tifice conſilia mouerentur, de electione noui Pontificis, atq; hoc ſub Anathematis
pœna confirmauit, Quo decreto ſatis docet, quàm ſtudioſè ambiuerint ſedem Pon-
tificiam Romanæ Eccleſiæ boni illi patres. Deinde ne mulieres, niſi eiuſdem ſan-
guinis eſſent, Clericis cohabitarent ſtatuit. Quam legem procul dubio ſua caſtitate
Clerici cauſarunt. In dominico die & ſanctorũ natalitijs, Gloria in excelſis, in miſ-
ſa canendum edixit. In pauperes valdè fuit beneuolus, ita vt Epiſcopos & Clericos
ex Africa & aliundè eiectos, ad ſe vocatos ſtudioſè nutriuerit, Domoſq; pro pau-
peribus Romæ inſtituerit, quarum adminiſtrationem paſtoribus Eccleſiarum com-
miſit, Baſilicas multas è fundamento inſtaurauit.

Ab eo tempore in Conſulum ſerie ab alijs mihi diſcedendum fuit, vt quili-
bet, ſi noſtra cum alijs conferat, facile videre poteſt. Sed vt huius facti cauſam ha-
beas, paucis hæc accipe. Codice in Epiſtola ad Præf. Prætorij Mennem, Decius ſo-
lus Cos. fuiſſe traditur, indictione ſeptima. Hunc alij quarto anno pòſt ad vnde-
cimam indictionem poſuerunt. Hunc errorem cernens, quæſiui qua ratione
veritas inueniretur. Ac poſt diligentem inquiſitionem, vidi poſt Conſulatum Io-
hannis & Paulini, qui in annum Vrbis 1253. incideret, ab Haloandro ſuperfluè
poſitum eſſe. Nullibi enim eius fit mentio, neque Caſsiodorus, qui ijs tempori-
bus vixit, quicquam de eo habet. Atque hoc modo vnum annum exemi ab erro-
re. Deinde vidi, eundem Haloandrum circa annum 1268. Conſulatum Senatoris &
Caſsiodori in duos diuidere, cùm tamen ſimul Conſulatum geſſerint. Sed error è
Caſsiodori verbis enatus eſſe videtur, cùm ita ſcribat: Senator. V.C Cos. ac ſtatim
ſubiungat, Me etiam Cos. in veſtrorum laude temporum, adunato Clero vel po-
pulo Romanæ Eccleſiæ redijt optata concordia. Illud, Me etiam, non animaduer-
ſum, quod hanc ſententiam priori annectit, diuiſioni cauſam præbuit. Deinde in
conſulatu Petri V.C. idem accidit. Nam eodem anno Eutharius Cillica cum Iuſti-
no Conſulatum geſſerunt, vt ex Caſsiodoro palàm eſt, atque hoc modo tres anni
quibus Decius Cos. poſterior ab Haloandro poſitus eſt, à me animaduerſi, corre-
ctioni locum præbuerunt. Quod ne curioſus ad calumniandum moueret, hîc indi-
510. care volui.

Notabile eſt, quod à Nicephoro, & ab alijs compluribus refertur, de quodam
ab Arrianis baptizando, cui aqua diuinitus ſubducta eſt, de quo Nicephorus ſic
ait. Deuterius Arrianorum Epiſcopus Bizantij baptizans quendam virum, nomi-
ne Barbam, præter dominicam traditionem auſus eſt dicere: Baptizo te Barba, in
nomine Patris, per Filium, in ſancto Spiritu: & ſtatim lauacrum exiccatum eſt.
Barbas verò timore perterritus fugit, & omnibus notum fecit miraculum. Hæc
Nicephorus. Cæteri ad veram fidem hunc Barbam conuerſum tradunt. Sed & hoc
loco notandum, quòd Paulus Diaconus in ſua hiſtoria, eum qui baptizauit hoc
loco Barbam vocat, ſed procul dubio ex errore, quem & alij ſecuti ſunt. Quorum
ſcripta ego quoque imitatus, ſimili errore Barbam Arrianum &c. in Chronologia
vocaui, qui alium baptizare voluerit, cùm ipſe fuerit baptizandus à Deuterio Epi-
ſcopo &c. Quare locum iſtum ſic corrigito. Deuterius quoque Arrianus, dum inter
baptizandum &c.

513. Anaſtaſius Imperator, Chalcedonenſis Concilij, imò totius veræ religionis

hoſtis

hoſtis,ad Xenaiæ (de quo ſuprà) petitionem, Synodum Epiſcoporum apud Sidonem conuocat. In qua magna ex parte ij conuenerunt, qui cum Imperatore Ventrem Deum magnum colebant,atq; ob id impio adulabantur Principi. Hi Chalcedonenſe Concilium omninò condemnarunt. Atq; eo veſaniæ impulerunt Anaſtaſium, vt Flauianum Antiochiæ & Heliam Hieroſolymarum Epiſcopos, alias pietatis haud contemnendæ viros, vi, ad condemnationem eiuſdem Chalcedonenſis Synodi,compelleret. Tantum valuit iam tum Antichriſti Spiritus.Plura vide apud Nicephorum in Anaſtaſio,Quomodo Princeps impius pios quoſque Epiſcopos exilijs condemnarit, atq; ſuæ impietati fauentes in eorum loca ſubſtituerit. Eiecit enim Conſtantinopoli Macedonium, Antiochia Flauianum, Hieroſolymis Heliam &c.ijsq; ſceleratiſsimos nebulones ſuffecit.

Cùm Alamundarus Saracenorum rex ab Orthodoxis baptizatus eſſet, Chal- 515.
cedonenſis Concilij hoſtes, duos ſuæ blaſphemiæ Epiſcopos ad eum miſerunt, vt pium principem, ſtatim ab initio confeſsionis ſuæ, à veritate retraherent (Tanto quærit ſtudio ſuos hominibus obtrudere errores malicia) Sed is melius inſtitutus, mirabiliter eos erroris coarguit. Fabulam eis huiuſmodi objiciens. Cum illi ſeriò diſputarent, dixit eis: Literas accepi hodie, quæ indicant, Michaëlem archangelum mortuum eſſe. Illis verò contradicentibus,Hoc impoſsibile fore: ait Princeps, & quomodo Deus ſecundum vos nudus crucifixus eſt, niſi naturarum duarum eſſet Chriſtus,quandoquidem nec angelus moritur? Ad hoc cùm non haberent quod contradicerent,cum confuſione receſſerunt.

Hormiſda Rom. Pontifex, Theodorici iuſſu prouincialem Synodum in vr- 516.
be habuit, omniumq; conſenſu, Eutychianos iam antea improbatos, damnauit: Iohannem quoq; Conſtantinopolitanum Epiſcopum,literis & nuncijs adhortatus eſt, vt ab eadem hæreſi deſiſteret, crederetq; duas in Chriſto naturas eſſe, diuinam & humanam:Sed Iohannes non paruit, Anaſtaſij viribus fretus, qui legatos Hormiſdæ Epiſcopos duos, & Presbyterum vnum cum Diacono vno, contra ius gentium magna contumelia affecit: Reiectos enim à ſe,naui quaſſa & rimoſa, ea conditione nauigare iuſsit, vt recta in Italiam redirent, nec vllum Græciæ littus attingerent. Hæc etiam eiſdem mandata ad Pontificem dediſſe referunt, vt ſciret, Imperatoris proprium eſſe imperare, & non imperata Pontificis aut cuiuſuis alterius accipere. Ob quam contumaciam Fulmine ictus,peruicaciæ ſuæ pœnas dediſſe creditur Anaſtaſius.Ad Hormiſdam redeamus,IsManicheos repullulantes Romæ damnauit,libris eorum ante Baſilicam Conſtantinianam combuſtis. In Romana Synodo conſtituit, ne ad ſacros ordines admitterentur,qui ſolenniter in publico pœnituiſſent, ne ordo Clericalis malè audiret propter eos, qui crimine aliquo eſſent notati. Nuptias publicè, non occultè fieri præcepit. Ne altaria ſine Epiſcopi aſſenſu erigerentur, ſtatuit: Hoc tempore monachi è Scytia Romam veniebant,quos Dioſcorus, Romani Pontificis legatus,Neſtoriana hæreſi corruperat, vt Pontificem ſuper eius Sectæ doctrina conſulerent. Pontifex autem cognito in monachis perſiſtendi ſtudio, in concepta opinione, vitauit eos, nec dignatus eſt ſuo colloquio. Ob quam cauſam Monachi in Pontificem commoti publicè obloquebantur ei, paſsimq; querebantur, ſe non audiri.Cumq; hoc ad quatuordecim menſes Romæ commorati ſedulò feciſſent, ac non ceſſarent diſsidiorum ſemina ſpargere, & ſugillare Pontificem, ex vrbe eiecti ſunt. Qua de re ipſe Hormiſda ſcribit in Epiſtola ad Poſſeſſorem Epiſcopum,in qua Monaſticam hypocriſim acriter perſtringit.

 Iohan-

ANNI Chriſti.

Iohannes primus eius nominis Rom. Pontifex, præter quædam ædificia Ec-
cleſiaſtica nihil poſt ſe memoriæ dereliquit, niſi quòd à Theodorico in carcere ad
525. moriendum, vt mox dicetur, compulſus eſt. Cuius rei cauſa, cùm & ſcitu dignam
526. in ſe complectatur hiſtoriam, longius indicanda erit. Iuſtinus Imperator Ortho-
doxæ fidei diligentiſsimus obſeruator, vt tandem hæreticorum nomen extingue-
ret, Arrianos expulit, eorumq; Eccleſias Catholicis aſsignauit. Quam rem Theo-
doricus ægrè ferens, Iohannem Pontificem, Theodorum quendam, duoſque Aga-
pitos, Conſularem vnum, Patricium alterum, oratores ad Iuſtinum mittit, qui e-
um adhortarentur, vt Arrianos reſtitueret: ſin ſecus animatus eſſet, ſciret ſe omnes
Italiæ Eccleſias, Catholicas præſertim demoliturũ. Magnificè & perbenignè primò
quidem excepti legati ſunt: qui vbi rationem legationis expoſuêre, cùm flectere
Iuſtinum non poſſent, ad lachrymas verſi ac ſuppliciter petentes, vt perituræ Ita-
liæ, vnà cum Catholicis omnibus, ſubueniret: eò tandem pium hominem perpu-
lêre, vt velle ſeſe Arrianos reſtituere, eosque viuere ſuis legibus & inſtitutis ſinere,
promitteret. Quod an factum ſit poſtea, incertum eſt, cùm alius neget, alter affir-
met. Ego quidem ob celerem Theodorici interitum, Arrianos reſtitutos eſſe,
non crediderim. Præſertim cùm ex hoc tempore, nulla penitus eorum fiat men-
tio, quòd potentes fuerint, vt hactenus. Sed ad Theodoricum redeo. Is abſente
Legatione illa, Symmachum & Boëtium viros Conſulares, quos ob ſuſpicionem
affectatæ libertatis, antea in exilium miſerat, Rauennam reuocauit, eosq; carceribus
incluſos, ad extremum gladio vita priuauit. Iohannes autem ex Legatione Ra-
uennam rediens, in carcerem properè conjicitur: ac parùm abfuit, quin eum ſta-
tim occideret Theodoricus, adeò in hominem exarſerat, & fide & moribus cum
Iuſtino ſentientem. Perijt tandem venerandus Pontifex in carcere, pedore, ſitu &
inedia. Quam quidem Theodorici ſæuitiam, ira diuina, non ita multò pòſt, gra-
uiore pœna compeſcuit. Nonageſimo octauo enim poſt hæc die, ſubita morte de-
functus eſt. Ac ſunt qui animam eius à ſolitario quodam viro ſanctitate eximia vi-
ſam eſſe dicant, apud Lyparam inſulam, eamq; inter Iohannem Papam & Sym-
machum deductam, & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demerſam.
Cuius rei fides penes autorem eſto.

Sub idem tempus Zates Lazorum rex, qui Perſarum imperio ſuberat, Con-
ſtantinopolim venit, Baptiſma à Iuſtino, & inſtructionem in fide Chriſtiana petij-
quem Imperator de omnibus pro neceſsitate inſtructum, & Baptiſmatis fonte lo-
tum, magno cum honore & gaudio ad ſuos remiſit. De qua re Annales Conſtanti-
nopolitanæ vrbis lib. 15. plura continent.

Felix eius nominis quartus Romanæ ſedis Epiſcopus, infirmos ante obitum in
527. ungendos eſſe ſtatuit. Quod nunc pro Sacramento à Chriſto inſtituto, apud Ro-
manenſes habetur. Patriarcham Conſtantinopolitanum à fide aberrantem (admo-
nitum prius nec ne, incertum eſt) anathemate notauit. Coſmi & Damiani Tem-
pla apud Romanum forum extruxit. Baſilicam Saturnini incendio abſumptam i
via Salaria reſtituit.

Eodem anno terræ motu grauiſsimo Antiochia concuſſa eſt, quem pleriq; i
pœnam diuinitus huic vrbi, ob nefandiſsimas in Chriſtum blaſphemias, quas lõg
tempore ibi complures hæreticorum Epiſcopi euomuerant, populuſq; magno fu
rore defenderat, immiſſam fuiſſe arbitrantur. Ceciderunt enim in eo motu, omni
Eccleſiarum ædificia, quorum ruinis & ipſe Euphraſius vrbis Epiſcopus, oppreſſu

inte

interijt, ac omnis ciuitatis pulchritudo exterminata eſt, ita vt non exemplum ſimile diuinæ vltionis, in alia quadam ciuitate, per omnes generationes, neq; viſum, nec auditum antea. Hunc caſum vrbis celeberrrimæ pijſsimus Imperator Iuſtinus, tam magno animi dolore accepit, vt abiecto omni ornamento Imperiali, in Sacco ſedens, per multos dies lugubrem duceret vitam. Quem luctum ego cauſam fuiſſe crediderim ſubſequentis ægritudinis. Nam ſtatim menſe Aprili ſubſequente, grauiſsimo morbo correptus eſt. Quem cùm in dies creſcere magis ſentiret, Iuſtinianum ex ſorore nepotem ad Imperium prouexit. Qui cum ipſo imperauit menſibus quatuor: quibus exactis Iuſtinus Auguſto menſe moritur, ſeptem annis in Imperio pijſsimè tranſactis. Alij vndecim ei annos aſſcribunt, alij nouem. Sed indictiones, ſeptem eum tantummodò annos imperaſſe, ſatis manifeſtè docent. Indictione enim quinta obijt, quæ in annum ſeptimum poſt Anaſtaſij mortem incidit, vt ex Chronologia videri poterit.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

ECCLESIASTICAM HISTORIAM, ET SI Q[illegible] tu digna in Imperijs ciuilibus acciderunt, à tempore Iuſtiniani Impera[illegible], vſque ad Imperium occidentis ſub Carolo Magno inſtauratum, octauus liber compendio tradit.

REdit nunc noua facies Romanæ Reipublicæ Magno eam gubernante Iuſtiniano. Is enim ſimul ac Imperium adminiſtrare cœpit, animum ad reparanda quæ amiſſa erant adiecit. Perſas ergo, qui transgreſsis militibus Meſopotamiam, Cæleſyriam, Syriamq; prædati ſunt, per Beliſarium Legatum prælio fudit, fugatosq; trans Euphratem abire coëgit. Veteres firmauit limites. Iura imperij toto Orienti aſſeruit. Nec ſuus Beliſario honor, ob res tam fortiter geſtas, defuit. Redeuntem enim cum Victoria, maximo ac ſplendiſsimo Triumpho, curru aureo inſidentem, Imperator Conſtantinopolim introduxit. Hinc eundem ducem contra Vandalos in Africam cum exercitu miſit, qui paruo tempore Africa recuperata, Gilimerem Vandalorum Regem vinctum Conſtantinopolim miſit. Carthaginem firmius quàm antea reſtituit. Vnde maior ei Triumphus, ac precioſior Perſico decretus fuit. Præferebantur puluinaria ornata auro ac gemmis ſigna militaria, tapetes, menſæ, pocula, veſtes precioſæ, pepla, regiaque hæc ſuppellex diſtincta auro, lapillis & margaritis: ſeptem magna vaſa plena auro & vaſa quædam è gemmis. In quibus & Iudæorum res multæ nobiles extitêre, quæ olim à Tito Veſpaſiano, cùm Hieroſolymas caperet, Romam cum quibuſdam alijs exportatæ fuerunt. Eas imperator à Iudæo quodam monitus (qui eas nuſquam conſiſtere poſſe, ſeriò affirmaret, quàm in eo loco, in quem à Salomone primitus collocata eſſent: atque ob eam cauſam, Romam à Vandalis direptam, Vandalosq; à Beliſario ſpoliatos dicebat) illicò Hieroſolymam miſit. Erat autem inter captiuos, quod Triumphum ſuper omnia reddebat ſpecioſum, Gilimer ipſe, purpurea quadam veſte humeros amictus, vnà cum vxore ac omnibus conſanguineis, quos magna Vandalorum multitudo, qui 528.

 procerita-

Anni Chriſti.

procceritate corporum ac pulchritudine alijs præſtarent, in vinculis comitabatur. Ac cûm Gelimer in Hippodromo coram Imperatore conſtitiſſet, ipſumq; in Throno regio ſedentem conſpexiſſet, ſemetipſum, in quod fatum perueniſſet, conſiderans, quaſi ſubridens dixiſſe fertur: Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas. Finitoq; in hunc modum Beliſarij Triumpho, tam Rex captiuus quàm victor Beliſarius iuſsi imperatorem ex more adorarunt: At ille ſimul & Theodora Auguſta, Ilderichi filios ac nepotes omnes, vt ex Valentiniani imperatoris ſanguine deſcendentes, neceſsitudineq; ſibi quadam deuinctos, opibus ſatis amplis munerauerunt. Gilimeri autem loca quædam in Gallia, non admodum contemnenda, ad habitandum omnibus propinquis ſuis aſsignauit. Atque in hunc modũ Africa imperio denuò adiuncta eſt. Interea legibus quoq; Rempublicam firmauit Imperator, conquiſitis omnibus Iuriſperitorum veterum ſcriptis, eum quo adhuc vtimur Legum Codicem, cum inſtitutionum libris &c. ex eis congeſtum, publicè propoſuit, vt ſecundum eas Leges Ius diceretur. Gothis inde in Italia res turbantibus, ad eam quoque recuperandam animum applicuit. Ac cùm Beliſarij virtus, omnibus tum ex prioribus Triumphis, ſatis eſſet perſpicua, eundem & huic negocio præfecit. Quæ & quanta per eundem virum eo quoque in bello geſta ſunt, in ſequentibus, cùm ad illa quibus hæc facta ſunt tempora peruentum erit, pro rei locique neceſsitate, breuiter referemus. Nunc ad ea, quæ interea acciderunt, memoratuq; digna videntur, accedamus.

529. Antiochia iterùm diuina indignatione, terræ motu grauiſsimo concutitur, ita vt quod ante biennium remanſerat, ac interea ex ruinis reparatum erat, ferè omne conciderit, magnaq; & innumerabilis hominũ multitudo ruinis oppreſſa interierit. Quo malo ij, qui remanſerant, ad pœnitentiam vocati, Litanias facere cœperunt, omnesq; diſcalciati clamauerunt, κύριε ἐλέησον. Cumq; in hunc modum diu noctuq; ſupplicarent Deo, Cuidam pio homini, in viſu apparuiſſe fertur Angelus Domini, vt diceret, mandaſſe, omnibus reſiduis, vt ſuperliminaribus ſuis inſcriberent, CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Quo facto ſtatim plagam deſijſſe. Ad hanc vrbem reædificandam, atq; in priſtinam dignitatem reſtituendam, Iuſtinianus cum Vxore multas pecunias elargitus eſt, eamque ob ſingularem viſitationem DE I, Theopolim cognominauit.

531. Bonifacius eius nominis ſecundus, magna quoq; Clericorum diſcordia ad Pontificem Rom. eſt euectus. Diuiſo enim bifariam Clero, ab vna parte Bonifacius, ab altera Dioſcorus quidam eligitur. Eſtq; hac ſeditione exagitatus Clerus diebus octo & viginti, morteq; tandem Dioſcori à tanta perturbatione liberatus. Vnde Bonifacius ad confirmandam Eccleſiam conuerſus, inſtituit, ne quiſpiam ſibi in Epiſcopatu ſucceſſorem deligeret. Quod poſtea multi pontifices confirmarunt. Inſtituit item, vt in demortui locum alter pontifex, ſi fieri poſſet, tertia die ſufficeretur, ne dilatio ſeditionem faceret. Diuiſit & populum à Clero dum celebraretur. Quin & hoc conſtituiſſe à quibuſdam traditur, Ne cuiquam liceret Epiſcopum, vel in ciuili, vel in criminali cauſa, ad ſecularem iudicem vocare. Huius temporibus magno numero Monachi ſunt aucti, vnius Benedicti, qui in monte Caſſino clauſtra habebat, exemplo ad hoc inducti. Qui Benedictus omnium Monachorum Pater, qui vſq; ad tempora ordinum Mendicantium per occidentem fuerunt, non immeritò dici poterit. Eouſq; enim vnica ferè Regula Benedicti monaſticam rexit vitam. Poſtea, vt fit, rebus ad interitum inclinantibus, infinitæ Regu-

larum

arum formulæ ſunt excogitatæ, de quibus magna, ſi quis omnes enumerare vellet, volumina conſcribenda eſſent, Quæ Vincentijs, ac eiuſmodi nugarum ſcriptoribus conſarcinanda relinquimus. *ANNI Chriſti.*

Bonifacio Iohannes ſecundus eſt ſuffectus: de hoc nihil admodum ſcitu dignum refertur, niſi quòd Anthimum, Conſtantinopolis Epiſcopum, eò quòd ad Arrianiſsimum declinauerat, excommunicauit. Eius temporibus Iuſtinianus Romanæ vrbis Eccleſias multis donis, ex auro argentoq; factis, gemmiſq; circundatis munerauit. Quæ Platina enumerat. 533.

Anno Iuſtiniani octauo, quo ſolus regnauit, inceptum eſt bellum omnium, quæ ipſo imperante geſta ſunt, grauiſsimum, cum Gothis in Italia regnantibus, Qoud ob eam cauſam à Iuſtiniano motum eſt. Amalaſuenta cùm filium ad omnis generis dedecora, per laſciuiam & quotidianas ebrietates delabi cerneret, clam ſecum inijt conſilium, de Regno in Iuſtiani fidem committendo, Eiuſq; ipſum Imperatorem per Legatos, qui dona Romam tulerant, certiorem facit. Interea moritur filius, ipſa Theodatum in regni conſortium accipit, qui male remunerans acceptam dignitatem, carcere Amalaſuentam primùm incluſit, mox inuidia aucta, eam quoq; occidit. Quam iniuriam vindicaturus Iuſtinianus, ſimul quoq; à Gothorùm Tyrannide liberaturus Italiam, bellum hoc inſtituit. Ad quod, vt ſupra dictum eſt, Dux Beliſarius eſt electus. Qui primùm Siciliam, à Gothis eouſq; poſſeſſam, bello petijt, eamq; breui tempore ſub Imperium redegit: atq; hæc per claſſem geſta ſunt. Terreſti veró itinere, præmiſſus eſt Dux quidam Mundus nomine, qui cùm per Dalmatiam cum exercitu Italiam peteret, apud Salonas Gothos obuiam habuit, qui Aſinario Grippaq; ducibus magno cum exercitu ſe in Dalmatiam conferebant. His Salonas proximè venientibus, Mauritius Mundi filius, non vt acie dimicaturus, ſed explorandi gratia, cùm paululùm proceſsiſſet, cum paucis quibuſdam ex inſperato occurrit: facta pugna, Gothorum primores & fortiſsimi quiq; cæduntur, Romani omnes ferè cum Mauricio Duce deſiderati: Quorum ſtrage Mundus pater accepta, dolore ingenti affectus, & ira ſimul incenſus, incompoſitis copijs in hoſtes ſtatim procedit, & celeriter inito certamine, Romanis victoriam retulit. Eo namq; in prælio, hoſtium pars maxima cecidit; fugientes Mundus temerè inſectatus, cùm animum ipſum & furibundum continere præ filij iactura non poſſet, à milite quodam & ipſo fugiente percuſſus, mox cadit. In eoq; Gothos, in fugam præcipites actos, perſequendi finis eſt factus. Hæc ſunt eius belli, quod octodecim annis magna vi, magnis vtrinq; animis geſtum eſt, primordia. Sed quæ Beliſarius in primis huius belli annis geſſerit, in Chronologia indicata ſunt. 535.

Dum Beliſarius in Sicilia commoratur, Iohannes Papa moritur: huic ſtatim à Theodato Gothorum rege, Agapetus eſt ſuffectus. Quem & pro Legatione ad Iuſtinianum miſit. Nam cùm vndiq; bello ſe peti cerneret, ipſeque literarum magis eſſet quàm bellorum peritus, pacem facere cum Imperatore voluit, toto ei Italiæ Regno oblàto, cuius conditiones Procopius lib. 1. bell. Goth. multis enumerat:, quibus ab Imperatore ſuſceptis Theodatus non ſtetit. Agapetus ergo Conſtantinopolim miſſus, ac benignè & honorificè acceptus, cùm pacem impetraſſet ab Imperatore, tentatur, vt Eutychianam opinionem confirmaret. Verùm cùm Iuſtianus ab ea re hominem, recta fide imbutum, abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum Agapetus, Ego, inquit, ad Iuſtinianum Chriſtianiſsimum Principem venire optaui, ſed Diocletianum inueni. Qua libertate loquenti, & Dei nutu 535.

 ſingu-

Anni Christi. ſingulari, Iuſtinianus permotus, & fidem Catholicam amplexus eſt, & pulſo Aga-
peti rogatu, Anthemio Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui Eutychianam hære-
ſim tuebatur, Mennam Catholicum in eis locum ſuffecit, quem, vt Platina refert,
Agapetus conſecrauit, qui haud multò pòſt Conſtantinopoli moritur. Romam cor-
pus eus relatum aiunt, ibiq; ſepultum.

536. Siluerius, qui & Liberius dicitur, Epiſcopi Filius, Theodato Gothorum rege
iubente, ſine Imperatoris aſſenſu Pontifex Rom. creatus eſt. Theodora Auguſta
(Vigilio Romano ciue & Diacono eam ad id inſtigante) exigit à Siluerio, vt Men
na Conſtantinopolitano Epiſcopo pulſo, Anthemium, quem propter Eutychianan
hæreſim expulſum diximus, ab exilio reuocarent. Cùm verò id facere recuſa
ret, Theodora ad Beliſarium ſcribit, vt eiecto Siluerio, Vigilius Pontifex crearetur
Beliſarius Romam tum obtinens ac communiens, belloq; intentus, eam rem vxor
ſuæ committit. (Res profectò anathemate digna, Sanctiſsimum Pontificem mu
lieri Militias ſectanti committere: proh dolor, mirum quod non fulminauit San
ctiſsimus Siluerius. Sed crux ferenda fuit.) Vxor Beliſarij, falſis teſtibus per Vigili
um (qui poſtea Sanctiſsimus fuit) ſubornatis, qui affirmarent, Siluerium Roman
prodere voluiſſe Gothis, coëgit Siluerium abdicare Pontificatum, monaſticamq
ſumere cucullam, qua indutus in Pontiam inſulam relegatus eſt, vbi haud long
tempore pòſt vitam cum morte commutauit. Huius tempore Franci & literas &
nuncios ad Benedictum miſerunt, orantes, vt vnum aliquem ex diſcipulis mitte
ret, qui Francos monaſticam hypocriſin (vitam volebam dicere) edoceret. Miſ
ſus eſt Maurus Benedcti diſcipulus, qui per totum Francorum regnum multa Mo
naſtereria erexit.

Vigilius, qui aſtu & opera Theodoræ Auguſtæ Pontifex factus erat, non vl
537. tra nonum annum hoc gauiſus eſt honore. Auguſta enim, cùm bellum Gothicum
aliquantulum diminutum eſſe appareret, Iuſtiniano tam diu inſtitit, donec Vigili
um ad Conſtanſtinopolitanam vrbem Sicilia euocaret: ibi enim ob belli tumultum
ſeſe continebat pius pater. Qui cùm Principis iuſsis obtemperaret, atq; Conſtan
tinopolim veniret, Imperatorem cum omni Clero habuit obuiam (Quidam Ro
mæ eum accuſatum, captum & vinculis incluſum, ad vrbem Regiam deductum
ſcribunt, quorum fides penes ipſos ſit autores) Introductus in vrbem Vigilius, ſta
tim ab Auguſta, cuius fauore Pontificatum obtinuerat, ſollicitatur, vt Anthem
um Agapeti ſuaſu pulſum, quemadmodum antea promiſerat, reſtituat. Quo ne
gante, ac dicente, Anthemium ab Agapeto & Siluerio iure eſſe eiectum (ſicuti Ro
mæ de hac re ſollicitatus reſponderat) ſeq; ob id promiſsis ſtare non oportere. Theo
dora ita cõmota eſt, vt verbera mortemq; ei minitaretur. Quæ cùm parui faceret Vi
gilius, ſimulq; diceret, ſe quiduis potius paſſurũ quàm illud facere, cõtumelijs & ver
beribus affectus eſt, fune iniecto in collum, raptus per totã vrbem, coniectus denic
in carcerem, aqua & pane paſtus eſt. (Annales Conſtantinopolis eum ex eo in e
lium miſſum tradunt.) Clerici qui eum comitati erant, partim in exilium miſsi ſun
partim ad excidenda metalla traditi. Tandem Narſete Italiã adminiſtrante, ipſoc
cum populo Romano rogantibus, omnes captiui cum Vigilio in patriam remittun
tur. Vigilius autem in itinere, in Sicilia Syracuſis moritur ex calculo. Hunc inſtitu
iſſe ferunt, vt Miſſam celebraturi faciem ad Orientẽ verterent. Pet. de Natal. auto

543. Quàm mirabiliter Deus, quos vult ad ſui agnitionem vocet, cùm ex mult
iiſdemq; præclaris hiſtorijs cernatur, tamen & ex huius temporis, de quo nunc ſe
mi

no eſt, vnico facto cerni poteſt facilimè. Regio eſt vltra Ægyptum ſita, Indiam Æthiopiæ attingens, vel ei ſubiecta potius, eius populi Azumitæ appellantur, Hanc inter & Ægyptum Homeritarum (populi nomen eſt) terra interiacet, per quam Romanorum negociatores in Azumitarum regionem tranſire ſolebant, atq; ita ad interiores Indos vſq; per Azumitas perueniebant. In ea (Homeritarum terra) cum plurimi Iudeorum commorabantur, ij Romanis ob Chriſtianum nomen infenſi, Damiano eius loci Regulo perſuadent, vt homines Romanos ſuam prouinciam ingreſſos morte condemnet. Eos enim omnium Regioni eius pernicioſiſsimos eſſe affirmabant. Rex fatuus, nec dolum, quo Iudæi negociationem adſe ſolos trahere conabantur, nec inueteratum in Chriſtianos odium intelligens, dictis eorum obſequitur. Interficiuntur multi Romanorum mercatores, ex quorum interitu viæ ad Azumitas, non vt antea à mercatoribus frequentari: Vnde & ijs in India conſtitutis, merces ſine fructu eſſe. Res ad Regem, Adad nomine, refertur, conquerentibus vndiq; Indianis, de Homeritarum iniuria. Qui rem omnem diligenter perpendens, Chriſtiq; fidem à Romanis creditam audiens, bellum Damiano regi vicino indixit, voto ſeſe aſtringens, Si victor, Chriſti auxilio, pro cuius populo bellum iniret, ad ſuos reuerteretur, ſe cum omnibus ſuis fidem eiuſdem publicè ſuſceptu rum eſſe. Quid fit? Acies inſtruuntur, committitur prælium atrox, cæduntur Homeritæ, rex eorum capitur, atque in hunc modum non tantùm victoria Adad inclinauit, ſed & omnis Homeritarum regio, quàm longè, lateq; patebat, eius dominio ſubiecta eſt. Hac potitus Victoria, Legatos ad Iuſtinianum miſit Epiſcopum, qui ſe ſuosq; inſtitueret, petens. Qui ei Iohannem quendam, Manſionarium dictum, Alexandria oriundum virum ſexaginta duorum annorum miſit, per quem fides Chriſti, & in Azumitarum terra, & in Homeritarum, in qua pridem Iudæi eam ne peregrinari quidem pati voluêre, eſt plantata.

Poſcit nunc neceſsitas, vt re feram, quas calamitates & miſerias Romani, in ea obſidione, qua à Totila obſeſi, atq; per integrum annum, antequàm per proditionem caperentur, ſunt perpeſsi. Ac cùm eadem res ſit copioſiſsimè à Procopio, qui eidem bello interfuit, ſcriptis commiſsa, ego breuiter ipſius autoris ſcripta in compendium contrahens, ſummam eius obſidionis indicabo, atq; ab eo, quo Beliſarius Italiam iterùm ingreſſus eſt, exordium ſumam. 545.

Beliſario in Perſide grauiſsimo bello occupato, ad quod Imperator eum ex Italia euocauerat, duces in Italia relicti, vt ſit inter æquales, ſe inuicem odiſſe, rem ferè totam Beliſarij virtute vix tum reſtitutam Gothis prodidêre, Ita vt Roma quoque, quæ ſola cum paucis Italiæ oppidis, in poteſtate Imperatoris erat, ſummo in periculo verſaretur: Cùm Totilam captis circumquaque locis municis, vias & commeatus ipſi omni ex parte intercluderet. Quod ad Iuſtinianum cùm relatum eſſet, Beliſarium è Perſarum finibus euocatum, ad Italicum bellum, remittendum cenſuit, Qui Conſtantinopolim veniens, perpaucos ibi militiæ aptos inuenit. Accepta igitur ab Imperatore haud mediocri pecunia, per totam Thraciam delectus habuit, ac poſt multos dies exercitum luſtrans, vltra IIII. M. non fuêre inuenti, qui militiæ nomina dediſſent. Tam rarus eo tempore, tanto in Imperio, erat miles. Hoc accipiens Beliſarius, ac per Illyricum mouens ad Salonas peruenit. Hinc nauibus ad Rauennam traiecit, ibi per integrum annum nihil admodum effecit, Gothis omnia circumquaque obtinentibus. Totilas interea, cùm tam parua manu Beliſarium aduentaſſe, per exploratores comperiſſet, oppida quæ in

Roma-

Anni Christi.

Romanorum fide eouſque perſtiterant, ad deditionem ſollicitare, quædam prodi-
tione obtinere, vi, quædã capere, alia autem quæ pauca fuêre, armis ſeſe defendere.
Quibus relictis, cùm parui momenti eſſent, Romã contendit, quam ſtatim, ubi eſt
proximè ventum, obſedit. Agrorum veró cultoribus per omnem Italiam mali nil
quippiam intulit, ſed terram intrepitè colerent, vt antea, imperauit, ſibiq; ac Rei-
pub. tributa dependerent, & fructus dominis reportarent.

Vehemens ante fames Romanos vrgebat, cûm aliquandiu nullas potuiſſen
ex agris fruges inuehere, & rebus eſſent maritimis intercluſi. Gothi enim Neapo
lim obtinentes, omnis generis nauigijs vſi, ſumma cum diligentia mare obſerua-
bant, ne quicquam comeatus ad vrbem perferretur. Vnde fames multò vehe
mentior Romanis incumbebat. Placentia interea à Totilæ copijs obſeſſa, eaden
cum Roma patitur, quæ fame tandem validiſsima, altero ferè obſidionis anno a
deditionem compulſa eſt. Romani durante obſidione, aliquid ſolatij habere pote
rant, ni fortuna ipſis nimium fuiſſet aduerſa. Vigilius enim vrbis Præſul, cùm in S
cilia eſſet, magnum nauium numerum frumento complet, & Romam tranſmit
tit, ratus omninò vrbem tutò adire hos poſſe, qui onera nauibus importarent. Qu
cûm Romanum ad portum curſum tenerent, hoſtes earum aduentu præcognito
cùm ipſi paulò antè in portum veniſſent, intra muros delituerunt, vt eó naues ia
deſcendentes nullo negocio caperent, Quæ portum tandem illatæ advnam omn
capiuntur, atq; in ijs quoq; Valentinus quidam Epiſcopus, qui cum alijs Roman
captus ad Totilam deductus, reliqui omnes obtruncati ſunt. Epiſcopus ille, à T
tila in mendacio compræhenſus, manu vtraq; mutilatus eſt. Romani rerum omn
um inopia preſsi, Pelagium Diaconum, virum & diuitijs, & in pauperes bene
centia clarum, ad Totilam legatum mittunt. Quem Totilas ſua oratione præue
tum, ne quicquam eorum, quorum ob cauſam miſſus erat, petere auderet, re i
fecta ad vrbem remiſit. Fames interea inualeſcendo in immenſum accreuit &ta
dem maximum in malum euaſit (vt Procopius loquitur) vt quæ ciborum abſu
diora quædam ſuggereret genera, & naturæ excedentia terminos. Cui tamen Beſſ
& Conon cuſtodiarum vrbis Præfecti, aliquomodó mederi potuiſſent, ſi non au
riciæ ſtimulis vexati, aurum colligere, quàm populum in viuis ſeruare maluiſſe
Frumenti enim maximum numerum intra mænia ſibi reconditum habebant,
quo Romanorum Primoribus, & his quidem diuitibus, ingenti pecunia vendit
bant. Medimni ſiquidem aurei ſeptem precium erat. Sed quibus non tantæ era
domeſticæ facultates, cibos tam delicatos vt poſſent comparare, ijs Medimnus f
fure completus aureis quinq; & triunce vendebatur: ex quo pane deinde ſordidi
re confecto diueſcebantur, illum neceſsitate ipſa ſuauiſsimum faciente. Boue
vnum aureis quinquaginta vendidit Beſſas. Equis demortuis aliorumq; anima
um cadaueribus veſci deliciæ erant. Cætera hominum turba, quæ eiuſmodi ci
deſtituebatur, vrticas tantùm edebat, quales circa vrbis pomerium, & locis inc
tioribus, paſsim & affatim naſcuntur; quas tamen decoctas, ne vel ſapore, vel
natis offenderetur aculeis, eſitabat. Deficiente denique diuitibus auro, frume
toq; cum furfuribus conſumpto, ad vrticas vniuerſi circumſpicere. Quibus def
entibus, cum eorum non magna copia eſſet, atq; adeó ad ſaturitatem non om
haberẽt, corpore extenuari deniq; cœperant, colorq; cûm in pallorem ſe paulat
& liuorem vertiſſet, ſimilimi idolis videbantur: pleriq; verò incedentes, vel den
bus adhuc, ipſis vrticas mandentibus, de improuiſo exanimati cadebant, ſamq;

purg

purgamentis in cibum & ſtercoribus vtebantur: nonnulli fame nimium grauati, manus ſibimet inferebant, cùm nec canes quidem, nec mures de cætero inuenirent, nec aliud vſquam demortuum animal, quibus vti in cibum poſſent.

Ann. Chriſti

Erat inter cæteros (horrendum dictu) Romanus virquidam liberorum quinq; iam factus pater: hunc filij omnes circum ſiſtendo præhenſandoq;, vt aſſolent, cibum ſibi efflagitabant. Tum ille ingemiſcens quidem, nec vllo edito turbationis indicio, fortiſsimè dolore diſsimulato, filios iuſsit ſe ſubſequi, cibum mox accepturos. Vbi verò ſuper Tyberis pontem peruenit, capite obuoluto, in Tyberis aquas confeſtim deſiluit, ſpectantibus filijs Romaniſq; cæteris, qui fortè tum aderant. Vnde Imperatoris Præfecti, ex ea ciuium deſperatione, terrore perculſi, traditis, qui abire ex vrbe vellent pecunijs, quocunq; animus ferret, ſecedere permiſerunt. Quo factum eſt vt paucis admodum Romæ relictis, in fugam ſe omnes proriperent, & quò cuiq; licuit, diuerſim abirent: eorum tamen pars maxima areſcentibus præ inedia viribus, mortem paſsim obibant. nonnulli ab hoſtibus intercepti interiêre. Remanentes in vrbe aliquandiu cum fame conflictati ſunt, donec tandem Iſaurorum quorundam militum proditione, vrbs à Totila caperetur. Capta vrbe præter quingentos ciues Totila non inuenit, reliquis omnibus aut alia in loca diſperſis, vt modò dictum eſt aut lue conſumptis, ex quibus pauci à militibus interfecti cæteri interuentu Pelagij in vita ſeruati ſunt. Totilas omnes vrbis Theſauros ad ſe deferri iuſsit, è quibus optima quæq; delegit, cætera militibus ſuis in prædam dimiſit. Hinc ad tantam inopiam plerique Senatores ac Primores Romanorum redacti ſunt, vt domos circumeundo, foreſque pulſando, cibum dari ſibi ſupplicitur precarentur, nil prorſus ignominiæ ſibi hanc mendicitatem afferre reputantes: inter quos & Ruſticiana Boëtij olim vxor, Symmachi filia, non poſtrema fuit. Ea enim, cùm antè hac omnes ferè facultates ſuas pauperibus impartiſſet, eo tunc neceſsitatis compulſa eſt, vt ab hoſtibus panem, vel quicquid aliud neceſſarium, emendicando depoſceret.

Totilas obtenta Roma Pelagium & Theodorum quendam Rhetorem inſignem, legationem ad Iuſtinianum miſit, petens, vt anteceſſorum ſuorum more, Italiam pacificè poſsidere poſſet. Imperatore verò aliud non reſpondente, quàm res Italicas Beliſario ſe commiſiſſe, eumq; liberam habere faciendi poteſtatem. Totilas in tantum commotus eſt, vt Romam inprimis ſolo æquare decreuerit. Sed deferueſcente ira, muri tantùm ad tertiam ferè Vrbis partem deiecti ſunt. Propoſuerat tamen Gothus magnificentiſsima quæq; Vrbis demoliri, ſed literis Beliſarij dehortatus, nihil crudelius fecit. Ciues tamen ac Patricios omnes, ex Vrbe in Campaniam, vnà cum vxoribus & liberis deduxit, nullo hominum in Vrbe relicto. De quo Beliſarius certior per nuncios factus, ipſe mille aſſumptis ex tota milicia exercitatiſsimorum militum, Totila in Lucanis cum Iohanne quodam, Imperatoris duce, bellum ex compoſito gerente, clàm Romam intrat, depulſo primùm Gothorum præſidio, quod in propinquo Vrbis, ne quem intrare pateretur, collocatum erat. Romam ingreſſus Beliſarius ſtatim diebus quindecim militum virtute communit, deiecta murorum vtcunq; ſubitaneo opere reficiens, foſſaſq; altiores in ijs locis producens. Hinc ciues vndiq; diſperſos Romam reuocauit, qui magno numero frequentes affuêre, quin & multi ipſorum antequàm vocarentur, aderant. Sic vrbs rurſum habitata, à Totila denuò, ſed fruſtrà oppugnatur, ſiquidem permultis ſuorum in ea oppugnanda amiſsis, cum dedecore receſsit. Diſcedēte tandem ex Italia

Duce

Anni Christi.

Duce Beliſario, Gothi iterum Romam cum omnibus ferè Italiæ oppidis in ſerui-
tem redegerunt. Quamuis in ea vrbis obſidione prudentiores fuêre Duces Roma-
ni. Coaceruatis enim vndequaq; frumentis, & in vrbem importatis, in ipſis quoq;
vrbis plateis ac locis patentioribus ſemina frumenti ſparſerunt, vt futuræ inediæ
medicamenta forent. Nil tamen ea diligentia profuit, prodentibus vt antè Vrbem
Iſauris militibus. Totilas verò vrbe iterum recepta, perhumaniter ciues Romanos
habuit, & in quantum potuit commeatus in eam importari, ſarciriq; omnia, quæ
destructa aut incendio abſumpta erant curauit: manſitq; Roma in poteſtate Go-
thorum, vſq; ad finem regni ipſorum in Italia. De quo in Chronologia ſatis.

De Concilio illo, quod Theodori cuiuſdam cauſa, apud Conſtantinopolim
552. celebratum eſſe ferunt, apud antiqui ſeculi ſcriptores nihil, quod ego ſciam, reperi.
Neq; annales Conſtantinopolitanæ vrbis quicquam ea de re meminerunt. Proco-
pius quidem lib. 3. de bello Gothorum meminit, quód Iuſtinianus rei diuinæ com-
ponendæ magis intentus fuerit, quám rebus bellicis. Sed de Concilio nullum ver-
bum facit. Cæteri qui Synodum hanc eo tempore factam affirmant, hæc ibi con-
clauſa referunt: Vt beata Maria θεοτόκος diceretur, quód Deum ſuo partu nobis edi-
derit. Quod tàm Neſtoriani quàm Eutychiani antea negare crediti ſunt. Quæ por-
rò in Conciliorum Tomo ſecundo, de hoc Concilio, quod Quintum Vniuerſale
vocant, apud Latinos reperta eſſe traduntur, mihi quidem valdè ſunt ſuſpecta,
quamuis quædam non contemnendæ diſputationes in ijs de duabus in Christo
naturis, comprehendantur. Ac in primis ſuſpicionem auget, quód ibidem dicitur
hoc concilium temporibus Agapeti, Siluerij & Vigilij Rom. Pontif. celebratum,
& tamen nulla omninò eius rei mentio à Græcis fiat.

Pelagius à Iuſtiniano Vigilio ſuffectus eſt in Rom. Pontificatu, hic Hæreticos
555. & Sciſmaticos, nolentes ad ſaniorem doctrinam reduci rationibus, ſeculari manu
coherceri poſſe definiuit. Nec precio nec ambitione quenquam ad ſacros ordines
admittendum eſſe ſtatuit. Sed in hac lege perferenda Narſetem, tum Italiæ Princi-
pem, adiutorem habuit, vt Platina teſtatur. Celericos ſepties in die horas canonicas
dicere ordinauit. In quadrageſima Presbytero ſacra facere hora nona liberum fe-
cit. Accuſationum libellos niſi reo præſente audire vetuit.

Huius ſucceſſor Iohannes tertius, res admodum præclaras perfeciſſe fertur.
564. Cœmiteria enim Sanctorum reſtituit, ac Templum Philippi & Iacobi, à Vigilio
olim inchoatum abſoluit.

Gothis à Narſete Italia pulſis, Roma iterum in poteſtatem Imperatorum re-
569. dijt, quam Narſes annis ſedecim, cum reliqua Italia, ſumma in pace continuit. Re-
bus deinde ſecundioribus Romanorum quidam præſentem ſtatum aſpernati, i-
pſum Narſetem clàm Iuſtino deferunt, in primis auariciam eius incuſantes. Iuſti-
nus æquè auarus Narſetis theſauros appetens, per Sophiam Auguſtam, non ſine
contumelia, Narſetem ab Italiæ adminiſtratione, ad penſas reuocat, ſubſtituto e
Longino, patricio Conſtantinopolitano. Narſes verò inſidias Auguſti metuens
Italia non exceſsit, ſed Neapolim ſecedens aliquamdiu ſubſtitit. Vnde miſsis Lega-
tis Longobardos Pannonia ad Italiam occupandam euocat, vt ſic quæ minitati
erat Sophiæ, factis complerentur: Reſponderi enim ipſi iuſſerat, Se, cùm ab ip-
ad penſas vocaretur, talem orſurum eſſe telam, quam dum viueret ipſa, non poſ-
cum omnibus æmulis ſuis extricare. Longobardi rebus oblatis ſibi melioribu
læti, ſine mora vocanti parentes, cum omni ſubſtantia Tranſpadanam intrar

Italian

Italiam,ibiq; ſedes cum Regno firmant. Longinus verò nouo magiſtratus genere in Italiam traducto (Exarchus enim ipſe cum ſucceſſoribus dicebatur, vnde Exarchatus dignitati nomen fuit) in Rauenna ſedem Imperij locat. Cùm Romæ omnis ferè poteſtas penes Pontificem iam eſſet, qui & Narſetem ſummo fauore amplectebatur & defendebat. Manſit ex eo tempore Exarchatus ſedes apud Rauennam. Atque hæc tertia dynaſtia eſt, poſt deletum in occidente Romanum Imperium, de quo & ſupra dictum eſt. Fuerunt & Longobardi ex eo tempore valdè potentes in Italia: Hunc tamen Exarchatum cum vrbe Roma, nunquam poteſtati ſuæ ſubjicere valuerunt: Ita vt Roma tantiſper ſub Imperio Græcorum manſerit, donec vltrò ſeſe per Pontifices in Francorum fidem commiſerit, de quo ſuis locis commodius dicemus.

ANNI Chriſti.

Benedictus Rom. Pontifex nihil memoriæ dignum fecit: ex mœrore eum, cùm Longobardi vndiq; totam Italiam diriperent, famesq; maxima Romam premeret Vrbem, mortem obijſſe aiunt. Succurrit tamen inopiæ Romanorum ciuium Tiberius Imperator, ex Ægypto nauibus frumentum impoſitum ad vrbem transmittens. Huius Imperatoris in gentes ſumma largitas, ab omnibus ſcriptoribus maximè laudatur. Omnes enim pecunias, quas Iuſtinus nimium auarus diu corraſerat, breui tempore in pauperes effudit. Sed hac profuſione pauperior factus non eſt, ſiquidem tam ingentem auri argentiq; aceruum, fortè in palatio deambulans, ſub cruce marmori inſculpta, quam ne pedibus calcaretur, tolli aliumque in locum poni iuſſerat, inuenit, vt nemo ſcriptorum eius numerum efferre pro dignitate potuerit, cùm incredibile poſteritati videretur. Huic Narſetis quoq; diuitiæ, quæ fuêre innumerabiles, acceſsêre. Is enim Romæ defunctus, Imperatoris iuſſu cum omnibus theſauris ſuis Conſtantinopolim translatus eſt. Tertiò & de Perſis, quos per legatos deuicerat, tanta vis auri rerumq; precioſarum ei obuenit, quantam ex eis antehac nemo prædeceſſorum ſuorum acquiſiuerat: Vt in hoc veriſsimum eſſe compareat: Qui ſeminat largè, cum benedictione metet. 577.

Pelagius eius nominis ſecundus Romanus Pontifex, primus à Clero ſine conſenſu Imperatoris eligitur. Neminem enim ante hæc tempora in ſede confirmare ſunt auſi, niſi eundem prius autoritate ſua vel Imperator, vel Rex, cúm ijſdem ſubeſſent, confirmaſſet. Sed hoc tempore id obſeruari non potuit, tumultuantibus per Italiam vrbemque infeſtantibus Longobardis. Pace tamen facta ad Imperatorem Gregorium Diaconum miſerunt, qui facti cauſam indicaret, veniamq; vnà peteret. Pelagius verò nouem Præfationes Eccleſiæ dedit, ante Canonem in Miſſa canendas, in Natali, Epiphania, in Quadrageſima, de Cruce, de Reſurrectione, de Aſcenſione, in Pentecoſte, de Trinitate, & vnam de Apoſtolis. Petrus de Natal. autor. Hermetis martyris cœmiterium, & Laurentij Baſilicam ex fundamento Pelagius extruxit. 581.

Pelagio peſte defuncto, Gregorius ille, cui ex magnificè factis Magni cognomen fuit, inuitus Pontificatus dignitatem ſuſcipere coactus eſt. Is ſupra modum multa in Eccleſia conſtituit. Primùm enim in Eccleſia S. Petri XXIIII. Epiſcoporum Synodum congregauit, in qua de eis, quæ vel obeſſe vel prodeſſe poterant Eccleſiæ deliberauit. Ac cùm peſtis validiſsima Romæ tum graſſaretur, Supplicationes, quas Letanias Græci vocant, primus apud Latinos inſtituit. Quæ cûm primùm canerentur, LXXX. homines inter canendum ſpiritum exhalauerunt, vt autor eſt Diaconus, Longobardica hiſt. lib. 3. cap. 11. Diuiſit autem populum & 591.

Anni Christi.

Clerum in ſeptem ordines, vnde & ſeptiformis Letania dicta fuit. In primo ordine fuit totus Clerus: In ſecundo, omnes Abbates cum ſuis Monachis: In tertio omnes Abbatiſſæ cum cœtu ſuarum Virginum: In quarto, omnes puberes: In quinto, omnes viri Laici: In ſexto, omnes Viduæ: In ſeptimo omnes mulieres coniugatæ. In Miſſa complurima adiecit. Introitum ex aliquo Pſalmo canendum inſtituit. Kyrie eleiſon vt nouies caneretur: Alleluia toto anno, demptis Septuageſimæ diebus, vſq; ad Paſcha vt caneretur ſtatuit. Ad Canonē addidit, Dieſq; noſtros in tua pace diſponas: vſq; ad, per Chriſtum Dominum noſtrum. Magnam partem Stationum, maximē quæ in Baſilica Petri habentur, ordinauit, Hæc Plat. Porrò & hæc cōſtituiſſe dicitur: Ne videlicet Bigamus Presbyter ordinaretur. Ne quis Sacerdoti in concubinatu agenti operam daret. Sacerdotibus cauſam dicturis, dedit autoritatem, vt iureiurando vitæ innocentiam probarent. Epiſcopum ſemel tantûm conſecrandum eſſe ſanciuit. Mulieres cœnobia Monachorum ſubire vetuit: Quod ex caſtimonia Clauſtralium, ortum habuiſſe videtur. Monachos omninò à Baptiſmo remouit, nec idoneos cenſuit, qui pueros ſuſciperent ex baptiſmo. Vltimam voluntatem morientium ab omnibus ratam haberi voluit. Hæc Sabell. & Chro. Chronicorum. Scriptorum verò quæ reliquit volumina, cûm paſsim extent, non eſt neceſſe, vt enumerentur. Multa præterea ædificauit, In Sicilia ſex Monaſteria conſtituit. Romæ domum Paternam monaſterium, in quo pauperes hoſpitio acciperentur, fecit. Ac cûm eius temporibus Anglorum, qui populus in Paganiſmo eouſq; permanſerat, quidam Romam veniſſent, viſa eorum forma, verè eos Angelos fore dixit, ſi Chriſtum agnoſcerent: nec deſtitit donec optata perficeret. Miſſo namq; in Angliam Auguſtino, cum Melito & Iohanne, quibus & alios quoſdam probatæ vitæ monachos comites addidit, totam ferè Angliam per eos ad Romanæ Eccleſiæ ritum & fidem conuertit. Mauricio tandem Imperatori Clerum ad militiam cogenti, vehementer reſtitit, eumq; obiurgauit grauiter. Volat. Hermannus Contractus in ſuis Chronicis ſcribit, Gregorium miſſo in Angliam Pallio, Londonienſem & Eboracenſem Epiſcopos, ab alijs Epiſcopis, vt Metropolitani eſſent, primùm diſcreuiſſe.

Hoc tempore contentio fuit de PRIMATV inter Romanam & Conſtantinopolitanam Eccleſiam. Iohannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Græcorū Synodo pro Vniuerſali Patriarcha proclamatus fuit. Hinc Mauricius Imperator mandauit Gregorio Romano Pontifici, vt obediret Conſtantinopolitano Patriarchæ. Sed Gregorius contrà probans, Petro claues eſſe traditas à Chriſto, Quem tamen ipſum Vniuerſalem non dixerint, Romanam ſedem in ſeruitutem Conſtantinopolitani Epiſcopi redigi non eſt paſſus. Extant hac de re aliquot Gregorij Epiſtolæ, ad Mauricium Auguſtum, ad Conſtantinam Auguſtam, ad Epiſcopos Alexandriæ & Antiochiæ, ad ipſum quoque Iohannem Patriarcham, & alios quoſdam ſcriptæ, Quas conſulat lector. Habentur autem inter Epiſtolas Gregorij lib. 4. ab Epiſtola 32. vſq; ad 40. Hac elatione Conſtantinopolitani Epiſcopi Gregorius motus eſt, quò humilem ſe oſtenderet, vt primus omnium Rom. Pontificum, Seruum Seruorum ſe ſcripſerit.

Mauricius Imperator circa finem Imperij ſui, in tantam auaritiam prolapſus
603. eſt, vt aliquot millia captiuorum minimo precio, à Caiano Auarum rege, qui ſingulis nummis eos redimendos propoſuerat, redimere noluerit. Qua re Caianus ad iram prouocatus, cûm ſe contemni videret, ad vnum omnes trucidauit. Altero

deinde

deinde ſubſequente anno, qui Imperij Mauriciani decimus nonus erat, Monachus quidam homo præſagus, capite nudato, pedibuſq; diſcalciatis, Vrbem Conſtantinopolim vicatim diſcurrens, Imperatorem cunctis audientibus gladio periturum prædixit. Hinc Imperator, cùm ſeditione apud Conſtantinopolim exorta vix euaſiſſet, viceſimo Imperij ſui anno, ad ſe rediens, quibus ſeſe peccatis onerauerat recordans, cùm tot hominum millia, ob auariciam ſuam occidi permiſiſſet, pœnitentia ductus in hac vita, quas meruiſſet recipere à Deo pœnas efflagitabat. Miſsis itaq; per omnes Eccleſias Imperij, ac in Eremos quoq; ad ſanctos, vt habebantur, monachos, legatis cum muneribus, ſupplicationes pro ſe fieri deprecabatur, vt Deus miſertus ſui, in hac vita ſupplicia de ſe ſumeret. Hæc ita ſumma cum humilitate atq; ex animo petenti Imperatori, ſomnium fatidicum, diuina miſeratione in conſolationem oſtenſum eſt. Videbatur enim ſibi, Imagini ſe Saluatoris, quæ ante æneam palatii portam poſita erat, ſiſti populumq; magna cum frequentia ibidem adeſſe, mox vocem cœlitus, quaſi à Domino noſtro Ieſu Chriſto, factam emitti, quæ diceret, Date Mauricium. Tum ſtatim eum compræhendentes iudicis lictores, ad iudicem adducunt, qui proprio ore locutus ei, dixit, Vbi vis vt reddam tibi: hîc ne: an in futuro ſeculo? Quo audito ille reſpondit: Amator hominum Domine & Iudex iuſte, hic potius ac non in ſeculo illo. Statimq; vox diuina iuſsit tradi Mauricium, & Conſtantinam vxorem eius, & filios, & omnem cognationem domus ipſius, Phocæ militi. Expergefactus ergo Mauricius, confeſtim ad Philippicum generum ſuum miſit, vt ad ſe quàm velociter veniret: quem ſine mora comparentem primûm rogauit, vt ſibi ignoſceret, quòd eum eouſque tanquam vitæ eius Imperioque inſidiantem ſuſpectum habuiſſet, ſtatimque reuelato, quod videbat ſomnio, quiſnam Phocas eſſet, interrogauit. Quo reſpondente, eſſe quendam exercitus procuratorem, iuuenem temerarium, ſed per omnia timidum. Mauricius dixit: Si timidus, profectò & Homicida eſt. Huic ſomnio ſtella crinita eadem nocte effulgens, ſuis ſuffragijs Mauricij interitum confirmauit. Die quoque noctem eam ſubſequente Magiſtrianus, qui ad Patres in Eremum miſſus erat ad vrbem rediјt: Patruumque nomine Mauricio dixit. Deus recepta pœnitentia tua ſaluabit animam tuam, & cum ſanctis cum tota domo te conſtituet: ab Imperio verò cum ignominia & periculo vitæ dejicieris. Quibus ita conſonantibus, collaudauit Deum Mauricius, atq; omnia ſua Diuinæ Maieſtatis diſpoſitioni com mittens, vitæ ſuæ exitũ præſtolabatur. Pauco elapſo tempore, cûm Mauricius militibus ſuis in hoſtili terra hyberna agere demandaſſet, ſeditio contra eum exorta eſt, qua Phocas ille, cui in ſomnis tradi ſe audierat, à militum turba Imperator eſt deſignatus: qui Conſtantinopolim veniens, vrbemque tumultuantem per cuſtodum negligentiam occupans, à Patriarcha & omni populo in Imperio eſt confirmatus. Quibuſdam verò imperata eius detrectantibus, ac dicentibus, Mauricium nondum eſſe mortuum: ad necem ipſius animum intendit: miſsisque militibus, qui ex Monaſterio, ad quod cum ſuis confugerat, eum extraherent, Chalcedonem deductum miris cruciatibus affecit, iugulatis in conſpectu eius quinq; filijs, in quorum interitu patrem aliud non feciſſe tradunt, quàm quòd attentè Deum inuocauerit, ſubinde illud referens: Iuſtus es Domine, & iuſtum iudicium tuum. Filijs occiſis, & ipſe interfectus occubuit. Sic Imperator hic auariciæ ſuæ pœnas in hac terra exoluit. Poſt hæc tempora ſemper peius habuit Conſtantinopolitanum Imperium, neque vnquam ad priſtinam potentiam peruenire potuit, donec penitus à Saracenis, ac denique à Turcis

 ſit ex-

Anni Christi.

ſit extirpatum. Quod vt ordine factum ſit, in Chronologia ſatis eſt copioſè indicatum, ac ſi quæ reſtant ſcitu digna, in ſequentibus ſuis locis indicabuntur.

605. Gregorio Magno Pontifici Romano, Sabinianus vltimus ex Romanorum Epiſcopis ſucceſsit: Cùm qui ſequantur ad vnum omnes plus ſibi eſſe ſint viſi quàm Epiſcopi, de quo mox dicendum erit. Sabinianus verò à Gregorio ſummo in honore eſt habitus, vt quo ſemper in Legationibus ad Imperatorem ſit vſus, vt ex Epiſtolis Gregorij videtur. Ipſe verò non pari nec dilectione nec honore Gregorium eſt proſecutus: quod tum apparuit, cum ipſi in Pontificatu ſuccederet. Tum enim deteſtatus eſt omnia quæ Gregorius fecit, atque ſic contra eum inuidia & odio accenſus fuit, vt ægrè abſtinuerit, ne libros eius combureret. Hic cùm premente vrbem fame, ſemel eſſet admonitus, vt in diſtribuendis eleemoſynis Gregorij beneficentiam imitaretur, reſpondit: Gregorium diſsipaſſe Eccleſiæ bona tantùm ob id, vt popularem fauorem aucuparetur. Horas campanæ pulſu propter officia Eccleſiaſtica diſtinguere iuſsit. Ac vt lampades accenſæ in templis continuè conſeruarentur ſtatuit: Dignus ſanè cui vniuerſalis Antichriſti Epiſcopus ſufficeretur.

607. Bonifacius tertius patria Romanus Sabiniano ſucceſsit: is à Phoca Imperatore magnis contentionibus obtinuit, vt Romana ſedes, & diceretur & haberetur omnium Eccleſiarum caput. Atq; ſic Conſtantinopolitana Eccleſia ambitioſo titulo Primatus eſt priuata: quæ ſe primam aliarum Eccleſiarum ſcribere ſolebat. Rationes quibus vtrinque pro ſuarum Eccleſiarum primatu concertatum eſt, hæ ſunt omnium potiſsimæ. Conſtantinopolis ſibi primas deberi ratiocinabatur, Quòd Conſtantinopoli ſederet is, qui eſſet Imperij Caput. Roma ſe iurè anteferri Conſtantinopoli his rationibus euicit, Quia Conſtantinopolitanus Princeps à Roma nomen haberet, dicereturq; Imperator Romanus: Deinde, Imperium à Roma ad Conſtantinopolim tanquam ad Coloniam translatum eſſe: Præterea, Petrum claues tradidiſſe ſuis ſucceſſoribus Romæ, non Conſtantinopoli. Atque in hunc modum confirmata eſt autoritas Papæ, quæ ſuper mendacio & nugis ſuperædificata ab Imperatore parricida atque Tyranno confirmata ac conſecrata eſt. Quod lectorem meminiſſe operæ precium erit. Quàm ſplendidè verò ſeſe hoc caput Eccleſiæ in principio oſtenderit Mundo, tam ex dictis, quàm ex factis Pontificum cerni poterit, ita vt non fruſtra in Apocalypſi, capite decimo, Angelo qui de cœlo deſcenderit ſit aſsimilatus. Summus enim Angelorum, id eſt, doctorum in Eccleſia habebatur: in cœlo autem non manſit, ſed deſcendens indè vno pede in terram poſito altero verò ſupra mare extenſo, Mundi dominationem appetijt: Magnoq; clamore Legum ac decretorum tam potentes ac ſapientes huius Mundi, qui per terram ſignificantur, quàm impotentem ac leuem turbam, quæ mari præfiguratur, vt Apocalyp. 17. cap. videtur &c. ſibi ſubiecit. Sed de hoc in Apocalypſis expoſitione abundè dictũ eſt. Videbimus nunc, quid Bonafaciens ille Papa primus boni conſtituerit. In Synodo LXXII. Epiſcoporum XXX. Presbyterorum, & III. Diaconorum ſtatuit ſub Anathematis pœna, ne ante tertium diem aliquis deligeretur in demortui Pontificis, vel Epiſcopi locum: Anathemate quoq; damnauit, vel fauore, vel largitionibus ſibi parantes aditum ad Epiſcopatum. Epiſcopum à Clero & populo pariter eligi voluit, eamq; electionem ratam eſſe iuſsit, ſi Princeps ciuitatis ratam haberet, & ſummus Pontifex denique his verbis ſuam autoritatem interponeret: Volumus & iubemus. Sic paulatim os illud Leonis ex Angelica facie rugien

in Principium autoritatem irrepſit, donec obtenta occaſione in totum eos excluſerit, vt in ſuccedentibus Pontificum vitis obſeruare licebit. Hoc tamen in primis hîc obſeruare iuſſerim pium lectorem, quòd nullus Pontificum, egregij aliquid ex hoc tempore, pro ſedis Romanæ Tyrannide conſtituens, diu ſuperuixerit. Quod & huic Bonifacio accidit. Cætera in Chronologia obſeruabis.

Bonifacius quartus, Papa verò ſecundus, Marſus natione, tertio Bonifacio in Romana ſede ſucceſsit. Qui nihil egregij quod Summi Pontificis autoritatem promoueret conſtituit. Sacrato enim omnium deorum templo, omnibus Chriſti ſanctis, vt in Chronologia dictum eſt, Hoc vnicum addidit, vt Monachis prædicare in publico, hominesq; peccata confitentes abſoluere liceret. Hinc Monachi in Sacerdotum tribum aſſumpti, & æquali ferè poteſtate in ligando & ſoluendo Papalitus (cœlitus volebam dicere) condonati ſunt. 602.

Huic Theodatus ſucceſsit, quem latinè, Deus dedit, vocare ſolent, Subdiaconi hic filius fuit. Hunc tantæ ſanctitatis fuiſſe ferunt, vt quendam obuium Elephantiæ morbo laborantem, oſculo ſuo lepra ſtatim liberauerit. Conſtituit autem, ne filius Patrimi puellam è ſacro fonte à patre leuatam ducere in vxorem poſſet. Quod equidem haud parua Antichriſti nota fuit, liberas à Deo permiſſas nuptias prohibere. Attamen hinc Spiritualis, vt vocant, cognatio ſuam traxit originem, de qua cognationis legas libros Pontificiorum. 615.

Theodato Bonafacies quintus eſt ſuffectus: hic decretis ſuis liberam alendorum furum ac homicidarum in locis ſacratis poteſtatem dedit. Conſtituit enim, ne confugientes ad Eccleſias vi indè retraherentur. Accolitos quoq; prohibuit, ne Martyrum reliquias attrectarent. Res profectò magni periculi & negocij Sacrilegos verò in quouis loco Anathemate ferire liberum fecit. Teſtamentum iuſſu principis vbiq; valere iuſsit. Quod ſucceſſores eius ad ſe traxerunt. Niſi enim ipſi comprobaſſent diuitum teſtamenta, valere nequibant. Sed de hoc ſuo loco. 618.

Honorius huic ſuccedens, cùm in pace ageret Romana Eccleſia, totum ferme Clerum reformauit. Baſilicas Romæ pleraſque ſuo nitori reſtituit; aliquas ex fundamentis ædificauit. Vt omni tandem Sabbato Letanijs iretur à S. Apollinaris ad S. Petri, primus inſtituit. Vndè & circuitiones in Eccleſia originem habere videntur. 623.

Eodem anno Mahomet in Arabia potens eſt factus. De huius origine omnes ferè Hiſtorici conſonanter tradunt, quòd humili loco natus fuerit, captusque á Scenitis (Arabiæ populus eſt) Abdimoneple cuidam mercatori prædiuiti ſit venditus. Qui forma eius delectatus non vt ſeruum, ſed liberi loco eum educauit. Cumque adoleuiſſet, mercimonijs præpoſuit. Qui vafer ingenio, lucrum mirum in modum auxit, vndè & domino gratior, toti eius ſubſtantiæ & negociationi præficitur. Hinc cum Chriſtianis atq; Iudæis commercia habens, ab vtriſq; quæ ſibi placerent didicit, Sergijque monachi cuiuſdam, qui ad Abdimoneplem ex Bizantio confugerat, vt pœnas mala opinione meritas euitaret, monitu, nouam fidei formam & doctrinam in animo concepit. Quam accepta pòſt occaſione in Alcoranum congeſtam publicè propoſuit. Defuncto namque Domino ſuo, ab Vxore eius in omnium rerum communionem, inque Thorum coniugalem aſſumitur. Hanc fraude circumueniens, cûm ſæpius morbo comitiali corriperetur, in eam opinionem traduxit, vt Prophetam ipſum eſſe crederet. Dicebat enim, angelorum ſe viſiones habere, quorum claritatem cûm ferre non poſſet, ita ſeſe excruciari. Vulgata

tandem ab vxore, & à Sergio comprobata hac fama, à compluribus vt Prophetes
obſeruari & coli cœpit. Morte tandem vxore confecta, cùm bonorum omnium
hæres eſſet ab ipſa relictus, ad potentiam aucupandam opibus eſt vſus. Paulatimq;
Sarracenos ſibi ſubjiciens, eum excitauit ignem, quem nec orientis Imperatores, nec
occidentis Principes ad hunc diem vſq; penitus extinguere valuerunt. Hic Maho-
metes cum ſuis Sarracenis, in Apocalypſi capite nono, ſub imagine ſexti Angeli tu-
bam habentis, præfiguratus eſt. Cuius rei declarationem in noſtra quoq; Apocaly-
pſi copioſam dedimus.

629. Sicuti ſerpens ſerpentem, ita & hæreſis hæreſim parit. Nam cùm Eutychiana
hæreſis de vna in CHRISTO natura, totum iam Orientem centum & octoginta
ferè annos vario motu diſtraxiſſet, noua tandem facie alioqu e nomine denuò eſt
confirmata, per eos, qui vnam tantùm in Chriſto Voluntatem & operationem af-
firmabant. Quæ Secta mirabili quodam modo eſt exuſcitata. Heraclium Impera-
torem, cùm apud Hierapolim eſſet, ſæpius conueniebat. Athanaſius Iacobitarum
Sectæ Patriarcha (Quæ Secta quando cœperit, aut cuius ſententiæ fuerit, non me-
mini me legiſſe) vir acris & peruerſi ingenij, natiuas Syrorum verſutias animo
poſsidens. Cumque de fide quæſtio (vt fit) eſſet mota, promiſit ei Heraclius, ſi
Chalcedonenſi Synodo ſubſcriberet, Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchatum. Quem
ille gratanter ſuſcipiens, duas vnitas in Chriſto naturas ſe confiteri ſimulat. At quò
incautum ſuæ ſententiæ conformem redderet Imperatorem, interrogauit eum,
Quid de Voluntatibus & operationibus in Chriſto eſſet dicendum, duplas ne an
ſimplas (vt Chronographi vtar vocabulis) eſſe eas dici oporteret? Tum Impera-
tor rei nouitate conſternatus, ipſe conſilij inops á Sergio Conſtantinopolitano Pa-
triarcha, quid ſtatuendum ſit, per literas expoſcit. Qui cum natione Syrus, ac pa-
rentibus Iacobitis natus eſſet, vnam naturalem Voluntatem, & vnam operatio-
nem in Chriſto eſſe, reſcripſit, atque confeſſus eſt. Cui ſententiæ Cyrus Phaſelid
Antiſtes, ab Heraclio interrogatus, mox acceſsit. Quibus & Athanaſius, cùm Im-
peratorem callidè circumuentum ſuæ ſententiæ cerneret, ſine mora acquieuit. No
uerat enim, quòd poſita vna voluntate vnaque operatione, Vnam naturam poni
ipſa conuinceret neceſsitas: Dubius tandem ea de re Heraclius, ſcribit ad Roma-
num Pontificem: Iohannem vocat Chronographus, quem ego memoria lapſum
iudico, præſertim cùm viceſimo Heraclij anno hæc facta videantur. Sed quicun-
que fuerit, is ſententiam Monothelitarum (ſic enim vocant eos qui vnam tantùm
voluntatem in Chriſto ponunt) condemnauit: Defendentibus autem eius Sectæ
autoribus ſuam de vna Voluntate ſententiam, ac quotidie (vt fit, ſi nouum quid
audiatur) maiores vires, cum multi accederent & aliorum locorum Epiſcopi, ac-
quirentibus, Nolens Cæſar ſua deſtruere, mandatum, haud dignum tanto Princi-
pe, propoſuit: vt videlicet neque vna, neq; duæ in Chriſto operationes vel volun-
tates eſſe dicerentur. Atque in hunc modum magnam calumniatori feneſtram
aperuit. Palàm enim Eutychiani vociferari, Chalcedonitas primùm ſibi vnitos fu-
iſſe, cùm vnam in Chriſto voluntatem ſtatuiſſent: nunc autem pœnitentia ductos
cùm ſeſe corrigere velint, vtraſque in Chriſto Voluntates, quas antea aſſeruiſſent
amiſiſſe. Diuexauit autem hæc hæreſis, vt & aliæ præcedentes, totum Orientem
donec Sarraceni præualentes, omnem Chriſti fidem & religionem in ijs Religioni
bus publicitus extirparunt.

636. In Honorij Pontificis Romani locum, Seuerinus ſucceſsit, Conyrmatus vero
eſt i

eſt in Pontificatu ab Iſacio Italiæ tum Exarcho. Populi enim &Cleri electio parui pendebatur, niſi eam vel Imperatores ipſi, vel Exarchi eorum confirmaſſet. Iſacius itaq; ob eam cauſam Romam profectus, cùm Pontificem confirmaſſet, ne gratuitò tantum laboris ſuſcepiſſe videretur, theſaurum & Sacrarium Baſilicæ Lateranenſis, ad iuuantibus Romanis quibuſdam, ſpoliat, reſiſtentibus aliquandiu, fruſtrà tamen, ſacerdotibus templi, quorum primates omnes poſtea in exilium relegauit Iſacius. Indignabatur enim eos tantum in theſauris habere, neq; quicquam in vſus bellicos conferre, præſertim cùm milites rerum omnium tunc inopia laborarent. Huius prædæ partem militibus conceſsit, partem ſecum Rauennam detulit, reliquum verò ad Imperatorem miſit, Indicans procul dubio; quem ad vſum bona Eccleſiaſtica à Sacerdotibus conſeruarentur, vt eiuſmodi prædonum mos eſt. Ego verò demirari ſatis non poſſum, quo tandem pacto euenerit, quòd Primas ille & Vniuerſalis totius Eccleſiæ Epiſcopus, ac terræ cœliq;, vt poſteri eius eſſe voluêre, Dominus, non fulmine contriuerit tam impudentem ſacrilegum, qualis Iſacius fuit. Sed vt aliàs dixi, fuit tunc tempus Crucis, quæ vtiq; ferenda fuit. Sed poſteri eius aliam viam inuenêre, qua & Dominos & Crucem eiuſmodi abijcere valuerunt, vt ex actis ipſorum videbitur.

Quam ob cauſam Bonifacius ille à plæriſque Chronographis omittatur, ſcriptum non reperi: Neq; quicquam præterea quod egerit aut conſtituerit. De Iohanne verò quarto tradunt, quòd Iſtrios & Dalmatas conterraneos ſuos à Longobardis bello captos, theſauris ab Iſacio apud Lateranum relictis, à captiuitate redemit. Ac ab initio Pontificatus ſui præcepit, vt res Eccleſiaſticæ temerè ablatæ in quadruplum reſtituerentur. Cui an parſum ſit neſcio. Noſtro enim ſeculo eiuſmodi ſunt hominum ingenia, vt libentius plus auferrent ab Eccleſijs, quàm ablati aliquid vel minutiſsimum reſtituerent. 638.

Theodoretus Iohannis ſucceſſor, Pontificia vſus autoritate, Paulum Conſtantinopolis Patriarcham dignitate priuauit, eò quòd recuſabat ſuſcipere à ſe normam Orthodoxæ fidei. In Monothelitarum namq; errore perſiſtebat Paulus. Cæreos in Sabbato Paſchatis conſecrare hic Theodoretus inſtituit. Matrimonium eorum dirimere vetuit, qui poſt ſimplex votum contraxêre. Cæterum & hoc ſciendum, quòd hic Theodoretus Theodori Hieroſolymitani Epiſcopi filius fuiſſe perhibetur. 640.

De Martino Papa nihil, præter id quod in Chronologia dictum eſt, memoratu dignum legi, quam quòd Papalem eius dignitatem, & Vniuerſalem Epiſcopalitatem (vt ſic dicam) parùm ſit Imperator pro dignitate reueritus. Nam cùm grauius ei per Synodum collectam reſiſteret, Pyrrhumq; Pauli ſucceſſorum cum alijs (vt ibi diximus) excommunicaret, ſtatim miſit Imperator Olympium poſtea Exarchum, vt Monothelitarum Sectam in tota Italia plantaret, Martinumq; vel interficeret, vel captum Conſtantinopolim mitteret. Olympius autem Conſtantinopolim redijt, luſa omni opera: quia neque illius Sectæ virus ſpargere, propter congregatum Concilium, nec Martinum capere potuit. Theodorus verò Exarchus, poſtea à Conſtante ob eandem cauſam miſſus eſt. Is Romam ſe veniſſe ſimulans ſalutatum Pontificem, aſtu Martinum cepit, & catenis, proh dolor, vinctum Sanctiſsimũ Conſtantinopolim perduxit, vnde exilij cauſa in Cherſoneſum Ponti tranſlatus eſt, vbi tandem multis preſſus miſerijs cum mœrore vitam finiuit. Sunt & alij complures, orthodoxam fidem palàm confitentes, vnà cum Martino 646.

Anni Christi. proſcripti,inter quos & ſanctitate & doctrina omnium clariſsimus Maximus fuit, monachorum in Africa exiſtentium eo tempore Pater. Sed nihil profecit hac inſania Conſtans. Occidentales namq; Eccleſiæ vnanimi conſenſu , Monothelitarum veſaniam ex ſacris ſcripturis, recto pioq; iudicio condemnarunt.

654. Eugenius Papa, primus carceres habere Epiſcopis mandauit,vt delicta Clericorum contumacium in ijs plecterentur. Ita ſenſim ad ſe traxêre poteſtatem ciuilis gladij. Mandauit quoq;,vt Sacerdotum domicilia iuxta Eccleſias extruerentur. Monachis inſuper præcepit, ne exirent monſteria, ſine ſuperioris conſenſu. Volat. autor.

657. Vitalianus Eccleſiaſticam regulam ſcripſit,Cantum in Templis ordinauit,& Organa humanæ voci adhibuit. Plat. Volat.

672. Adeodatus á Monacho Papa Romanus,Eccleſiam S. Petri via Portuenſi inſtaurauit,& dedicauit,Monaſterium Sancti Eraſmi in Cælio monte,in quo ipſe vitam monaſticam duxerat,ſumptuosè auxit.Et cúm prodigia multa , quæ Sarracenorum irruptiones in Siciliam & loca Romæ vicina,& alia prædicebant, ſubinde fierent, crebras ad tollendum eas ſupplicationes inſtituit. Prodigia autem hæc fuiſſe perhibentur. Stella Crinita per tres menſes apparuit, pluuiæ magnæ ac freqentia tonitrua, qualia nunquam antea fuère. Ferunt autem, his frequentibus pluuijs omnes ſegetes conculcatas, iterúm renatas eſſe. Platina.

677. DONVS Papa hæc perfeciſſe traditur. Veſtibulum B. Petri (quod Paradiſum vocant) quadriporticum marmore ſtrauit : Inſtaurauit præterea & reſtitutam dedicauit Eccleſiam Apoſtolorum via Hoſtienſi, & Eccleſiam B. Euphemiæ via Appia ſitam. Clerum quoq; diuerſis ordinibus diſtinxit, & honoribus auxit. Monachos veró quoſdam Syros cum Neſtorianis ſentientes, in Monaſterio Boëtiano depræhenſos & caſtigatos, in varia monaſteria diuiſit : Boëtianumq́, Romanos in colendum tradidit Præterea tantum valuit doctrina & Sanctitate Pontificia,vt Rauennatem Eccleſiam, à Romana iam pridem ſegregatum (Volebat enim Rauennas Patriarcha æqualis haberi, vt olim fuerat, Romano Papæ) & ob eam rem Aliocephalim vocatam, ſedi Apoſtolicæ obtemperantem reddiderit : Theodoro eiuſdem Eccleſiæ præſide in hanc opinionem deſcendente. Plat.

681. Anno duodecimo Conſtantini, conuocatum eſt Sextum vniuerſale Concilium apud Conſtantinopolim, ipſius Imperatoris iuſſu (vt annales Conſtantinopolitanæ vrbis teſtantur) in quo conuenerunt ex diuerſis locis ducenti octoginta nouem Epiſcopi. Delati in medium ſunt Imperatoris quoq; iuſſu è Bibliotheca Conſtantinopolitana libri, vndè antiquorum patrum ſententiæ & decreta perlegerentur. Inuertebant(vt hæreticorum mos eſt) veras maiorum ſententias Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Machiarius Antiochenus, vnam tantùm voluntatem & operationem in Chriſto eſſe dijudicantes. Verùm cùm Orthodoxi rationibus & autoritatibus inſtarent, ac Gregorium in veram ſententiam deduxiſſent, Macharium pertinacem anathemate feriunt, eiuſq́; ſectatores, & Theophanium abbatem recta ſentientem,in locum Macharij ſufficiunt. Hac ſexta vniuerſali Synodo, & Cyrili, Athanaſij Baſilij, Gregorij, Dionyſij, Hilarij, Ambroſij, Auguſtini & Hieronymi ſententia concluſum eſt,Duas & naturas & operationes in Chriſto eſſe : exploſaq; eſt illorum pertinacia, qui vnicam eſſe in Domino voluntatem dicerent.Hæc Platina.Ego verò in tali negocio mallem è ſcripturis ſacris concluſionem, quàm ex Patrum ſcriptis petere. Quod primùm quidem non tanti eſſe

labo

laboris, cùm quis facilius & minori negocio ſacra perlegat Biblia, quàm tam infinita ferè Patrum volumina. Deinde & certiora ſunt, quæ ex ſacris Biblijs proferuntur, quàm Patrum dicta, Siquidem & hæc, niſi illorum autoritate confirmentur, non recipienda ſunt ab Eccleſia. Inuenta demùm in ſcripturis Sacris veritate, poſſem videre, quid Patres de ea ſententia retuliſſent, quomodoq; ſua ex Sacris confirmaſſent. Hoc ſi cum iudicio & Zelo pio facerent ij, qui docti & eſſe, & dici volunt, non tantum turbarum in Eccleſia exoriretur. Sed fruſtra ſunt admonitiones, cùm quilibet altero plus ſibi ſapere videatur.

ANNI Chriſti.

De Agathone veró nil inuenio, quod conſtituerit, niſi quòd Platina eius hortatu Conſtantinum ad Concilij conuocationem permotum fuiſſe ſcribat: Miſſamque latinam, cúm á Iohanne Portuenſi Epiſcopo, peracto apud Conſtantinopolim Concilio, celebraretur, ab omnibus approbatam eſſe. Quæ hinc autoritatem ſumens, omnes inde Eccleſias Romanum Pontificem agnoſcentes occupauit. 682.

Concilium Toletanum duodecimum in ea Vrbe celebratum, Bambæ Hiſpaniarum regis iuſſu conuocatum eſt, & in primo Eringij Regis anno finitum. In hoc nihil eſt aliud actum, quàm vt concordia inter Eccleſiæ miniſtros collatis vniuerſorum ſententijs, ac ſecundum ſcripturæ normam correctis, confirmaretur. Nam cùm paſsim variæ exurgerent ſectæ, Rex pius hoc propoſito ſuos contra eas præmunire voluit, Ne & ipſi inter ſe diuerſi, tam Regi, quàm vniuerſo regno exitiale faceſſerent negocium. Hoc regium eſt, Hoc eſt imitari Dauidem, qui victis hoſtibus paceq; in Regno parta, rem diuinam præ omnibus curæ habuit. Rari ſunt hoc ſeculo eiuſmodi Principes. 685.

Leo ſecundus hoc nomine Rom. Papa, muſices ita fuit peritus, vt Pſalmodiam conſcripſerit, & Hymnos qui in Eccleſia canuntur, ad meliorem concentum redegerit. Pacem dare populo in Miſſæ celebratione ſtatuit. Porrò ne quis in Archiepiſcopum electus quicquam pro uſu Pallij aliorumúe officiorum Eccleſiæ perſolueret, cùm ex hac largitione multa quotidie mala orirentur. Quæ lex iam dudum extincta iacet. Rauennates deniq; Præſules, qui Exarchorum freti autoritate, hactenus Romanæ ſedi parere noluerunt, ſed pares eſſe Romano Papæ, ita contudit, vt & edicto ſtatuerit, ne Rauennatis Cleri populiq; electio valeret, niſi Papa Roman. eam confirmaret. Quotidie baptizare permiſit, ſi neceſsitas ita vrgeret. Sed vt magis innoteſcat, quo iure Rauennatem Eccleſiam Romani Patres ſibi ſubiecerint, rem pauló copioſius indicabo. Decertatum fuit diu, de dignitate Eccleſiæ, inter Romanum Pontificem & Rauennatem. Donus tandem, vt dictum eſt, blanditijs ſubiecit Rauennatem Eccleſiam Romanæ. Rauennetes ægrius ferentes priſcum libertatis decus ſibi eripi, veriti tamen Conſtantinum, cui cum Dono & Agathone benè conueniebat, & Theodorum Exarchum, qui & Theodoro Rauennati Epiſcopo (qui Romam profectus Eccleſiam ſuam Papæ ſubiecit) erat amiciſsimus, paſsi ſunt ad tempus ſuam Eccleſiam à Romana ſubigi, quieueruntq; vſq; ad Iuſtiniani ſecundi tempora. Tum à Felice eorum Epiſcopo ad reperandam amiſſam libertatem perciti, omnibus modis conantur Papæ iugum excutere. Iuſtinianus verò, à Papa inductus, ſtrage, oppugnatione vrbis, bonorum direptione, exilio, & id genus malis, compulit eos ſubeſſe Romano Papæ; Feliciq; Antiſtiti, quòd defectionem ſuaſiſſent, candenti ære oculos ademit, & in Pontum oculis orbatum relegauit. Sabell. Naucl. autores. 686.

Benedictus ſecundus hinc Papa factus, tanta ſanctitate effulſit, vt Conſtantinum 687.

Anni Chriſti.

tinum quartum (Quod eſſe non poteſt, cùm Benedictus Iuſtiniani temporibu[s] fuerit) eo permotum ſcribant, vt ſanxiuerit, Romani Pontificis electionem à Cle[ro], Populo, Exercituque Romano factam, firmam eſſe debere, etiam ſine autoritate Imperatoris, & Italiæ Exarchi, ſine quorum autoritate electio Pontificis antea non fuit rata. Templa quædam vetuſtate collapſa Benedictus reſtituit: morte enim præuentus plura præſtare non potuit.

Iohannes Quintus Benedicto omnium conſenſu ſufficitur: Hic à tribus Epi-
688. ſcopis Hoſtienſi Portuenſi & Veliterno conſecratus eſt, quem quidem morem poſteri deinceps tenuerunt. Fuit autem hic Iohannes antè & in Pontificatu valetudinarius, ſcripſitq́; libellum de Pallij dignitate. Et hic morte præuentus, plura pro dignitate Romanæ ſedis conſtituere non valuit. Conon tandem Iohanni defuncto ſucceſsit. Nam cúm de electione acris contentio inter partes exorta eſſet, cúm populus Romanus Petrum Archiepiſcopum, Exercitus veró Theodorum presbyterum, eligeret, ac diu de electione eſſet concertatum, Conon omnium conſenſu eligitur, & duo alij repudiantur, propter conſeruationem pacis publicæ. Qui poſt initum pontificatum, ſtatim in Valetudinem incidit, vnde Paſchalis Archipresbyter ac Theſauri pontificij diſpenſator regnandi cupidus, Iohannem Exarchum pecunia ſollicitat, vt eius ſuffragijs poſt mortem Cononis Pontificatus ſibi decernatu[r]. Accepit pecuniam Exharchus, ſed nihil illorum quæ promiſerat deinceps præſtiti[t]. Cùm alio præmio quàm fruſtratione dignus non eſſet, homo auarus & Imperand[i] cupidus. Cononem veró S. Kilianum in Germaniam miſiſſe, quidam tradun[t]. Qui Kilianus ſuperioris Franciæ populos ad Romanæ Eccleſiæ fidem traduxiſ[ſe] perhibetur. Occiſus tandem à ſuis auditoribus, apud Herbipolim ſepultus, in hun[c] diem pro ſancto Dei homine à Francis veneratur.

688. Poſt Cononis mortem magna inter Romanos, de eligendo Pontifice conce[r]tantes, ſeditio eſt oborta. Populus enim in duo diuiſus, hinc Theodorum, hinc Paſchalem Archipresbyterum petebat. Theodorus iam cum factione ſua parten[t] Lateranenſis Epiſcopatus occupauerat, Cui cum ſua parte reſiſtens Paſchalis, i[d] quod reliquum erat de eodem Epiſcopatu inuadit. Ac cùm ſubinde maiores vtræque partes vires acquirerent, tandemque res eó deducta eſſet, vt de pugna non ambigeretur, cúm alter alteri ceſſurus non videretur, niſi vi & armis pulſus (Tant[a] ſanctitate vtrique pollebant) Principes ciuitatis Cleri militiæq́; Romanæ vnum i[n] locum ſecedentes, de pace inter partes reſtituenda conſultant. Ac cùm neutri eo[rum], qui ob ambitionem tantos motus concitauerat, demandandum Pontifica[tum] cenſerent, Sergium nemine aduerſante Pontificem deligunt: Eumque, refra[ctis] vi foribus, repulſiſque his qui locum occupauerant, in Lateranum introdu[cunt]. Quód cùm Theodorus cerneret, omniumq́; conſenſum animaduertere[t], Sergium ſine mora Pontificem ſalutat, ſeque ipſi, vt par erat, ſubmittit. Item fa[cere] Paſchalis quoq́; à multitudine armis circumſtrepente coactus eſt. Hic confi[r]mato iam Sergio, clam Iohannem Exarchum magnis pollicitationibus promiſſo[rum] admonet, eoque inducit hominem, vt Romam confeſtim veniret, præſcio n[o]mine, quò negligentes & incautos opprimeret. At cùm intellexiſſet Sergium a[b] omnibus confirmatum, eumq́; Paſchalis Simoniacam largitionem improbar[e], ira accenſus donaria quædam ex Baſilica Petri ſuſtulit. Paſchalis veró tanti ma[li] cauſa, condignam ambitionis ſuæ mercedem recepit. Magices enim & accuſat[us] & conuictus eſt (Nota ſanctitatem eius, qui caput Eccleſiæ fieri ambibat) ſort[e]

legi

legus honore ſacerdotali priuatur,atq; in monaſterium pœnitentiæ cauſa retrudi, tur, vbi quinquennio póſt eadem ſemper malicia vſus moritur.

Sedente igitur in ſede Romana Sergio, Iuſtinianus Imperator apud Conſtã, tinopolim Synodum celebrare inſtituit. In qua cùm & ipſe Monothelitarum & Eutychiana labe eſſet infectus, in fauorem eius multa ad errores illos confirman, dos, contra puritatem fidei ſunt concluſa, quibus tum forté Apocriſarius Sergij Conſtantinopoli agens imprudenter ſubſcripſit. Verùm cùm poſtea decreta illa Romam eſſent allata, Sergius ea condemnata ab Eccleſia exploſit. Quo facto ad iram concitatus Imperator, Zachariam quendam militiæ principem Romam mi, ſit, qui Sergium ad ſe vinctum traheret. Sed milites Exarchatus hoc præſentientes, arreptis armis Papam ab iniuria defenſabant: ac parùm abfuit, quin ipſum Zacha, riam occiderent: quem Pontifex ad ſe confugientem in cubiculo ſuo aliquandiu conſeruatum, clàm ad Imperatorem remiſit. Iuſtiniano haud longè pòſt ab Im- perio pulſo, Sergius pacem nactus, multa in exornandis Sanctorum templis egre- gia præſtitit. Agnus Dei, ter in Miſſa canere, ſub fractionem panis, mandauit. Leta- nias in die Annunciationis quotannis in vrbe dicendas inſtituit. Aquileienſem Ec- cleſiam, quæ Quintam Synodum non probabat, ad ſaniorem doctrinam autori- tate ſua reduxit.

Iuſtinianus verò eius nominis ſecundus Imperator, ad tantam peruenit inſa- niam, vt non tantùm populos vicinos, cum quibus pacem antea firmauerat, con- tra ius faſq; bello laceſſeret, ex quibus tamen plus damni, quàm emolumẽti habu, it: Verùm etiam peregrinos, eoſq; ex hoſtibus oriundos, aulæ ſuæ Præfectos face- ret, inter quos vnus Stephanus nomine, Perſa genere, tantæ fuit crudelitatis, vt cùm Princeps cubiculi factus eſſet, matrem etiam Imperatoris, eamq; Auguſtam, fla- gellis, ſicuti ſeruam, caſtigare præſumpſerit. Huic comes fuit Theodotus mona, chus quidam Principis Orator (vel, vt nos dicimus, Cancellarius) homo ad im, manitatem, & aliorum perniciem natus: is multos Reipublicæ Principes alioſq; viros illuſtres, tam ex Senatoribus quàm cæteris vrbis habitatoribꝰ varijs affecit in- iuris, alios exactionibus onerare, alijs ſeruitutes ſupra modum imponere, quoſdam ſuſpendio perimere, fumo deniq; palearum alios ſuffocare. Præfectus deniq; ipſius vrbis, Imperatoris iuſſu, quàm plurimos viros & ciues innoxios carceribus man- dare, quorum non pauci annis aliquot lucem non viderunt. Tandem Metropo, litani templum, quod Palatio propinquum eſſet, de fundamentis eruit, ædificioq; alio quo Imperatores à populo ſuſciperentur, ibidem ædificato: Fruſtra tamen multumq; reclamante Patriarcha. Quem in tantum animo perſequutus eſt, vt Stephano Ruffo, vrbis Prætori, ſeriò demandaret, vt noctu Patriarcham cum omni vrbis populo interficeret. Quæ res, cùm antea ſibi abalienaſſet populi animos, cùm ad Patriarcham eſſet delata, tandem occaſionem præbuit de alio Imperatore co- gitandi, Tyrannoq; remouendo. Euenit fortuitò, vt eodem die Leontius (quem & idem Tyrannus tribus annis in carcere retinuerat, ſed poſtea de obiectis purgatum, Græciæ Prætorem fecerat) cum militibus ad Prouinciam ſuam exire pararet: hunc fratres ſui duo, vtrique Monachi, quorum alter Aſtrologus peritiſsimus erat, retinuerunt, eique Regni gubernacula ea nocte tradenda eſſe, ſunt pollici, ti. Qui accepta militum ſuorum manu, primùm Prætorium occupat, Præto- remque vinculis iniecto carceres aperit, victoſque tam nobiles quàm ignobiles, quorum numerus ingens erat, eductos inſtruit armis: indè in forum procedens

696.

tumultu

Anni Chriſti.

tumultu per clamorem facto, ciues conuocat; qui re perſpecta ſtatim accerſit
Patriarcha, Leontium faciunt Imperatorem, maneq; facto Iuſtinianum capiunt
naſoq; & lingua truncatum in Cherſoneſum exulatum mittunt. Hinc miniſtro
crudelitatis ſuæ Stephanum Perſam & Theodotum, funibus per vrbem tractos
igni cremauerunt. Hic crudelitatis & perfidiæ Iuſtiniani ſuorumq; complicum pri
mus fuit exitus. Reuerſus tandem ad Imperium, quem finem habuerit, in Chro
nologia dictum eſt.

701. Iohannes VI. eius nominis Papa, præter ædificia Sanctorum, quæ à ruinis li
berauit, Petriq; Altare quod miro ornauit opere, nihil fecit egregij: Niſi quòd Gi
ſulphum Beneuentanum ducem Campaniam tunc vaſtantem, comminationibu
ad ſua repuliſſe dicitur. Scribit enim Platina, Hunc Pontificem captiuorum ho
minum calamitate motum, Legatos ad Giſulphum miſiſſe, qui mandarent ei, v
omiſsis Campaniæ & Hernicorum oppidis, in Samnium reuerteretur: quod ſi ſe
cus faceret, breui ſenſurum omnipotentis Dei in ſe iram. His monitis Giſulphun
perterritum, relictis quæ ceperat oppidis, ad ſua reuerſum eſſe: Iohannem verò ca
ptiuos ex toto Samnio requiſitos ex ærario Pontificio redemiſſe.

704. Huic Iohannes Septimus ſucceſsit, qui Oratorium in honorem Diuæ Virgi
nis Mariæ, in templo S. Petri extruit, in cuius parietibus, multorum patrum Ortho
doxorum effigies pictoria ſculptoriaque arte confectæ relucebant. His temporibu
Arithbertum Longobartorum regem (Is ſedente Conſtantino & Gregorio ſecur
do vixit, Tam certæ ſunt illorum hiſtoriæ) ſcribunt quidam religionis amore Ro
manæ ſedi donaſſe Coccias Alpes, & quicquid à Taurinis & Medullis vſque a
Genuam Liguſticamq; protenditur. Quidam verò affirmant, Arithbertum Con
ſtantini donationem confirmaſſe. Quorum vtrumque falſum eſſe, cæcus palpar
poſſet, Cùm nec res, nec tempora conueniant.

407. Zoſimus hinc, qui & Siſimus dicitur, Pontificatum ſuſcepit: hic podagra &
Chiragra ſic laborauit, vt nec cibum capere poſſet: tamen ita vrbis reparandæ cu
ram geſsit, vt materiam ſufficientem in tam breui temporis ſpacio (paucorun
enim dierum pontifex fuit) ad muros vrbis inſtaurandos, & alia quædam reparan
da procurauerit. Sunt qui veneno eum ſublatum arbitrentur. Nam vt quidam ſcr
bunt, & ipſe per contentionem, quam cum Dioſcoro quodam de pontificatu ha
buit, Papalem dignitatem obtinuit, Vide Nauclerum.

Conſtantinus Zoſimo ſuccedit, Hic ab Imperatore Iuſtiniano Conſtantino
polim vocatus (Quamuis annales Conſtantinopolis, nihil de hac re dicant) primu
ab Imperatore pedum oſcula excepiſſe fertur. Rediens inde conſtituit, Ne Impe
ratoris hæretici imago reciperetur, ſiue eſſet auro, argento, aut quouis alio metall
impreſſa aut inſculpta. Quo facto & omnes Principis monetas anathemate nota
uit. Ticinenſem tandem Epiſcopatum, cùm Præſul ille Mediolanenſi Archiepiſco
po ſubeſſe nollet, Romanæ ſedi ſubiecit. Ex qua re hoc lucri habuit Ticinenſis E
cleſia, vt, fumum vitans, in ignem inſatiabilem ſemetipſam coniecerit.

713. Philippus Imperium aſſumens, ſtatim in Eccleſiam Dei ſæuire cœpit. Amo
uit enim Cyrum Conſtantinopolis Patriarcham, & multos alios exilijs condem
nauit, qui Sextam Synodum, contra Monothelitas & Monophyſicos Eutychia
nos celebratam, blaſphemare nolebant. Sed hoc impunè non tulit. Nam cùm a
tero imperij ſui anno ſecuriſsimè ageret, ac rem omnem in tuto eſſe ſecum puta
ret, à proprijs miniſtris captus, oculiſq; priuatus, & ab Imperio deiectus eſt.

Gregor

 ANNI Chriſti.

Gregorij ſecundi (quem Blondus Stephanum vocat) acta in vnum conſcri-
bere, neque res ipſa neque temporis ſeries patitur. Quare hæc quorum tempora di-
ſtincta non ſunt, hoc loco indicabo. Quæ ad Perſonam eius, fuit vir doctus, Ro- 714.
mæ natus & educatus, à primis annis in Eccleſiaſticis verſatus, in iuuentute Biblio-
thecæ atque ſacellis præfuit. Diaconus factus cum Conſtantino Pont. Rom. Con-
ſtantinopolim profectus dicitur, vbi tantum in diſputatione de fide catholica ob-
orta, doctrinæ ſuæ ſpecimen dedit, vt facile omnes non recta ſentientes, veritatis
aſſertione erroris conuicerit. Pontificatum denique ſuſcipiens, Mœnia & Templa
vetuſtate collapſa, magna diligentia inſtaurauit, Templa quoque donis tum ex
auro cùm ex argento factis ornauit: In tota vrbe, ob res bellicas & alia prodigia,
quæ ſubinde narrabantur fieri, ſupplicationes frequentes habuit. Bonifacium inde
ſexto Pontificatus ſui anno, ex Britannia Romam venientem, cùm fidem eius per-
ſpexiſſet, Epiſcopum conſecrat, eumq; cum legatione ad Germanos, ad prædican-
dum Euangelion Chriſti miſit. Cuius opera & diligenti inſtitutione plæriq; Ger-
manorum populi, Chriſtum adhuc ignorantes, ab Idolis ad fidem Chriſti conuer-
ſi ſunt, inter quos primi fuêre Turingij, quos & Saxones quidam ſunt ſecuti. Extant
ad vtrumque populum huius Gregorij Epiſtolæ in lib. Conciliorum. Mortuo pau-
lò pòſt Arithberto Longobardorum rege cùm Luitprandus Aſprando patri adhuc
viuo eſſet ſuffectus, à Gregorio eò compulſus eſt, vt eam de qua ſupra dictum eſt,
Arithberti donationem etiam inuitus confirmaret. Quod verè fuit Romanum, tan-
toq; Pontifice dignum.

Dum hæc à Pontifice peraguntur, Haumar Sarracenorum princeps in Orien- 719.
te Chriſtianos perſequitur, edicto primùm omnibus propoſito, ne vino vterentur,
vnde & in hodiernum diem verè Sarraceni ſunt abſtemij. Chriſtianos verò à fide
deficientes à tributis liberos eſſe fecit. Cœtus autem facientes, & in fide conſtantes,
varijs affectos ſupplicijs interimebat, atque innumeros ob Chriſti Confeſsionem
hoc modo deleuit. Denique ad Imperatorem quoque Leonem ſcribens, vt Chriſti
fidem abnegaret cohortatus eſt. Sed non diu manſit hæc veſania. Chriſtus enim
miſertus ſuorum, Tyrannum vix tum alterum agentem in Imperio annum, è me-
dio tollit, ſuisque pacem, qualemcunque tali ſub regimine habere poterant, reſti-
tuit.

Anno ſequenti, qui fuit Leonis tertius, natus eſt ei ex Maria Filius, quem 720.
Conſtantinum vocauerunt. Is cùm à Matre coronationis ſuæ die, VIII. Cal. Ia-
nuar. qua Auguſta conſecrabatur ad Baptiſteriũ magna hominum frequentia por-
taretur, atque à Germano Archipræſule aquis iam immergeretur, alimoniæ excre-
mentis ipſam, qua Baptizabatur, vndam tam fœdè polluit, vt Germanus Patriar-
cha, ipſa rei fœditate permotus, maximo cùm gemitu dixerit, Hoc magni mali
indicium eſſe, quod per hunc puerum aliquando in Eccleſia eſſet perpetrandum nec
falſa eſſe loquutum, res ipſa denique comprobauit.

Anno Leonis ſeptimo, Iudæus quidam Gizidi Sarracenorum Amirati fal- 724.
sò perſuaſit, ſi imagines omnes, præſertim eas quas Chriſtiani in honore ha-
berent, toto regno ſuo ejiceret, eum annis quadraginta Regno potiturum eſſe.
Qua promiſsione permotus ille confeſtim omnes ex Imperio ſuo Iconas protur-
bat. Sed ſpe falſus eſt. Altero enim anno pòſt morte eſt abſumptus. Hæc fama de
imaginum extirpatione, cùm ad Leonem eſſet perlata, in tantum mouit virum,
vt omnes virtutes ſuas in id intenderet, quò omnes Sanctorum vnà cum Chriſti

Anni Christi.

Domini Iconas per vniuerſum Romanum Imperium abolerentur. Mali tandem
nactus conſilij peſsimum defenſorem, Nacoliæ Epiſcopum, magno cum furore
726. rem ad peragendum eſt aggreſſus. Edictisque per Imperium emiſsis, Imagines tolli,
ſibiq; Conſtantinopolim deferri mandauit: allatas ex ligno factas ſtatim combuſ-
ſit: patientes verò ignis partim comminuit, alias conflata materia, alia induit for-
ma. Quod cùm reſciuiſſet Gregorius Papa Romanus, pro ſuo quo fungebatur of-
ficio, literas ſatis duras ad Imperatorem miſit, quibus à propoſito eum dehortaba-
tur, ſimulque docebat, Imperatoris non eſſe, res adminiſtrare Eccleſiaſticas, aut rece-
pta ab antiquis Patribus dogmata, peruerſo quodam nouitatis ſtudio violare. At
cùm nihil efficeret aliud, quàm vt maiorem ad furorem Imperator incitaretur,
Sanctiſsimus, vt à Domino acceperat (Lucæ 22. Reges Gentium &c.) & ab Anteceſ-
ſore ſuo Beato Paulo (Rom. 13. Omnis anima &c.) didicerat, furori eius reſiſtens
primùm per Italiam vniuerſam, quæ adhuc Imperatori parebat, tributa dari inhi-
buit. Cumq; adhuc magis ſæuiret Leo, Paulumq; cum Exarchi poteſtate ad oppri-
mendum Papam Sanctiſsimum mitteret, Gregorius ciuitates omnes à iuramento
quo Leoni Imperatori eſſent aſtricti, ſine mora abſoluit, tantamq; libertatis cupi-
dinem Italiæ locis iniecit, vt non multum abfuerit, quin alium ſibi, quem Occi-
dentis dicerent Imperatorem, deligerent, Sed à Sanctiſsimo inhibiti, ſingulæ liber-
tati ſuæ conſulentes, Exarchatus iugum à ſe diſcutientes, ſingulos ſibi duces præfe-
cerunt. Rauennates verò itidem affectantes, ſeditione mota ipſum Paulum Exar-
chum interfecerunt. Ac cùm metuenda eſſet Imperatoris potentia, Gregorius cum
Longobardis fœdus iniens, totam Italiam ab Imperatoris obedientia retraxit. Eu-
tychum deinde Imperator ad recipiendum Exarchatum in Italiam miſit. Is pri-
mùm aſtu rem agens, aliquot loca recepit, ac Longobardos à Pontificis amicitia
mira induſtria abalienauit. Et ſi perrexiſſet, vt cœperat, paruo momento totius Ex-
archatus eſſent factus eſſet. Sed cùm Sanctiſsimus ijs ſe anguſtijs preſſum cerneret
ad Fulmen cœleſte properandum ſibi cenſuit, atq; anathemate Eutychum percuſ-
ſum, omnibus Italiæ populis exoſum fecit. Eutychus de fide Italorum, cùm ſe ab ei
ſperni ac derelinqui videret, dubitans, relicto Exarchatus honore Conſtantinopo-
lim redijt. Atque in hunc modum Orientis imperatores Italia per Sanctiſsimum
ſunt orbati. Ex hoc tempore Papæ in Italia Domini, ſubinde quæſiuerunt, qu
modo potentiam ſuam ſtabilirent, donec tandem à Pipino omni Orientalium me
tu liberati, maximam Italiæ partem, quam vi ſubegerat, dono acceperint: de qu
paulò pòſt dicendum erit.

Gregorius tertius hoc nomine Romanus Papa, anteceſſoris ſui veſtigijs inſ
731. ſtens, non minore ſanctitate Imperatorem Dominum ſuum ob imaginum de
ſtructionem eſt inſectatus, ac ille fuerat. Et quò maiorem ſibi apud omnes ſect
tores ſuos faceret autoritatem, rem ipſe paucis tam præcedentibus quàm ſequen
tibus Papis communem eſt aggreſſus, & quæ miraculi loco facile haberi poſsit.
enim cùm tantum & oris facundia & operum claritate polleret, per ſemetipſum
Verbum Domini clero populoq; Romano pro Concione explicauit. Tantusq
myſteriorum diuinæ ſcripturæ ſcrutator eſt habitus, vt nemo ei reperiretur ſecun
dus. Pauperes quoque mira charitate proſequutus eſt, Captiuos redimens, nex
propter æs alienum ſoluens, viduas & pupillos ab iniuria potentiorum defe
dens, in tantum, vt multorum in ſe inuidiam contraxerit. Hic primus Franc
rum fidem, ad tutandam Romanam ſedem, quæ tum à Longobardis premebatur

inuoc

Anni Christi.

inuocauit. Spreto naturali(vt ſic dicam) Domino, Imperatore Conſtantinopolita-
no. Quem, pacem nactus, & congregata Synodo non tantûm communione pri-
uauit, ſed ipſa quoque imperiali dignitate, quantum in ſe fuit, deiecit. Tantum ſibi 739.
tum temporis Beſtia illa vnica(ſi dijs placet)Sanctitatis cultrix, autoritatis in Sum-
mum mundi monarcham arrogare fuit auſa. Verùm imperator cum Sarracenis de
rerum ſumma eum inceſſanter inuadentibus decernens, non multum neq; Italiam
(ex qua minimi prouentus ipſi eſſe poterant, Epiſcopis omnia ad ſe trahentibus)
neque Romani Pontificis, aliorumúe minas & excommunicationes curans, in ſen-
tentia ſua perſtitit. Gregorius autem quò & rem Romanam Ceremonijs ornaret,
multa monaſteria partim inſtaurauit, partim à fundamento erexit, Queîs Fundos
Monachi vndè viuerent addidit. Regulas quoq; benè viuendi eis præſcripſit. Et ſa-
cra vt quotidie celebrarent, monachos iuſsit. Mœnia vrbis collapſa reparauit. Heb-
domadarios tum Sacerdotes, cum Monachos inſtituit, qui ſine intermiſsione ſibi
inuicem ſuccedentes, in Templo S. Petri ſacra facerent. In quo & Oratoriū omni-
um Sanctorum reliquijs ornatum extruxit. Atq; eam ob rem in Canone hæc verba
addidit, Quorum ſolennitas in conſpectu tuæ Maieſtatis celebratur, Domine Deus
noſter, toto in orbe terrarum: Quæ verba Sacerdotes poſtea omiſerunt. Ad Bonifa
cium quoq; legatione apud Germanos fungentem, Gregorius ſcripſit, Chriſtianos
prò mortuis ſuis verè Chriſtianis, poſſe offerre, Sacerdotesq́; mortuorum debere fa-
cere memoriam præcepit. Carne equina, ſiue ſylueſtris ſeu domeſtica foret, veſci
prohibuit, pœnitentiæq́; modum transgreſſori in pœnam conſtituit. Imagines ma-
iori in honore haberi præcepit, quàm antè hac vnquam habitæ erant.

Zacharias Papa, multa quoq; papalem dignitatem decentia, eademq́; præclara 742.
ſcilicet opera confecit. Baſilicas namq; minitantes ruinam reſtituit (Oportuit mul-
tas Romæ fuiſſe ab antiquo Baſilicas, quòd tot Pontifices, in ijs inſtaurandis labora
rint) Porticum & turrim ante Baſilicam Lateranenſem extruxit, in cuius fronti ſpi-
cio totius orbis deſcriptionem poni fecit: Fortaſsis vt indicaret, Papam totius Mun-
di fore aut eſſe debere Dominum. Veſtes auro & gemmis diſtinctas primus in ſa-
crum vſum dedit. Bibliothecam B. Petri reſtituit. Eccleſijs vectigalia, quo oleum
pro lampadibus emeretur, & fundos aſsignauit, ex quibus Sacerdotes viuerent.
Quatuor dialogorum libros à Gregorio conſcriptos, è Latino in Græcū tranſtulit,
Pacem inter Luitprandum & Spoletanum ducem fecit. Venetis quoque ſub pœna
maledictionis prohibuit, ne porrò Chriſtianos Sarracenis venderent, quod merca-
tores Venetorum hactenus lucri cauſa frequenter faciebant. Hunc Zachariam Pi-
pinus Caroli Martelli filius per legatos exorauit, vt regnum Franciæ, cuius iam an
tea curam gereret, cùm eſſet Maior Domus, ipſi confirmaret: Regemq́; Hildericum
Regni hæredem, cùm ſtupidus rerumq́; gerendarum omninò eſſet ignarus, inde re-
moueret. Pontifex accepti beneficij memor, quò Carolus à Longobardûm obſi-
dione Romanos liberarat, ſimulq́; ſperans ſe auxilia ea ratione paraturū cōtra Ori-
entis Imperatorem, poſtulatis eius annuit, principibusq́; Regni ſuadet, vt depoſito
Hilderico Pipinum Regem Franciæ agnoſcant, quem ipſe ſua cum poteſtate in re
gno confirmauit. Hildericum verò caput tonſum Monaſterio incluſit. Atque hoc
modo Romana ſedes Francorum Regum animos ſibi conciliauit, per iniuriam re-
gnum legitimo hæredi auferens, Seruoq; eiuſdem tradens. Sed hoc non fruſtra fuit.
Quin & ipſe Pipinus collocati in ſe muneris memor, permagnifico viciſsim mune-
re, Romanam Sedem haud longè poſt cohoneſtauit, de quo in Stephano II. dicetur.

Anni Chriſti.

744. Hali Sarracenorum apud Damaſcum princeps, Petrum eius loci Archiepiſco- pum, eò quòd liberè Sarracenos atque Monacheos erroris arguiſſet, lingua mutila- tum, in vlteriorem Arabiam ad Eudemonem exulatum miſit, Hoc Petrus quidam alius, Sarracenorum ſcriba, audiens, magno ſeſe animo, vt Martyrij coronam me- reri poſſet, Sarracenis oppóſuit. Nam cúm eo ipſo tempore graui morbo detinere- tur, Primores Arabum ad ſe vocauit, quos ex more venientes, cùm & antea ratio- nes tributorum ab eo recipere eſſent aſſueti, in hunc modum allocutus eſt. Quam- uis mihi ſatis conſtet, infideles vos eſſe amicos, tamen pro eo quód ægrotantem me viſitare dedignati non eſtis, cumulatam vobis à Deo mercedem reddi ex ani- mo deſidero petoq;. Atque vos mei, quod nunc condo, Teſtamenti teſtes eſſe volo, rogoque vehementer, vt auribus hoc perceptum, intimis viſceribus quotidie rumi- nandum, recondatis. Id verò tale eſt. Omnis qui non credit in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum conſubſtantialem & diuinam in Monade trinitatem, mor- tuus eſt anima, & æterno dignus ſupplicio. Talem verò Muhamad eſſe Pſeudo- prophetam veſtrum confiteor, quem & Antichriſti eſſe præcurſorem nihil addu- bito. Diſcedite ergo, diſcedite, cœlum vobis teſtor terramq;, ab eius nefandiſsimi nugis & fabulationibus. Hoc enim vobis conſulo, ne ſimul cum illo in perpetu- um cruciemini. Hæc dicentem Arabes, ſtupore, aut veſania magis, ex rei nouita- te perculſi, delirare hominem, atque ex languore rationis vſum amiſiſſe rati, paru- tum fecerunt. At cùm haud ita longè pòſt, ad priſtinum valetudinis ſtatum rediji- ſet, maiori quàm antehac vnquam voce clamauit, Anathema eſſe Muhamad, & fabuloſum ſcriptum eius, cunctoſque ei tam obedientes quàm credentes æterna ſu- maledictione perituros. Cumq; hoc ſæpius atq; in publico proclamaſſet, à Sarrace- nis furore agitatis, vi abreptus capiteque truncatus, Martyr, vt optauerat, Chriſt- effectus eſt, Rarum nunc apud Chriſtianos exemplum, Quorum plærique etiam in publico docendi officio conſtituti, ne ciuilis poteſtatulæ inuidiam ſubeant, inter medios Chriſtianos, veritatem etiam benè cognitam profiteri negligunt.

746. Monophyſicorum hæreſis, ſi non eadem, tamen filia eſt Eutychetis hæreſeos. Sunt autem ſic dicti, quód pertinaciſsimè vnam tantúm in Chriſto naturam eſſ- defenderent. Ac quamuis Deum & hominem confiterentur Chriſtum, tamen no- lebant ſingulas naturas ſuas ſeruare proprietates: Sed ex vtriſq; vnam factam natu- ram. Huiuſmodi hæreſis, his poſtremis annis, cum alijs multis hæreſibus, iterùm reſuſcitatur, ab inſectatoribus Angeli illius Apoc. 16. quartam phialam effunden- tis. Quorum plærique negant, ſi de duabus in Chriſto naturis dicendum ſit, ſinguli- ſuas proprietates attribuendas eſſe. Sed de his alio tempore & loco nobis dicen- dum erit, ſi vita datur: hoc loco admonuiſſe eos ſatis eſt, vt, ſi velint, errata cor- rigant in tempore, nec ad multitudinem errantium, ſed potius ad Dei veritatem re- ſpiciant. Erat enim & illo tempore magnus errantium numerus, qui tamen ab Ec- cleſia erroris conuicti, cui cùm pertinaciam adderent, reiecti ſunt, Veritas Dei no- pendet à iudicio multitudinis, ſed à Verbo Dei: alioqui & Arrius viciſſet: Vince- rentq; & hodierno die tam Papæ quàm Mahometis ſectatores. Sic neminem mo- ueat, ſi multi & nunc ſunt qui Veritati contradicant. Sunt enim plurimi in Eutycho- tis errorem delapſi, Vt tam ſcripta quàm dicta eorum indicant.

752. Zacharia Papa mortuo, eligitur Stephanus quidam diaconus, Is Pontificatu- die tertia ſomno exticatus, cúm res domeſticas ordine inſtituit, apoplexiæ mor- bo correptus interijt. Huic alius Stephanus, qui Secundus dicitur, ſtatim eſt ſuff-

ctus

ctus magno fauore totius Vrbis. Erat enim vir ſingularis religionis & prudentiæ, &, quod miraculi loco habendum eſt, Chriſtianæ doctrinæ diligens prædicator & ſcriptor, munificus in pauperes, viduarum ac pupillorum defenſor acerrimus, fortiſsimus & conſtans in rebus agendis: Ita vt, cùm Pontificatum iam ſuſcepiſſet, arte & conſtantia ſua, totum Rauennatem Exarchatum, & alia complura Italiæ loca, Romanæ ſedi ſubiecerit. Cuius rei ſummam vt acta ſit paucis accipe. Aiſtulphus Longobardorum rex, cùm iam Rauennam armis occupaſſet, totius Italiæ, vt olim eam Gothi poſſederant, Dominum ad Longobardos trahere ſatagebat, Ideoque collecto magno ſuorum exercitu, Romanorum fines ingreſſus, agros & quæcunque fuerunt obuia vaſtat. Hunc Stephanus placare volens, muneribus primùm & verbis à ſententia deducere intendebat. Illo verò nihili hæc faciente, ſed contumacius tributum ſibi, per ſingula capita ſingulos aureos, annuatim dari poſcente, Stephanus ad externa auxilia cõfugere eſt compulſus. Conſtantinopolim ergo primò miſit, à Conſtantino auxilium ſubſidiumq; petens. Qui cùm ea aut dare nollet, aut non poſſet, cum eodem tempore peſtis grauiſsima Vrbem regiam inuaſiſſet, quæ & penè exhauſit eam, Papa ad Francos animum adiecit. Profectus ergo quàm citiſsimè poſſet in Galliam, à Rege Pipino, qui Regnum Romano Pontifici acceptum ferebat, contra Aiſtulphi iniurias auxilium petit. Qui veteris amicitiæ quæ Longobardis cum Francorum regibus fuit, non immemor, per legatos Aiſtulphum, vt à ſententia diſcederet, Romanique Pontificis, ac quæ ad Rempub. Roman. pertinerent bona intacta relinqueret, ablataq; reſtitueret, admonuit: Si minus, armis ſe ea repetiturum minatur. Aiſtulphus ſanis admonitionibus non paruit: Vnde Pipinus ineunte verè, Alpes tranſcendens, maximis copijs ad Papiam, quæ Longobardorum Regum Sedes erat, contendit, Regemque mœnijs incluſum obſidione cingit. Papa verò tot calamitatibus hominis pertinaciſsimi, & prouincialium qui inſontes diripiebantur, motus, vltrò pacem Aiſtulpho offert, ſi ablata reſtituat. Accipit Rex pacis conditiones, & plura etiam quàm peterentur promiſit, interpoſito quoque iuramento. Sed ſimul ac Pipinus, qui Pontifici ſatisfactum eſſe credebat, ad ſua eſſet reuerſus, Rex ad ingenium redijt, ac tumultuario collecto milite, Stephanum Romam contendentem à tergo ſubſecutus eſt. Romamq; vix, dum Pontifice ingreſſo, Longobardos obſidione cingit ac ſuburbana omnia vaſtat & incendit, ita vt maius propè damnum ex hoc latrocinio Roma acceperit, quàm, trecentis & quadraginta annis ab inclinatione Imperij ſenſiſſet. Rogatus denuò Pipinus, vt Vrbi laboranti ſuccurreret, Exercitum quanta maxima poterat celeritate comparat, Italiamque ingreditur. Vbi Gregorius ei Conſtantini Imperat. protoſecretarius obuiam fit, Imperatoris nomine eum admonens, ne Exarchatum Rauennatem oppreſſum à Longobardis, ad ſe pertinentem, vel Pontifici vel Romanis dedat, ſi ei contigerit Longobardos ſuperare. Cui Pipinus ita reſpondet, Se quidem in Italiam ideò veniſſe, vt Deo & Eccleſiæ Romanæ rem gratam faceret, conſulturumque commodis eorum quoad eius fieri poterit. Deinde Papiam mouens, ita Aiſtulphum obſidione preſsit, vt breui eum coëgerit priſtinas pacis conditiones accipere. Redditus itaque Romanis Exarchatus eſt, quicquid Padum & Apenninum interiacet, à Placentinis, vſque ad ſtagna Venetorum, & quicquid intra Iſaurum flumen Appenninum & Adriaticum continetur. Quibus Pipinus & hæc adiecit, Ariminum ad mare, Concham, Piſaurum, Phanum Fortunæ, Vrbinum, Eugubium, & alia loca in Flaminia & Piceno agro, & plæraſque alias vrbes,

Anni Christi.

Anni Chriſti.

bes, quas Pius II. enumerat. Hæc eſt illa Conſtantini Magni donatio, de qua Papa mentitur. Pipinus enim primus has terras Romanæ ſedi, cùm eas à Longobardorum armis liberaſſet, dono dedit: Quò gratum ſe Romano Pontifici exhiberet, à quo nuper ad Regnum Francium æquo ferè Iure erat promotus. Nam Papa Regem hæredem Regno priuatum Monachum fecit, Regnumq́; Pipino tradidit. Hic Imperatorem Exarchatu (cuius partem Longobardi occuparant) omninò exuit, raptaque Papæ dedidit. Sed & hoc loco admonendus eſt lector, quod ſuprà quoq; dictum eſt, ſublato Exarchatu, Tertiam Romanorum dynaſtiam cecidiſſe, quæ poſt collapſum Occidentis Imperium in Italia Romæque fuit. Stephanus tanto beneficio læſus, Pipinum Secundum, cum duobus filijs, Carolo, qui poſtea imperauit, & Carolomanno, ſacra vnctione in regia dignitate confirmauit eique & toti eius progeniei benedixit, omnes excommunicans qui Pipino bellum mouerent. Plat. & Nauclerus autores. Hîc nota, quomodo ſenſim, mox futurum Occidentis Imperium, per Papam vires acquiſiuerit, de quo ſequenti libro, in Carolo nobis agendum erit: vt ea, quæ Apocalypſeos capite 13. de Beſtia illa ex mari aſcendente habentur, melius intelligantur. Stephanus porrò pacem nactus vt Deo referret pro accepto Imperio (beneficio dicere, volebam) gratias, Letanias Romæ per omnes Eccleſias inſtituit, quibus variè deambulatum itum eſt, ab vna Eccleſia ad aliam Baſilicas quoque ab Aiſtulpho in obſidione vrbis deſtructas, in integrum reſtituit: & cûm plura ad rem Romanam conducentia perficere conaretur, in medio conatu vita functus eſt. Dignus profectò Papa, qui ad Othonum tempora vſq; vitam vixiſſet.

Huic ſtatim ſuffectus eſt Paulus frater eius, ſed non ſine contentione. Alij enim
757. Theophilactum ei præferendum eſſe cenſuêre: vicit tamen Paulus. Cuius erga pauperes & ægrotos pietas ab omnibus eſt commendata. Noctu enim duobus, aut vt plurimum tribus comitatus, conſueuit inuiſere Xenodochia, pauperumque tuguria, verbis cohortans ad patientiam morbis confectos, egentesque eleemoſynis iuuans. Carceres quoque adiuit, & propter æs alienum nexos precio redemit. Viduas quoque & pupillos, à cauſidicis circumuentos, ſumma qua potuit autoritate defendit: Miſit deinde legatos ad Conſtantinum Imperatorem Conſtantinopolis qui efficerent, vt abrogatas imagines reſtitueret, vel ſi id facere nollet, vt illi anathematis Cenſuram minitarentur. Conſtantinus autem in ſua ſententia pertinax, Romani Pontificis admonitiones contemſit, imaginibusque, vt cœperat, vſque ad finem vitæ ſuæ bellum intulit.

Accidit quoque iiſdem temporibus, anno ſcilicet Chriſti 759. qui fuit 18
759. Conſtantini, vt Magi quidam ex Maurophoris Perſis (vt à Chronographo Conſtantinopolitano vocantur) in tantam delaberentur dementiam, vt ſibi ipſis atque alijs ſtultê credulis perſuaderent, ſi venundata ſubſtantia omni (In quem vſum pecuniam collegerint, pauperibus ne data ſit, nec ne, incertum eſt) nudos ſeſe de muris ciuitatis dejicerent, tum ſine mora eos ad cœlum ſurſum volaturos eſſe: Perierunt hac inſania permulti. Sed Habdallas Sarracenorum Princeps, per Halim Præfectum ſedecim ex Magorum Principibus interfecit, atque dementiæ finem impoſuit. Annal.

767. Paulo Papa Romæ defuncto, Conſtantinus frater Deſiderij Longobardorum regis, nondum ſacris initiatus ſufficitur, cui ſtatim Philippus quidam opponitur. Qui armis à Conſtantini fautoribus Pontificatu ſe abdicare coactus eſt. Conſtantinus inde anno ferè integro Papatum geſsit, tandem Romanorum furore ab Eccle-

ſi

ſia eiectus occuliſq; cum Papatu priuatus eſt Vt Vincentius ex Sigeberto hiſtorico ſcriptum reliquit Spec. lib.24 cap.167. *Anni Chriſti.*

Stephanus III. Conſtantino exoculato, atq; in Monaſterium compulſo, ſufficitur, Hic ſtatim Pontificatus ſui initio, indicit Synodum in Lateranenſi Baſilica, ad quam primores Cleri ex Italia conuocat, & ad Carolum Francorum regem ſui ſtudioſiſsimum ſcribit, vt Epiſcopos Galliæ ad eſſe iubeat. Carolus è Gallia XII. Epiſcopos Romam adire iubet, & vt in Synodo Lateranenſi præſto ſint. Hinc Conſtantinus accuſatur, quód ex Laico ſtatim factus ſit Epiſcopus. Et cùm hoc accuſaret maiorum exemplis, nempe Sergij Rauennatis Epiſcopi, & Stephani Neopolitani Epiſcopi, qui ex Laicis Epiſcopi facti eſſent, contumelioſè eijcitur è Synodo: decreta eius ſtatim abrogantur, & contra ea in Synodo hæc decernuntur: Ne quis Laicus, niſi ordine per Eccleſiaſticos gradus aſcendens, Epiſcopus fiat, Anathematis pœna cautum eſt. Epiſcopus dignitate ſua, ſub Conſtantino conſecuta, abiecta, ad priſtinos ordines recidere ſtatuit, vel ſi retinere vellent dignitatem, ad ſedem Apoſtolicā redeuntes conſecrarentur. Omnia quæ Conſtantinus in ſacris egerit, irrita pronunciata ſunt, præter Baptiſmum & Chriſma. In hac Lateranenſi quoque Synodo Concilium Conſtantinopolitanum, quod Conſtantinus contra imagines habuerat, damnatum eſt, in quo Imperator cum Græciæ Epiſcopis conſtituit Sanctorum imagines abradendas, & ſtatuas eijciendas eſſe: & ſub anathemate præceptum eſt, eiectas ſtatuas Sanctorum in ſuum priſtinum locum reponi. In hoc Concilio Lateranenſi rogo obſerues lector, quòd Papa non vocat Sp. Sanctum ad ſua Concilia: ſed ſuos amicos, & poſtea ſuffragijs multorum cogit Sp. Sanctum ſubſcribere ſuis decretis: Quod nunc aduerſarij eius, in nouo Papatu ſuo nuper reuelato, egregiè imitantur. Putant enim coniuratorum multitudine veritatem Dei opprimi poſſe. Sed falluntur. 768.

Hadrianus hinc Pontificatum inijt, qui non minore diligentia Romanam potentiam auxit, quàm anteceſſores ſui fecēre, vt mox dicemus, recitatis prius, quæ egregia in re Eccleſiaſtica conſtituerit: Corpus enim S. Pauli argenteis Laminis incluſit. Fortè S. Petri auro circumdaturus, ſi ad manum eius reliquiæ fuiſſent. Sed ne & hic ſine honore abiret, cùm corpus eius honorare nequiret, Altare eius pallio auro intexto ornauit. Atrium S. Pauli vetuſtate collapſum inſtaurauit & marmoribus ſtrauit, Inſtituit præterea, vt in atrio Lateranenſi quotidie C. pauperes alerentur. Multarum Baſilicarum tecta reparauit, Aquæductus, Turres collapſas, & ſimilia ad Sacerdotis ſcilicet officium pertinentia, magnis impenſis in integrum reſtituit. Infames ad Sacerdotium promoueri vetuit. Ne Clericus extra ſuum forum in iudicium traheretur ſanciuit. Ne vlli Laici ſe electioni Pontificis intromitterent, ordinauit.

Mortuo ſub idem tempus Carolomanno Francorum rege, relictis duobus filijs, vxor eius Bertha nomine, cum liberis & quibuſdam ex aula primoribus, ad Deſiderium Longobardorum regem fugit, eò quòd Carolus omnium procerum ſuffragio, totum Regnum occuparet: apud Deſiderium, qui tum Italiam bello vexabat, impetratura, vt Adrianus Papa filios ad Paternum Regnū inungeret. Sanctiſsimius verò, ne Caroli animum à ſe abalienaret, pupillos ſpreuit, ac in Reges vngere recuſauit. Legatione naui, vſq; ad Marſiliam, deinde terreſtri itinere miſſa, vocauit Carolum in Italiā, vt Eccleſiam à Deſiderij metu liberaret. Carolus ſubacto Longobardo Romā venit, ab Adriano in Baſilica Petri excipitur; fœdera inter Pontificem

 &

Anni Chriſti.

& Carolum conſtituuntur, eos communes hoſtes fore, qui alteram partem laceſſerent. Nudius quartus à Caroli in vbem ingreſſu, quod Pipinus ſecundus Pater, Stephano ſecundo donauerat, iureiurando amplioribus priuilegijs adiecto confirmauit, & illis quæ Pater Stephano dono dederat quædam addidit. Ex qua donatione hæc ſunt. A Luna vrbe quicquid Liguriæ ad Italiæ fines vſq; continet, Corſica Inſula, Surianum, mos Bardonis, Bercetum, loca inter Lucam & Parmam, ad pontem Tremulum pertinentia, Parma, Regium, Mutina, Mantua, Mons ſilicis, & alia quæ ad Exarchatum Rauennatem pertinuêre, Venetia, Hiſtria, ducatus Foroiulienſis ducatus Spoletanus, & Beneuentanus. His rebus peractis Carolus Bertham cum filijs ſecum reducit in Franciam. Adrianus inde Concilium conuocauit, ad quod in Patriarchatu Laterananenſi CLIII. Epiſcopi conuenêre, & multi Abbates, & religioſi alij. In hoc Concilio tradita eſt Carolo Magno poteſtas eligendi Romanum Pontificem (quæ tamen non diu regibus manſit) & ordinandi Apoſtolicam ſedem: dataq; eſt ei Patricia dignitas, & ius conferendi Patriciatus. Item conceſſum eſt, vt in ſingulis prouincijs Archiepiſcopi & Epiſcopi inueſtituram à Carolo reciperent. Item ne Epiſcopus conſecraretur, niſi prius à Francorum Rege inueſtitus eſſet. Quod ſi quis contra hoc decretum egerit, Concilium decreuit, eum Anathematis reum, niſi reſipiſcat, cenſuit bona eius publicanda, ipſumque exilio condemnandum eſſe. Quod multi Pontifices poſtea ſunt tranſgreſsi ita vt etiam ipſos Imperatores, hoc decreto innitentes, Papæq; reſiſtentes, excommunicarint &c.

Anno ſexto Imperij Eirenes & Conſtantini, conuocata eſt ab ipſa Imperatri-
787. ce Synodus vniuerſalis apud Conſtantinopolim, in qua conuenerunt omnes Antiſtites, qui ſub Conſtantinopolitano Imperio erant, Quin & Legati Romani Papæ affuêre. His de rebus diuinis in conſeſſu agentibus, Quidam homines ſeditioſi arreptis armis, ſpreto cum matre Imperatore, in eos irruunt, niſi à cœpta diſputatione ceſſarent, mortem eis comminantes. Imperatricem multum eos ad pacem hortantem nihil audierunt. Coacti ſunt ergo pij Patres à cœpto deſiſtere. Surgentes
788. itaq; omnes ab Eccleſia exierunt. Tum Iconomachi gloriabundi, per plateas iactitabant, ſe victores aliter ſentientium in diſputatione extitiſſe. Eirene propter ſeditioſos ciues nihil amplius auſa, donec vim ipſorum infregiſſet, Epiſcopos omnes quemlibet ad ſuas oues diſcedere permiſit. Anno inſequenti, omnem quem in Thracia habebat exercitum ad Vrbem vocat, prætextu belli Arabum, qui tum in Aſiam eruperant, Romanoſq; fines diripiebant, Quo in Vrbem de improuiſo ciuium recepto, ſtatim edicit Iconomachis, vt arma omnia quæ haberent ad ſe mit-
789. terent. Qui metu perculſi arma ſine cunctatione dediderunt. Tum Eirene nauibus impoſitas eorum familias, eò vndè venerant diſcedere omnes iuſsit, Erant enim fere omnes ex illis, quos Conſtantinus, peſte euacuata Vrbe, ex varijs locis Canſtantinopolim introduxerat, Hinc pacificata Vrbe, iterùm Epiſcopos conuocat in Niceam Bythiniæ, vbi & prima vniuerſalis Synodus eſt habita. In hoc conuentu priſtinum Eccleſiæ Conſtantinopolitani Imperij decus redijt. Abiectis enim ac condemnatis omnibus hæreſibus, antiquam Nicenæ Synodi, quæ prima dicitur, fidem, in vſum reuocarunt, bellumq;, quod cum Imaginibus iam multo tempore geſtum eſt, ſuſtulerũt, vt in Chronologia quoq; dictum eſt. Confirmata eſt deinde huius Concilij autoritas ab Eirene & Conſtantino Imp. Vocatur autem hoc Concilium ſecundum Græcos ſeptimum Vniuerſale. Primum, fuit Niceæ celebratum, contra A-

riun

rium, anno Chriſti 328. Secundum, Conſtantinopoli contra Macedonium, anno Virginei partus 385. Tertium, in Epheſo contra Neſtorium, anno Domini 435. Quartum, Calcedoniæ contra Eutychetem, anno redemptoris 455. Quintum, Conſtantinopoli contra Theodorum & omnes hereticos, qui Deum ex Virgine Maria natum negabant, anno incarnati Verbi 552. Sextum, iterùm Conſtantinopoli contra Monothelitas, anno Saluatoris 681. Septimum, Niceæ, de quo nunc ſermo fuit. Notabis hîc errorem apud Platinam, qui in vita Adriani primi dicit, ſeptimam Synodum ab Occidentalibus in Lateranenſi Concilio eſſe condemnatam, cùm hæc aliquot annis poſt illorum conuentum ſit Niceæ habita. Sed error indè eſt, quòd putat illam dici ſeptimam, quæ Conſtantini iuſſu contra Imagines Conſtantinopoli fuit conuocata, anno Chriſti 754 Quod etiam Abbatem Vrſpergen. ſeduxit.

Anni Chriſti.

Quis Felix ille fuerit, ob cuius errorem Francofordiæ Synodus eſt habita, nemo ſcriptorū refert. Errorem in Chronologia indicauimus. Cæterùm ſunt qui ſcribant, Elipandum Toleti Epiſcopum, erroris eius autorem fuiſſe, qui Felici ab alijs aſſcribitur. Eumq; pertinaciter aſſeruiſſe, Chriſtum ſecundum id quod homo eſt, Dei filium eſſe non proprium, ſed adoptiuū. Atq; hanc ob cauſam à Carolo Ratisbonam Bauariæ vrbem euocatum, ubi in Conuentu Epiſcoporum erroris conuictus ſit, indeq; Romam miſſus, coram Adriano deniq; errorem confeſſus, abdicauit in Petri Eccleſia, iuſſuq; à Papa ſuam ad Eccleſiam redire. Annales Franciæ, R. Barns. 794.

Leo tertius vir doctus & facundus, Romanus genere, cùm Pontificatum iniſſet, ſtatim miſit ad Carolum claues S. Petri, vrbiſq; vexillum & alia munera, petens vt Romanum populum Sacramento fidei dato Papæ ſubijceret. Carolus gratiam Leoni relaturus, miſit Abbatem Agilbertum, qui Romanum populum ex Caroli iuſſu Pontifici fidelitatem (vt ſic dicam) iurare compulit. Hinc odium populi Rom. in Papam excitatur. Quod tamen Caroli metu in annum quartum ferè ſeſe occulit, priuſquàm manifeſtè erumperet. Nactus indè populus furoris magiſtros, Paſchalem Primicerium, & Campulum Presbyterum, hac arte Leonem ſunt aggreſsi. Leo cùm equo inſidens Letanias à Gregorio inſtitutas per vrbem ageret, Paſchalis ille ac Campulus inſidias ei, populo haud neſcio, circa Sylueſtri ædem collocarunt, quò cùm perueniſſet Leo, nihil tale ſuſpicans, mox captus deiectus equo in ſancti domum introducitur, habituq; Pontificali priuatur, multis deiique verberibus cæſus ita conficitur, vt oculis & lingua captus putaretur (Quidam exoculatum & lingua mutilatum fuiſſe tradunt, & diuinitus tandem hæc reſtituta eſſe dicunt, quò Sanctiſsimi autoritatem magis per mendacium amplificent) In Monaſterio tandem S. Eraſmi in vincula conijcitur. Vndè poſtea Albini cubicularij induſtria, cuſtodes fallens, in Vaticanum ſeſe proripuit, ibiq; tam diu latuit, donec Vinigiſus Spoletinorum dux clanculum accerſitus, eum incolumem Spoletum perduxit, cohortibus militum in itinere ſtipatum, ne aliqua hoſtium vi obrueretur: Vt dicit Platina. Hinc Leo ad Carolum, qui tum Saxonico bello intentus erat, in Germaniā properauit, queſtum acceptas à ſubditis iniurias. Quod cum Romanis eſſet annunciatum, furorem quem in Perſonas abſentes perpetrare nō poterant, in ædes ipſorum conuertunt, domoſq; Leonis & Albini, qui eum liberauerat, à fundamentis diruunt. Hinc quoq; (vt confidentiam cum temeritate cernas) & ipſi ad Carolum legatos mittunt, qui Pontificem iniuria affectum, iuſta paſſum eſſe docerent. Verùm Carolus, cùm belli mole premeretur, cognitionem in aliud tempus reiecit, 796.

Pontifi-

Pontificem cum egregio comitatu Romã remittens, quò & ſe breui peruenturum eſſe pollicitus. Romani Pontificis aduentu cognito, auditoq; quo Carolus eum loco habuiſſet, quodque ipſe breui in Italiam venire propoſuiſſet, odium in Leonem conceptum, metu in fauorem verterunt: & Papæ cùm ad Miluium pontem peruenisſet, vnà cum Clero effuſa multitudine obuiam eunt, ac honorificè ſuſceptum vrbem introducunt, quieti Caroli aduentum præſtolantes.

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

QVÆ A CAROLI ROMAM ADVENTV, QVO ET IMperator dictus eſt vſq; ad Hildebrandi Pontificatum (hoc eſt, ab anno Chriſti 80[0] vſq; ad annum eiuſdem 1074.) tam in Eccleſia, quàm in Republica memorabili[a] acciderunt, vnà cum vitis Imperatorum quorundam, geſtiſq; omnium interea Pontificum Romanorum, hoc nono libro breuiter recenſentur.

800. CArolus ſopito ad tempus bello Saxonico, Romam, vt promiſerat, qua potui[t] celeritate proficiſcitur. Italiam itaq; per Forum Iulij ingrediens, Taruiſinos, qu[i] Henricum Præfectum ſuum occiderant, graui ſupplicio affecit, creatoq; illi ſucceſſore Rauennam petit, vnde Romam expectatus pergit. Pontifex Leo, pridie quàm Romam veniret Carolus, cum magno Pontificeq; digno apparatu ipſi occurrit, eumque apud Nimentum obuiam habens magnificè excepit. Ac cùm eo die ſimul eſſent pranſi, Pontifex Romam cum ſuis redijt. Poſtero die, cùm Carolu[s] ad vrbem perueniſſet, Pontifex cum Epiſcopis, & toto Clero, Regem deſcendentem ex equo in gradibus Baſilicæ S. Petri ſumma cum Reuerentia excepit, ac pra[e]cinente Clero (vt moris eſt) in Baſilicam introduxit. Die autem octauo poſtquàm in vrbem venerat, frequenti cœtu Epiſcoporum, Cleri & populi Romani in Baſilica Petri à Carolo conuocato, Carolus ſententiam rogauit de Pontificis vita & moribus. Nemo verò ex omnibus repertus eſt, qui crimina obiecta Pontifici probare ſit auſus. Tanto percuſsi fuère metu, cùm quo Carolus erga Pontificem eſſet animo, non ignorarent. Sed omnes vno ore dicere, Sedem Apoſtolicam, omnium Eccleſiarum caput, à nemine (Laico præſertim) iudicari debere. Quo reſponſ[o] Carolus accepto, quæſtionem de vita Pontificis omiſit. Tum Leo Papa, qui id iudicium maximè expetebat, ſuggeſtum conſcendens, ac Euangelia in manibu[s] geſtans iureiurando affirmauit, ſe omnium rerum, quæ ſibi objicerentur, eſſe inſon[tem]. Fuit is dies idibus Decembris anno octingenteſimo. Porrò cùm videret Pontifex, Conſtantinopolitanum Imperatorem ægrè tueri ſuum nomen & Imperium ac varijs erroribus teneri circa fidẽ, Romanæq; ſedi inobedientem eſſe: contrà ver[ò] Carolum Regem potentiſsimũ, ac optimè de ſede Pontificia meritũ, cum maiori[bus] ſuis, qui ipſe Eccleſiam ab oppreſsione Deſiderij, Pater Pipinus ab Aiſtulphi inu[a]ſione, & auus eius Carolus Martellus à Sarracenorum iniuria liberauerant. Relatu[rus] ergo gratiam pro iſtis officijs, in die Natalicorum Chriſti poſt ſolennia ſacra i[n]

Baſil[icam]

Baſilica Petri, Carolum horum nihil præſcientem, magna voce Imperatorem decernit, inungit, diademate ornat, moreq; priſco adorat, populo Romano ter acclamante, Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & Victoria. Hinc in conſuetudinem venit, vt qui legitimè Imperij Sceptrum acciperent, à Pontifice Romano inungerentur, & omiſſo Patricio nomine (quo à Theodorici temporibus Italiæ Domini ſunt vſi) Imperatores & Auguſti dicerentur. Quin & Pipinus Caroli filius à Pontifice coronatus, Italiæq; Rex dictus & inunctus eſt. Atq; hoc ipſo die Romani Imperij dignitas, à Conſtantinopolitanis Imperatoribus, per Papam ad Francos eſt translata, & quarta poſt Occidentis Imperij caſum, apud Romanos dynaſtia conſtituta, qua & Imperij nomen & Auguſtalis dignitas Romanis eſt reſtituta, Ita tamen, ne Papa ab Imperio excluderetur. Vt in Apocalypſi cap. 17 de Octauo dicitur, de quo ſuo tempore. Cæterū & hoc loco velim obſerues lector, quod hîc impleri cœpit Prophetia illa quæ de Beſtia ex mari aſcendente, Apoc. 13. cui Draco ſedem ſuā & potentiam magnam dedit, ſcripta extat: quam vt commodis tuis magnis inſeruirem, per omnes circumſtantias libenter explicarem hoc loco. Sed temporis breuitate, negociorumq; aliorum multitudine, quibus nunc obruor ferè, prohibitus, id vt dignum erat præſtare non poſſum. Dabo tamen operam, vt, ſi vixero, ea quæ in totam ferè Apocalypſim, ante ſexennium ſum commentatus, correcta prius, quàm primum typis impreſſa publicentur: Vbi omnium horum copioſiſimam, vt ſpero, inueniens explicationem.

Accepta itaq; Imperij poteſtate, Carolus, Paſchalem & Campulum, cum aliquot nobilibus Romanæ vrbis, Leonis aduerſarios, vt læſæ Maieſtatis reos, capite plectendos eſſe decernit. Leo verò, vt mitem ſe oſtenderet, exorauit Carolum, vt vita eos donaret, atque in Gallias exulatum mitteret. Fama deinceps de Caroli in Imperio confirmatione vulgata, cùm ipſe tamen Auguſti titulum ſuſcipere nollet, niſi ex fœdere Conſtantinopolitanus Imperator in hoc conſentiret: Eirene Conſtantinopolis Imperatrix, miſſis in Italiam legatis, cum Carolo pacem inijt, & fœdus confirmauit: Regnumque Conſtantinopolitanum à Romano, quod Occidentale appellatum eſt, & armis partum, Caroloq; à Pontifice traditum, his terminis diuiſum eſt: Conſtantinopolitanus Imperator Italiæ partem teneret, quæ ad dexteram Neapoli incipiens, ad eam ſiniſtram Siponto (quæ vrbs nunc Manfredonia dicitur) infero ſuperoq; mari clauditur, vnà cum Sicilia. Quod fœdus & Nicephorus poſtea renouauit. Ego veró crediderim, fœdus hoc primùm inter Carolum & Nicephorum eſſe factum, Nam Eirene à Nicephoro capta eſt, Legatis Caroli adhuc Conſtantinopoli expectantibus ab Eirene reſponſum: vt Annal. Conſtantinopolis teſtatur.

Carolus vt Regioni inſeruiret, pacemq; tam in Imperio, quàm in Eccleſia conſeruaret, Ludouico filio Romanorum poſt ſe Imperatore creato, per vniuerſam Galliam concilia Epiſcoporum celebrari mandauit. Quorum vnum Moguntiæ, alterum Rotomagi, tertium, Remis, quartum Cabillonæ, quintum Arelati habitum eſt. In his omnibus veteris Eccleſiæ conſtitutiones ſunt confirmatæ. Vt ex Capitulis Moguntini & Remenſis, quæ in Conciliorum libris habentur, cerni poteſt. Ea hoc loco aſſcribere nimis longum foret. Ad Leonem redeamus. Is pacem cum Imperio nactus, defenſoreq; tam ſui quàm Romanæ ſedis nouo Auguſto, iure Draconico (Apoc. 13.) acquiſito & confirmato, res Eccleſiæ curare aggreſſus eſt. Ac trium dierum ſupplicationes ante aſcenſionem Chriſti inſtituit. Hunc ſupplicandi morem

Anni Christi 814.

813.

Anni Christi.

morem, in Germania magnis vaſis vino ciboq́; refertis, rus circumeuntes, dein
de in loco amœno reſidentes, obſeruarunt. In qua celebritate, poſtquàm cibo po
tuque laſciuiores facti, quæ vel in vrbibus, vel domi, perpetrare neque auderent
neque poſſent commodè, inter arbuſta, in vallibus alijſq́; eiuſmodi rebus conueni
entibus locis perfecerunt. Qui ſanctæ conſtitutionis ſimilis ſanctitatis fructus fuêre
ac magnus, ſcilicet, Dei cultus. Vidi in Miſnia, regente eam terram Georgio Duc
Saxoniæ, cúm fortè mihi illac iter eſſet, Ruſticos cum Cruce hanc feſtiuitatem ob
ſeruantes; ij cúm in publicum perueniſſent hoſpitium in quo ego cum alijs, q
mecum erant, prandium expectabam, ſtatim ſcyphos cereuiſio plenos vno ha
ſtu ebibebant ſinguli, atq; id tanta cum deuotione ſæpius repetebant, vt is qui cr
cifixum ex ligno factum portaret, ipſam Chriſti imaginem (turpe dictu) vom
tu conſpurcaret, De alijs quæ ibidem exercebant taceo. Nobilis tamen illius pa
hæres & dominus, ſui officij haud immemor, Ruſticos illos tam fœda perpetra
tes nobis præſentibus cuſtodiæ mandabat, & procul dubio Religionis ſuæ pœn
dare coëgit: Sin aliàs benè noui virum. Hi cultus ex ea conſtitutione in Miſn
erant. Sed Leo (vt illius acta abſoluamus) Hoſpitale quoque Romæ ædificauit,
tectum ædis S. Petri reſtituit. Ac quod eſt ſuper omnia, cùm eo tempore Iudæ
quidem crucifixi imaginem lancea transfixiſſet, atq; ex ea Sanguis naturalis (qu
omnes hiſtorici eius temporis affirmant) effluxiſſet, iſq́; vaſe exceptus Mantua
perlatus eſſet, Rumorq́; ad Carolum perueniſſet, cupiente Carolo rei veritatem
Pontifice cognoſcere, Leo Mantuam profectus eſt, ac ſua autoritate confirmaui
eum quem excepiſſent de Imagine vulnerata, verè eſſe Sanguinem Chriſti. Qu
ſi Papa non confirmaſſet, verum fuiſſe non poterat.

Stephanus quartus Leoni tertio ſuffectus eſt in Pontificatu, Is tertio men
816. Pontificatus ſui proficiſcebatur in Galliam ad Ludouicum pium Imp. Cauſam v
rò ingreſsi itineris, Latini Scriptores plæriq; ſilentio prætereunt, Anglicana hiſtor
(cui & Abbas Vrſpergenſis conſonat) ait, legatis cum excuſationibus de ſui con
cratione præmiſsis, profectum eſſe in Franciam, vt ſe apud Imperatorem de
electione purgaret, quia inconſulto Imperatore à Clero & populo Rom. cont
Adriani & Leonis decretum de eligendo Pontifice, electus fuit (Tam tenax eſt R
mana ſedes ſuarum legum, vt primo ſucceſsore eas infringat) Cùm veró Aure
em peteret, Imperator cum Clero iuit obuiam, & Clero Te Deum laudamus pr
cinente, Papam introduxit in vrbem (Abbas Papam Remis ab Imperatore exc
ptum tradit) auditaque purgatione eius, familiariſsimè inter ſe conuiuabantu
Pontifex Imperatorem coronauit Aquisgrani, Imperator Pontificem, donatu
aurea cruce magni ponderis, dimiſit. Qui impetrata prius facultate redeundi in v
bem ijs, qui in exilium ob Leonem miſsi erant, Romam redijt. Reatina Eccle
vacante, Stephanus Epiſcopum conſecrare noluit, niſi prius ex literis cognoſcere
Imperatorem probare electionem, Quod per hypocriſim, vt Auguſto adularetu
factum eſſe, ea quæ ſequuntur ſatis docebunt. Pontifex Leo III. ius eligendi Ro
Pontificis & ordinandi ſedem Romanam, & concedendi inveſtituras Epiſco
&c. vt Adrianus I. Carolo conceſſerat, ratum habuit. Stephanus IIII. veró Lud
uici pietate, & longanimitate animaduerſa, fingens Ius Carolo & ſucceſſorib
eius datum plurimum mali ſecum trahere, abrogat, atq; pronunciat, ius eligen
Pontificis debere eſſe penes Clerum, Senatum, populumq́; Romanum. Ne ve
Imperator Ius ſuum aſſereret vi, addidit decreto Adriani & Leonis interpretati

nen

Anni Christi.

nem, Licere ſcilicet Pontificem Romanum eligere ſine Imperatoris autoritate, ſed non licere eum conſecrare ſine præſentia Cæſaris, vel Cæſareanorum legatorum. Atq; hoc modo imperatores ab electione Papæ Romani excluſi ſunt, vnde & Romana ſedes, inuitis imperatoribus electionem Papæ, & inueſtituram Epiſcoporum, tanquam iure æquiſsimo ſibi vſurpauit.

Paſchalis Stephano ſucceſsit, is ſecundum Stephani gloſſam, non requiſita Imperatoris autoritate, à Clero & populo Romano Papa creatus eſt. Ideo miſit legatos ad Ludouicum, vt ſe excuſarent, dicendo, ſe vi Clericorū & populi coactum eſſe ſubire pontificatus onus. Ludouicus, mitis ingenio, iſta placatus excuſatione, monet Clerum atque populum, ne in futurum Imperatoriam lædant maieſtatem, ſed maiorum ſtatuta obſeruent in creando Pontifice. Huius Pontificis tempore, cum Bernhardus Rex Italiæ cum multis alijs ſeditioſis, qui contra imperium conſpirauerant, capite plexus, ac Lotharius à Patre in Regem Italiæ electus, cumq; exercitu ſatis copioſo, ad pacandam eam miſſus eſſet, à Paſchali Romam inuitatus, in Auguſtum quoq; coronatur. Sed cùm multi tam ex Italis Nobilioribus, quàm ex Romanis ciuibus Lothario minus fauerent, neq; Regem in Italia æquo ferrent animo (cùm ipſi per ſe, Dominium & liberam agendi poteſtatem affectarent) maximæ per totam Italiam turbæ ſunt excitatæ: quas vt ſedaret Lotharius ad partem rediit maiorem petiturus exercitum. Interea dum Lotharius abeſt, Theodorus primicerius, & Leo nomenclator Theodori gener, per ſeditionem oculis priuati capite plectuntur, eó quòd fideliter iuuarent partes Lotharij. Cuius ſeditionis & cædis cauſa relata eſt in ipſum Pontificem Paſchalem, quia communi famā ferebatur, Pontificem cædem hanc iuſsiſſe, vel connixiſſe ad coniuratorum ſcelus. Ludouicus itaque legatos deſignat ad perſcrutandam facti veritatem. Quod Paſchalis intelligens, conſilio anteuertit imperatorem, ſuos quoque legatos ad eundem mittens, qui purgarent Papam ab infamia excitatæ ſeditionis cædisque perpetratæ. Ludouicus verò (auditis etiam Papæ legatis) ſuos Romam proficiſci iubet, vt Veritatem percontentur. Paſchalis coacta Synodo XXX. Epiſcoporum iureiurando ſe purgat, & interfectores in ea ſeditione abſoluens, cæſos reos agit Læſæ Maieſtatis, iureq; occiſos eſſe pronunciat. Atque hoc modo latro ſeipſum periurio purgauit. Vt R. Barns, quem in his Pontificibus plærumque ſequimur, in annotationibus dicit. — 817.

Ludouicus pius, cùm cerneret Romanos vi ad ſe trahere Pontificis electionem, vt ſua ex munificentia in poſterum hoc facerent, autoritatem, ab Adriano Carolo Magno datam, creandi Pontificem & eligendi Epiſcopos, Clero & populo contulit, illam tantùm prærogatiuam Imperatoribus ſeruans, vt electus & conſecratus Pontifex, ad ſtabiliendam amicitiam, legationem mittat Regibus Francorum. Diſtinct. 63. cap. Ego Ludouicus &c. Volaterranus lib. 3. Geographiæ cap. de Pipini & Caroli genere & geſtis, integram Ludouici Epiſtolam inſeruit, qua Romanæ ſedi, ea quæ Pipinus & Carolus donauerant, multis à ſe quoque adiectis, cum hac conſeſsione liberè & eligendi & conſecrandi Pontificem poteſtate, confirmat. Eam hîc aſſcribere prohibuit prolixitas. Paſchalis verò corpora Sanctorum humiliori ſepultura condita, vrbi intulit, & magnificentiore ſepultura honeſtauit. Templa quædam ruinam minitantia reſtituit.

Eugenius hic ſecundus Pontificatum ſuſcepit, Non tamen ſine diſcordia electorum. Nam & Zinzimus ſuffragia ad dignitatem Pontificiam habuit. Compoſito tandem diſsidio, cùm propter dignitatem corporis, tum propter humanita- 824.

Q tem &

Anni Chriſti. tem & eloquentiam, quibus cæteris præſtabat, omnium conſenſu Pontificatum accepit Eugenius: quem aliqui dicunt oculis indè priuatum, atq; occiſum ab aduerſarijs Romanis ciuibus. Lotharius Imperator & Rex Italiæ, huius Eugenij temporibus, magiſtratus per Italiam conſtituit, qui ius Romano populo dicerent, eò quòd libertate, qua ſub Carolo ac Ludouico vſi erant, nimis abuterentur. Quod factum (vt ego conjicio) Eugenij cædem maturauit. Fuit autem Eugenius hic, ſi Platinæ credimus, vir ſupra modum humanus, qui cauſas viduarum, pupillorum & pauperum diligentiſsimè eſt tutatus. Frumentariæ rei tam ſolicitus, vt annona nuſquam vilius empta ſit quàm Romæ. Captiuos & exules in Gallia liberauit, eoſque in vrbem reuocauit: ac qui facultatibus ſuis ſpoliati eſſent, de ſuo aluit. Huius quoque temporibus, quidam Nicolaitarum hæreſim reſuſcitatam eſſe tradunt, Sed nullo certo autore.

827. Valentinus à Diaconatu ad Pontificium honorem euectus eſt, & propter egregias ingenij dotes, & vitæ Sanctimoniam, à puero apud Paſchalem & Eugenium bonis artibus & honeſtis moribus inſtructus. Vitæ breuitas ne quid pro Republica Romana faceret, prohibuit. Huic Gregorius IIII. ſtatim ſuffectus eſt. Is niſi miſsi legatis Imperator approbare electionem ſui, Pontificatum inire noluit. Atque per hunc ad tempus, Imperatoribus ius confirmandi Papam reſtitutum eſt. Sub hoc Pontifice, imperatoris iuſſu, Conuentus Epiſcoporum Aquiſgrani fuit, In quo Gregorio præſidente ſtatutum eſt, Vt vnaquæque Eccleſia ſuos poſsideret prouentus, vnde Sacerdotes viuerent, ne cogerentur deſertis ſacris officijs, ſe dedere prophanis & quæſtuoſis artibus. Ne Epiſcopi & Clerici vllius gradus, precioſis & exquiſitis veſtibus vterentur. Neúe vterentur aureis & argenteis baltheis Neúe in digitis gemmas geſtarent, niſi quando Præſules ſacra facerent. Ne aurum argentumúe ferrent Clerici in calceis, vel crepidis. Tantus iſto tempore luxus fuit in Clero. Ille tādem Gregorius feſtum Omnium Sanctorum ad Cal. Nouemb. tranſtulit, ſacrumque eſſe iuſsit, Non tamen autoritate propria, ſed Imperatore ſic confirmante. Gregorius enim Ludouicum pro confirmatione rogauerat: vt autor eſt Vincentius Spec. hiſt. lib 25. cap. 34. templa collapſa reſtituit, cadauera Sanctorum à loco in locum tranſtulit. Nam Romani antè ſatis docti fidem Catholicam, doctrina Euangelica non habebant opus. His temporibus Sarraceni Italiam vaſtantes Vaticanum occuparunt, & Templum B. Petri ſpoliarunt, equinumque ſtabulum prius factum diruerunt. Plat. Naucl & Sabell.

830. Sergius hinc ſecundus Pontificatum inijt, ad huius confirmationem Lotharius Imp. Ludouicum primogenitum ſuum, multis Nobilibus comitatum, Romam miſit. Is Sergius primus fuit, qui nomen Chriſto datum in Baptiſmate, propria voluntate abnegarit. Hunc alij ſequentes manifeſtè Baptiſmatis gratiam reſpuerunt, Honorificentius æſtimantes, Nomen in vnctione, ab hominibus excogitata, ſuſceptum, quàm quod in Baptiſmate, à CHRISTO DOMINO inſtituto, acceperunt. Sed manifeſta Antichriſti nota eſt. Sic fieri oportebat.

845. Leo quartus eius nominis Papa, ſacris ſupra modum intentus, Vrbem Romam multis munitionibus, templaq; ornamentis exornauit. Turrim namq; in Vaticano apud S. Petrum, magno ſumptu extruxit. Vrbis Romæ mœnia & portas vetuſtate lapſas reſtituit, & XV. propugnacula vrbi à fundamentis adiecit, quorum duo ad exitum Tiberis commodiſsimè fuerunt collocata, ad retundendam vim hoſtium, qui nauibus ad Vrbem diripiendam ſæpius erant aducti. Vaticanum mu-

ro ci-

 Anni Christi.

ro cinxit atque in vrbis formam redegit, quam ex ſuo nomine Leoninam dixit. Arcem S. Angeli. reædificauit In veſtibulo atrij Lateranenſis ſedilia extruxit è marmore. Hactenus Ædilis curulis fuit. Nunc fit & Miles, atque Dux exercitus. Nam cùm Sarraceni Italiam vndiq; vexarent incurſionibus, qua mare ſpectabat, conuocata Romana militia, nauibus ad Hoſtiam Sarracenis obuiam fit. Preceq; facta (quæ inchoat, Deus cuius dextra beatum Petrum ne mergeretur &c.) & ſigno crucis addito, prælium commiſit, ac poſt longum durumq; certamen, hoſtes vicit, fugauit & profligauit, quorum maxima pars nauibus ſubmerſa, multi capti Romam ducti ſunt. Quorum opera in reparandis muris inde eſt vſus. Nunc agit Papam. Synodum XLVII Epiſcoporum coëgit, in qua Athanaſium Presbyterum Cardinalē (Hoc loco primum ſe Cardinalis nomen offert in hiſtorijs) Sancti Marcelli, de multis criminibus conuictum, damnauit, præcipuè quod ad quinquennium parochiam ſuam deſeruerat, contra decreta Canonum. Supplicationes ad placandum Deum inſtituit, qui frequenti terræ motu iram ſuā ſignificabat. Ordinauit inſuper, vt à toto Clero veſpertinæ horæ in Baſilica Pauli, in die natalis eius celebrarentur. Laicos Presbyterium (quod nos Chorum dicimus) dum ſacra fierent, ingredi prohibuit. Crucem, quæ ſibi à Diacono præferebatur primus gemmis exornauit, Secundum decreta cōcilij proximè Aquiſgrani habiti. Sed Papa eſt ſupra leges &c. Iam ſupplex fit Auguſto. Reatina Eccleſia vacante, Leo à Lothario & Ludouico, per Epiſtolam precario obtinuit, vt electus admitteretur. Nauclerus autor. Sunt qui ſcribant, Leonem conſilium injiſſe de transferendo Romano Imperio ad Conſtantinopolitanos. Quare Lotharius Romam profectus, eā de re Leonem apud ſe delatum conuenit. Leo verò ſe purgat, ac delatores mendacij pœnas dare compellit. Plat. Naucl. Sabell. & Pius II. R. Barns. Anno ſecundo Pontificatus Leonis, EDeluulphus Anglorum Rex, voti cauſa Romam adijt, vbi à Leone Pontifice benignè acceptus, fecit Romano Pontifici eam quoque Inſulæ partem, quam Egbertus pater ad Regnum adiunxerat, vectigalem. Legeque ſanciuit, vt qui ex ſuis poſſeſsionibus, triginta denariorum vectigal in ſingulos annos caperent, aut plures domos haberent, pro ijs quas habitarent, ſinguli ſingulos denarios quot annis Romano Pontifici, ad diem feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, vel ad ſummum, ad vincula Petri ſoluerent: quam legem quidam, licet falsò, Alfredo eius Filio aſsignant. Polydor. Sic tota Anglia Romanæ Beſtiæ fuit ſubiugata: atque pro hoc regno impletum eſt, quod dicitur de decem Regibus ſub Papa exiſtentibus Apoc. 17. Hi vnum conſilium habent, & virtutem & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent. Sed non indignum ſcitu eſt. Sicuti hoc Anglorum regnum, omnium ex decem illis fuit primum, quod iugo Pontificis ſeſe ſubmiſit, ita & primum omnium fuit, quod idem ex collo excuſſerit. Henricus enim Octauus eius nominis Angliæ rex, noſtro ſeculo, hunc cenſum, quem Petri Nummum dixêre, cum omni poteſtate Eccleſiaſticā ad ſe retraxit. De quo fortaſsis ſuo loco Plura, ſi viſum fuerit oportunum. Ad Leonem redeo, qui præter ea quæ dicta ſunt, miracula quoque perpetraſſe dicitur, oratione & cruce. Incendium namq; Romæ factum oratione præmiſſa, crucis ſigno, ne latius vagaretur ignis, inhibuit. Baſiliſcum, peſtifero afflatu plurimos necantem, oratione fornice S. Luciæ expulit. Octauam aſſumptionis Mariæ ob id ſacrauit, quia eodem die precibus ignem (vt Gelliano & Catonico verbo vtar) ſtitiſſet.

Iohannes Anglicus VIII. eius nominis, Puella Moguntina mentita ſexum viri, & ſumpto adoleſcentis habitu, cum amatore ſuo docto homine Athenas pro- 854.

 ficiſci-

ficiſcitur, promouetq; plurimùm in bonis artibus. Tandem Romam venit, ſemp per diſsimulato fœminæ ſexu, ob excellentem doctrinam, qua illi tum Romæ pauci pares, nulli ſuperiores erant, omnium ſuffragio in Pontificem eligitur. In Pontificatu à ſeruo compreſſa, diu occultè ferens onus ventris, proficiſcitur ad Baſilicam Lateranenſem: in Theatrum, quod Coloſſeum vocant, & S. Clementem, circumuenta doloribus peperit, eoque loci ex partu obijt. Et propter hoc ſcelus publici partus, Pontificio honore ſpoliata, ſepulta eſt ſine omni pompa. Et vt Pontifices viri, deteſtari videantur mulieris Pontificis facinus, quando Baſilicam Lateranenſem petunt, ab ea platea declinant, tanquam à loco Pontificibus Romanis, vt opinor, de malo omine ſuſpecto. Ego Funccius non dubito, quin diuinitus hoc ita ſit permiſſum, vt fœmina hæc fieret Pontifex, & eadem meretrix. Nam cùm eo tempore Pontifices ſenſim ſibi reges ſubjicere quærerent vt à Leone cœptum cum Anglo, & à ſequentibus cum alijs omnibus tentatum, ac poſt longas rixas &c. obtentum, Significare Deum voluiſſe hac Meretrice Pontifice, Magnum illud Babylonicum ſcortum, de quo Spiritus Sanctus in Apocal. prædixerat, iam tum Romæ potens eſſe. Sed de hoc in Apocalypſi copioſius. Porrò vt eiuſmodi errorem in poſterum cauerent electores Pontificij, ordinarunt, ne ſedes Petri committeretur electo Pontifici, niſi antè Diaconus vltimus eius genitalia per perforatam ſellam attrectaret, & teſtaretur electum Pontificem eſſe marem. Quod illi Pontifices, qui aliquot ſeculis pòſt venère, ſimul ac ad Pontificatum aſpirarent, arte anteuerterunt, ne opus eſſet maſculina eorum perſcrutari. Tot enim in Diaconatu, Presbyteratu, Cardinalatu Spurios progenuère, vt mares eſſe nemo addubitare poſſet. Quod etiam Paſquillus olim Romæ cecinit, inquiens:

sella stercoraria dicta

Petre tua quadam fuit auſa ſedere Cathedra,
Orbi terrarum iura ferenda dedit.
Hæc compreſſa quidem multos latuiſſet in annos,
Facta foret partu ni manifeſta nouo.
Poſt hæc Roma diu ſimili ſibi cauet ab aſtu,
Pontificum arcanos quærere ſueta ſinus.
Nec poterat quiſquam reſerantes æthera claues,
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic iam tempore ceſſat?
Antè probet quòd ſe quilibet eſſe marem.

Benedictus poſt hanc in Pontificem electus, flens, quod rarum eſt, obiuit munus Pontificium, Deum ac ſanctos omnes teſtes faciens ſe nequaquam dignum
857. eſſe qui tantæ ſedi præficeretur. Electorum ſuffragio victus, toto triduo orationi & ieiuno vacans Deum rogat, vt concedat ſibi piè gubernare Eccleſiam. Legati deinceps à Ludouico Romam venère, qui electionem Cleri & populi ſua autoritate confirmarent. Confirmatus multas Eccleſias collabentes inſtaurauit, & in earundem ſacraria dona repoſuit. Inſtituit, vt Pontifex cum Clero funus Epiſcopi Presbyteri vel Diaconi, ornaret ſua præſentia. Item, vt viciſsim totus Clerus in funere Pontificis adeſſet. Clericos in honeſtate vitæ & morum ſtrenuè cohibuit; dignus qui diutius Sedi Romanæ præfuiſſet.

Nic

Nicolaus in demortui Benedicti locum eligitur, is præſentiens ſeſe ad Pontificatum peti, in Vaticanum fugit, abſens creatur Pontifex, contraq; voluntatem (vt alijs videbatur) in ſedem Apoſtolicam collocatur. Confirmatus tandem à Ludouico Imperatore, qui tum præſens erat Romæ multa primùm cum ipſo, cùm de ijs quæ ad Imperium, tum etiam de illis quæ ad Pontificiam dignitatem pertinent, eſt collocutus: Quo Italia egreſſo, quæ ad augendam Pontificiam poteſtatem, quam fictè fugerat antè, facerent, circumſpexit. At cùm eo tempore, vt ex circumſtantijs conjici datur, Iohannes Archiepiſcopus Rauennas priſtinam Sedis ſuæ libertatem aſſerere tentaret, eum ad dicendum cauſam Romam vocauit, quem & venire detrectantem dignitate privavit. Archiepiſcopus verò Imperatorem Papiæ adiit, petens ut ſibi à Pontifice impetraret facultatem dicendi ſuam cauſam Romæ ſine periculo. Cui Imperator literas commendaticias dedit, ac legatos inſuper Romam miſit, qui à Pontifice impetrarent, ut Ravennati Præſuli tutò liceret Romam venire, & ſe purgare. Papa annuit. Iohannes in domo Leonina (Malum omen, quia Leo omnem Ravennæ libertatem devoravit) admiſſus ad dicendum cauſam, in magno Præſulum cœtu confitetur, ſe reum læſæ Maieſtatis, & veniam petit à pontifice, & iis qui in ea Synodo aderant. Recipitur in gratiam Iohannes, ea tamen lege, ut ipſe viciſsim recipiat has conditiones: Vt ſe in Concilio de hæreſi purget (Fortè quia non agnouerat Rom. Pontif. pro Summo & Oecumenico Epiſcopo) Vt polliceretur ſe quotannis, niſi graue quiddam & ineuitabile impediret, Romam venturum. Vt poteſtatem abdicet conſecrandi Epiſcopos, etiam Canonicè electos, ſine Pontificia autoritate per literas conceſſa. Ne Epiſcopis, ſub ſe conſtitutis, Romam venire cupientibus id prohibeat. Vt nullam exactionem & morem introduceret, quem Canones Papales non recepiſſent. Item intentata anathematis pœna prohibuit, ne de Eccleſiaſticis bonis aliquid vel mutaret, vel decerneret inconſulto Pontifice. Et ne prophana in Eccleſiaſticum vſum acciperet, ſine aſſenſu Romani Pontificis. Has conditiones aſſeſſores Papæ magnis acclamationibus approbarunt. Quibus à Iohanne ſuſceptis, Ravennas Archiepiſcopatus in univerſum Romanæ ſervituti ſubiectus eſt. Hic Nicolaus multas conſtitutiones fecit, quæ frequentes ſunt in Decretis. Conſtituit enim, idque approbante Ludovico Imp. (ut Platina teſtatur) ne vel Imperator, vel ullus ſecularis Princeps, conſiliis Clericorum interſit, niſi ibidem cauſa ageretur de fide: Diſt. 96. cap. Vbi nam. Neve Laici de Clericorum vita judicent. Diſt. 28. cap. Conſulendum. Item judicio Pontificis nemini præjudicare licere, neq; eius ſententias repræhendere, neque de eius judicio cuiquam iudicare. Antonin. Pontificem nec ſolvi, neque ligari à ſeculari poteſtate poſſe decernit (Hic ſeſe exaltat ſuper omnia) eò quòd Pontifex appelletur Deus. Anton. Tit. 16. parag. 9. in lib. Concil. hoc decretum Gelaſio 1. aſſcribitur. Præcepit porrò, ne Epiſcopi bella gererent, ſed vacarent orationibus. Item ne quis intereſſet Sacris, quæ à Sacerdote concubinam habente agerentur. Vol. A malis tamen miniſtris Sacramenta accipere iuſsit niſi planè excluſi eſſent ab Eccleſia, propter manifeſtum ſcelus. Huius Papæ temporibus ad cœlibatum cogi cœperunt Sacerdotes. Sed ab Vlrico Epiſcopo Auguſtano id malum ad tempus declinatum eſt. Extat eius Epiſtola ad Nicolaum ſatis longa, in opuſculo de Vitis Pontif. R. Barns. quam ob prolixitatem hîc omiſi. In ſumma hic Nicolaus verus Papa fuit, de quo nunc ſatis. 858.

Quæ de Dæmonio Moguntiam affligente à Vincentio traduntur, ipſius autoris

Anni Chriſti.

ris verbis enarrabo, Lib. 25. cap. 37. ſic ſcribit. In Parochia Moguntina malignus Spiritus euidens nequitiæ ſuæ dedit indicium. Nam primò lapides iaciendo, & parietes domorum quaſi malleis pulſando, inde manifeſtè loquendo, furta etiam prodendo, diſcordias inter vicinos ſeminando, homines inquietabat. Denique animos omnium contra vnum hominem commouit, quaſi propter eius peccata cæteri talia paterentur. Cuius fruges in vnum coaceruatas incendit, qui vbicunque intraſſet, ſtatim domus illa exurebatur, vt iam niſi in agris manendi locus eſſet nullus. Propter hoc Presbyteris letanias agentibus, & aquam Benedictam ſpargentibus (Nota ludibrium Satanæ, quo idolatriam confirmet) inimicus lapides iaciendo multis cruentatis, tandem aliquandiu quieuit. Presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter vlulans, tandem Presbyterum quendam nominatim exprimens, ſe quando aqua Benedicta ſpargebatur, ſub Cappa quaſi familiaris ſui latuiſſe, profeſſus eſt, accuſans eum cum filia Procuratoris concubiſſe. Sic per triennium inſtitit, donec ibidem cuncta ædificia incendio conſumeret. Hæc de illo Vincentius. Ex quo vides, quali aſtu aquam benedictam diabolus tanquam rem diuinam &c. confirmarit &c.

861. Sclauis per Cyrilli prædicationem Chriſtum recipientibus, Pontifex Romanus, ne & hanc offam è faucibus ſibi eripi pateretur, Cyrillum & Methodium Sclauinorum doctores, Romam euocauit, qui præſentes interrogati ſunt, Quare lingua Sclauonica diuina celebrarent, ac non potius latina? Qui reſponderunt Pontifici, ſcriptum eſſe, Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Ac cùm multis pro & contra rationibus vtrinque diſceptatum eſſet, Pontificis diſpenſatione permiſſum eſt Sclauis, ſua lingua ſacra facere. Hunc morem Poloni Cracouiæ in Eccleſia S. Crucis in ſuburbio, quod Clepars dicitur, ad annum Chriſti 1500. vſque retinuerunt, ex quo tempore abolitus eſt, & Romani ritus reſumpti. Chron. Pol. lib. 1. cap 13. Æneas Syl. de Bohem. cap. 13. Atq; hoc modo Sclauorum Eccleſiæ Romano Pontifici, ex largitione eius ſunt ſubiectæ. Mirum profectò Beſtiæ artificium.

865. Bulgares quoq; eo tempore Chriſtum agnoſcentes ſimili arte in rete ſuum pertrahere nitebatur, miſsis eis Epiſcopis & Presbyteris, ſua in culina natis & educatis. Bulgares verò gens inconſtans non diu permanſerunt in fide Papæ, ſed tyrannidem eius exoſi, ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam & Græcorum ritus acceſſerunt.

867. Secutus eſt Nicolaum Hadrianus ſecundus in pontificio munere, ſed non cum voluntate legatorum Imperatoris electus. A populo & Clero namq; abreptus eſt, & Pontificiæ ſellæ impoſitus, priuſquam Imperatoris Legati eam ad rem peruenire poſſent. Vi enim poteſtatem eligendi Pontificem ad ſe rapiebant Romani. Legati cùm hoc ægrè ferrent, tale reſponſum accipiunt, Multitudinis voluntatem in tanto tumultu moderare non potuiſſe. Eos tamen optimè facturos, ſi virum optimum, quem & Clerus, & populus elegerat, de more Pontificem ſalutarent. Legati cùm electionem in irritum vocari deſperarent, ipſa neceſsitate placati, Hadrianum electum Pontificem ſalutant. Mox aduenére ab ipſo Imperatore literæ, quæ electionem Papæ, tanquam iure optimo factam, comprobarent. Hadrianus ergo Pontifex confirmatus, in pauperes valdè fuit munificus, vt qui ex alieno largiretur. Iniquis oppreſſos iudicijs ab iniuria vindicauit.

869. Hoc tempore Synodus apud Conſtantinopolim eſt congregata, quæ à Græcis Octaua Vniuerſalis dicitur. Ad quam & Adrianus legatos ſuos miſit. In ea præ-

ter i

ter id quod in Chronol. diximus, & hæc decreta ſunt. Bulgares debere ſubiectos eſſe Romanæ Eccleſiæ. Laicos vel ſummi ordinis non debere intereſſe electioni Archiepiſcopi, Patriarchæ neq; Epiſcopi. Item, Epiſcopos Clericorum electione & decreto certi collegij eligi debere Anton. Trac 16. Parag. 10. Hinc Adrianus tres legatos miſit ad Bulgares, qui ex Rom. Pontificis ſententia, omnia in Eccleſia conſtituerent. Poſtea autem à Græcis perſuaſi Bulgares, expulerunt Sacerdotes Latinos, receptis Presbyteris ex Græca Eccleſia. Quæ res maximam ſimultatem peperit inter Romanam & Græcam Eccleſiam. Plat. ſub idem ferè tempus venit Lotharius Francorum rex ad Adrianum Pontificem Romam, vt ſe de adulterio (de quo in Chron.) excuſaret; & cùm ad comprobandam ſuam innocentiam, ad communionem Corporis Et Sangvinis Christi, tam ipſe quam Optimates ſui à Papa inuitati fuiſſent, quia indignè perceperant, omnes infra annum mortui ſunt. Rex etiam Lotharius redeundo in via Placentiæ eſt mortuus. Anton. vbi ſupra. Hîc nota, quód Laicis ſub vtraque ſpecie, vt vocant Sacramentum Euchariſtiæ ſit datum hoc ſeculo &c.

Iohannes IX. Papa Romanus, non ſine magni belli occaſione, tres Imperatores ſub Pontificatu ſuo coronauit. Carolus Caluus ſimul ac audierat, Ludouicum Imperatorem eſſe mortuum, Romam ad Iohannem Pontificem contendit, quem & muneribus ſuam in ſententiam pertraxit, & ab eo Imperiali corona inſignitur. 873. 877.
Ludouicus Germaniæ rex Calui frater, indignè ferens, fratrem ſibi vſurpare Imperium, contractis vndiq; copijs, filios ſuos in Italiam mittit, qui fratrem Imperio priuent. Carolus inſtructo exercitu nepotibus occurſurus, dum Veronam pergit, apud Mantuam ſecundo anno Imperij ſui languore correptus, venenata potione, à Zedechia Hebræo medico & præſtigiatore ſubminiſtrata, perijt. Iohannes Pontif. audita Caroli Calui morte, omnes vires intendit, vt Ludouicus, cognomento Balbus, Calui filius, eligatur in Imperatorem. Romani proceres obſiſtentes Pontifici, decernunt Imperium Carolo III. Ludouici Germanici, in huius tumultus initio defuncti, filio, ductanti tunc exercitum in Italiam. Pontifex obſtinatè in ſua ſententia perſiſtens, Romæ capitur, & in carcerem conijcitur, vndè amicorum opera elapſus aufugit in Galliam, vbi ad annum commoratus, Ludouicum Balbum, vt propoſuerat, Imperatorem decernit, regem Galliæ inungit, Imperij corona donatum Auguſtum ſalutat. Interea Carolus III. potitus vrbe Romana, Iohannem Pontificem è Gallijs reuocat, qui Romam rediens, vt tutò ſibi liceret agere Romæ, & Carolum Imperatorem pronunciat, atq; Imperij Corona ornat. Hic Iohannes in Gallia profugus, annuente Balbo, Concilium coëgit apud Trecam, quo contentiones quorundam propoſuit, & de religione multa conſtituit, ac Flandris nouo populo Epiſcopum dedit: Ad Ludouicũ ſcripſit, Romanæ Eccleſiæ priuilegia auferri non poſſe, niſi præſcriptione Centum annorum: & ipſe quiduis rapuit ſibi, præſcriptione vix dum 20. annorum. Sacrilegij reis excommunicationem & pecuniariam mulctam ordinauit. Libertatem Eccleſiarum, cœmiteriorum, Clericorum, Eccleſiaſticorum bonorum & monaſteriorum confirmauit. 879.

Interea Deus quoq; mirabilia ſua, partim ad terrorem, partimq; ad pœnam hominum demonſtrauit. Nam Brixiæ (In introitu Italiæ ſita eſt) tribus diebus ac totidem noctibus ſanguine de cœlo pluit. Et Locuſtæ magnis agminibus Galliam inuolantes miſerè afflixerunt. Erant illæ, vt Vincentius eas depingit, cæteris locuſtis multò maiores, ſæua alarum tegmina, ſex pedes, duoſq; dentes quouis lapide durio- 874.

 res ha-

Anni Christi. res habentes, vt caſtrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere vnius diei præmittentes, ad metanda loca venturæ multitudini, circa horam IX. diei ad locum præuiſum venientes. Solis lumen volantes ſua denſitate obſcurare. Viride tam in agris quàm in arboribus omne depaſcere. Quatuor aut quinq; milliaribus vno die proficiſci, donec totam Galliam depaſcentes in Mare Britannicum vento vehementiſsimo ſint demerſæ. Vnde ad littus aquarum vndis repulſæ, peſtiferum in ijs locis excitarunt fœdorem. Fames hinc cum peſte ſecuta, quæ tertiam ferè hominum partem in Galliæ regnis abſumpſit. Spec. lib. 25. cap. 41.

878. Poſt Ludouici Germaniæ regis mortem, Regnum eius inter tres à ſe relictos filios, ſic diuiſum eſt. Carolomannus ſortius eſt Bauariam, Pannoniam, Carinthiam, regnaq; Sclauorum, Boëmiam cum Morauia, vocatuſq; eſt Rex Bauariæ. Ludouico ceſsit Orientalis Francia, Turingia, Saxonia, Friſia, pars aliqua regni Lotharij, appellatuſq; eſt Rex Orientalis Franciæ. Carolo data eſt Allemannia, quam Sueuiam dicunt, dictuſq; eſt Rex Allemanniæ. Per hunc Carolum III. cui cognomentum Craſſo fuit, iure tum belli cùm electionis Imperium proſus translatum eſt ad Germanos Françoſ.

887. Martinus II. fraude magis & malis artibus, quam honeſta electione ad Sellam Romanam conſcendit. Nam ipſius factione agitatum fuiſſe ſcribunt, vt Iohannes carcere incluſus, tandemq; elapſus ad Gallos profugerit. In huius confirmatione Imperatoris autoritas non eſt requiſita. Ita paulatim ſeſe explicant à poteſtate Imperatorum, vt facilius eos poſtea pedibus conterant. Hic Martinus nihil ſcitu digni, etiam ipſis Papiſtis reliquit.

885. Adrianus verò III. Romana ſede potitus, quod anteceſſores ſui multis iam annis parturierant, ipſe vno fœdu edito in lucem protulit. Nam ſtatim poſt initum Pontificatum, nactus oportunitatem per Caroli Craſsi abſentiam, qui tum Normannico bello erat implicitus, ad Senatum populumq; Romanum retulit, NE IN CREANDO PONTIFICE IMPERATORIS EXPECTARETVR AVTORITAS, ſed vt libera eſſent, & Cleri & populi ſuffragia. Hanc rem prior tentauit Nicolaus I. ſed in actum non perduxit, vt ipſi loquuntur. Atque hîc obſerua, pie lector. Quomodo per hoc decretum, Ius Imperatoribus omne, quod in Pontificem Romanum & Vrbem Romam habuêre, ſit ademptum. Ac quamuis id ex hoc tempore, præſertim à Germanis poſtea Imperatoribus, maximis contentionibus ſit repetitum, & ab Othone ad tempus receptum: tamen adulto hoc fœdu, Pontifices magno cum Triumpho ſuperiores euaſerunt. Vt in ſequentibus videndum eſt. Eſtq; ab hoc Adriano impleri cœptum, quod de Beſtia bicorni Apocal. 13, dicitur. Quod ſuaſerit, Romanis ſcilicet, vt facerent priori Beſtiæ id eſt, Imperio Romano Imaginem, quæ deinde loquuta omnia ſibi ſubiecit, &c. Illa enim Imago aliud non eſt, vt ego intelligo, neminem ſuo & meliori fortaſsis defraudans iudicio, quàm Papa Romanus, æquali vel ſuperiori etiam cum Imperatore iure Imperium administrans. Ea Imagine præcedentes Pontifices imprægnati fuêre: hîc verò Adrianus eam peperit in lucem: hæc educata ſub Longobardis Imperatoribus (de quibus poſtea) ſub Othonum tutela & ferula adoleuit: iuuenilem inde nacta ætatem paulatim ſuum exeruit ingenium, donec tandem ſub Hildebrando Papa viribus ſumpto animo, ſupra ipſos Imperatores ſeſe extulerit. Ex quo tempore ſemper ſuperior manſit, donec numerum ſuum, & dies ſuos, in Apocalyp. definitos compleuerit, hoc eſt, à natali ſuo annos 666. Qui cum morte Pauli II

Ron

Rom. Pontificis, & anno Chriſti 1550. ſunt finiti. Nam cum ipſo poteſtas Pontificia in Cœſares & Reges & mortua & ſepulta eſt. Neq; vllus poſthac eſt expectandus Papa Romanus, cui ſeſe vel Imperator, vel Reges extra Imperium, Papæ tamen antea ſubiecti, ita ſubmitterent, vt ex illo tempore, ad mortem Pauli vſq; factum eſt. Nam ex eo die clamat Angelus: Cecidit Babylon, Cecidit Babylon &c. Cæterùm & hoc obſerua, quòd & hic Adrianus, non diu in Pontificatu vixit: ſicuti nemo Pontificum, qui egregij aliquid ad promouendam Sellam Romanam, ac deprimendam autoritatem Imperatoriam, diu ſuperſtes manſit, donec omninò Papæ potentes facti ſunt. *Anni Chriſti.*

Stephano V. Romæ præſidente, ſcribunt quidam, Carolum Craſſum á Principibus ſuis deiectum eſſe ex Imperio, cùm propter corporis ſegnitiem, tum propter animi tarditatem, ſuffectumque eſſe Arnulphum nepotem, Carolomanni filium. Alij ſcribunt, Carolum vltró tradidiſſe Imperium nepoti ſuo, ea lege, vt in ocio haberet, vndè pro ſuo loco honeſtè viueret. Plat. Naucl. &c. Hoc Arnulpho regnante, Itali ad Longobardos animum adiecerunt. Pertæſi namq; erant externorum regum dominio. Sed Arnulpho viuente, quod deſiderabant non ſunt aſſequuti. Is enim vi capta Roma, Caroli ſtirpi Imperij titulum aſſeruit, de quò in Chronologia ſatis dictum eſt, & in Iohanne X. Pontifice dicetur. Porrò Stephanus nihil memoria dignum præſtitit, vnico tantùm conſilio, ab Antonino, quod Moguntinenſi Epiſcopo dederit, celebratur: Quomodo videlicet cum parentibus agendum ſit, qui filios inſcij in lectum ſumptos aut ſuffocant, aut oppreſsione necant. Tract. 16. 13. 886. 891.

Formoſus ſub Pontificatu Iohannis IX. deſerto Epiſcopatu ſuo Portuenſi, Iohannis Pontificis declinaturus ſæuitiam, in Galliam fugit. Iohannes namq; ob id infenſus erat Formoſo, quòd per ſuaſum haberet, ipſum eorum partibus fauiſſe, qui ſe ob electionē Ludouici Balbi, in vincula coniecerant. Formoſus ergo cùm nollet ad Epiſcopatum ſuum redire, á Iohanne Pontifice reuocatus, dignitate priuatur. Veniente tandem, ob negocia quædam ad Romanam Sedem pertinentia, in Galliam Iohanne, Formoſus, metu fortaſsis impulſus, Pontificem adijt: quem Pontifex omni Eccleſiaſtica dignitate coràm priuat, iureiurando quoq; Syngraphaq; data promittere cogit ſe neq; Romam, neq; ad ſuum Epiſcopatum rediturum eſſe, ſed victurum in ſtatu Laicali, veſtibuſq; prophanis vſurum. (Ex quo apparet, quòd & Epiſcopus poſsit fieri Laicus, nihil obſtante Charactere indelibili.) Iohanne veró mortuo, Martinus II. Formoſum Romam accerſit, eumq; á iuramento, quod Iohanni præſtiterat, abſoluit, & in priſtinam dignitatem Epiſcopatumq; reſtituit. Interea temporis Formoſus ſuæ factioni adhuc charus, cum multis inita gratia, & plæriſq; muneribus corruptis, poſt Stephani V. mortem, Pontificatum conſequitur, ſed non ſine graui diſſenſione. Quidam enim elegerant Sergium Diaconum, quem, cùm iam conſecrandus Altare inſtaret, contumelioſè detractum factio Formoſiana expulit. Sergius videns ſe viribus imparem Formoſianis, aufugit in Gallias. At illi, qui ab eius partibus ſteterant, ægrius ferentes ſe repulſam paſſos, non ceſſabant exhibere moleſtias Formoſo. Qui quatuor annis ita diuexatus, ad Arnulphum Germaniæ regem reſpexit, eumq; in defenſionem ſui Romam vocat. Is confeſtim tumultuario collecto exercitu, qua potuit feſtinatione Romam contendit: qua ſine mora (duce Lepore canes fugiente) potitus, á Formoſo magnificè excipitur, conſe- 892.

Anni Chriſti.

conſecratur & Imperiali corona donatur. Arnolphus gratias Pontifici relaturu pro iſto in ſe officio, præcipuos ex aduerſarijs Formoſi capite truncat, Edicturus ſu terroris exemplum alijs Formoſi hoſtibus. Abbas Vrſperg. Anton. Tractat. 16 Parag. 14. Formoſus verò nihil operis aut conſtitutionis fecit, niſi quòd Baſilicam Petri leui, vt Platina dicit, pictura exornauit. Sed vt intelligatur, quid velim, cùm dixerim, Romam duce lepore fugiente captam à Germanis, Antonini verba ho loco aſcribam; Qui loco prænotato ſic infit. In ea obſidione cùm quidam lepu ſculus ſubito à canibus inuentus verſus vrbem fugeret, exercitus (Arnulphi cum nimio clamore eum ſequitur. Romani autem qui ex ea parte ad cuſtodian ſtabant, exiſtimantes vrbem ex alia parte ab exercitu Imperatoris captam, relict mœnibus fugerunt. Quod videntes hoſtes ſcalis applicatis vrbem ingrediuntur, a reſeratis portis, Imperator cum toto ſuo exercitu ingreditur. Et ſic primùm Rom ab exercitu Germanorum capta eſt ſub Imperatore Arnulpho. Hæc ad verbun ex Anton.

893. Suentepoldo Morauorum duce pertinacius Arnulpho repugnante, cùm Re eum proprijs ſuperare viribus nequiret, munitiones Vngariam verſus (quas Cl ſas vocant, quibuſq; ſolis Hunni, qui tum Vngari dici cœperant, à Septentrionis f nibus excludebantur) imprudenter reſerauit, Patefacto Vngaris itinere. Eorur namq; auxilio vſus, Suantepoldum facilime ſubegit. Vngari autem viſis vltramo tanis regionibus, Clauſtriſq; obſeruatis, quibus exitus pateret, ſtatim poſt morter Arnulphi, maximas clades omnibus Occidentis & ſeptentrionis, ad Albim vſqu commorantibus populis, inferre cœperunt. Quæ proculdubio non tam graue extitiſſent, cùm aut nunquam, aut ſeriùs erupiſſent Hunni, ſi Arnulphus eos in au xilium non vocaſſet. Sed ita fit, ſi hoſpites peregrinos voces ad imperij conuiui um. Quæ verò ab Vngaris mala ſint paſsim perpetrata, in Chronologia ſuis loci ſunt inſerta.

898. Bonifacij VI Papæ nulla extant acta. Huic Stephanus VI. ſuffectus eſt, qu immemor beneficij à Formoſo accepti (Anagninæ enim Epiſcopus ab eo ordina tus fuerat) coacta Synodo Formoſi decreta abrogauit, omniaq; acta eius irrita fecit Corpus tandem Formoſi è ſepulchro extraxit, atq; in ſedem Petri collocauit, habi tu, quo indutus erat Pontificali exuit, ſeculari induit, & laicali (vt vocant) ſepultu ra humauit, præciſis prius duobus digitis, quòd contra iuſiurandum præſtitum, a Romanam vrbem, & Portuenſem Epiſcopatum redierat, eoſq; in Tyberim pro ijci iubet. Anton. Plat. Naucl. Romanus inde huic ſuccedens, nihil quod ſcire di gnum ſit effecit. Theodorus autem Formoſianæ factionis amans, decreta Formo

900. ſi, á Stephano abrogata, in integrum reſtituit. Huic Iohannes X. ſucceſsit, qui ſu Pontificatus tempore, ſeditiones propemodum ſopitas reſuſcitauit. Cauſam For moſi in integrum reſtituere volens, repugnante maxima Romani populi parte, di ſidium ingens excitauit. Quod cùm videret in apertum bellum euaſurum, contuli ſe Rauennam, ibidemq; Synodo coacta LXXIIII. Epiſcoporum, decreta For moſi in integrum reſtituit. Stephani VI. acta coram omnibus damnauit, & quæ i Synodo eius contra Formoſum ſcripta erant, combuſsit.

902. Benedictus IIII. in tantis turbis Eccleſiaſticis, nihil Pontifice digni fecit, quo ſcriptum eſſet. Ita & Leo V. Quem Chriſtophorus Presbyter eius cepit, captum que carceribus incluſit, atque per vim Pontificatum inuadit. Leonem in carcer bus vita ex mœrore functum credunt. QVÆRITVR nunc, Quis horum Pon

tificatu

tificum, qui omnes Sanctiſsimi ſunt dicti, & Caput Vniuerſalis Eccleſiæ appellati, à vero aberrauit? Reſpondete mihi vos defenſores Sellæ Pontificiæ Romanæ. *Anno Christi.*

Arnulpho morbo pediculari vita functo, filius Ludouicus eius nominis tertius, in regno Germanorum ſucceſsit. Hic nunquam Italia potitus eſt, neq; Coronam Imperij accepit vnquam. Sub huius Regno potens factus eſt in Italiam Berengarius cum filio Lantberto: Obtinuitq; eius factio, ex hoc tempore, Italici regni titulum, vſq; ad tempora Ottonis primi, Excluſa omninò ab Italiæ dominatione Caroli Magni progenie. Atq; hoc modo quarta apud Romanos dynaſtia deſit, poſt collapſum in Auguſtulo Imperium: & quinta potentia cœpit: Cùm Pontifices Imperatorem nullum vellent, qui extra Italiam trans Alpes habitaret, coronare. 903.

Sergius III. ad Pontificatum cum Formoſo electus, ſed à Formoſianis ab Eccleſia reiectus, in Galliam fugerat, latens ibi, donec Christophorus, vt diximus, vi occuparet Papatum. Hinc occaſionem nactus, Francorum auxilio Romam latenter intrat, Chriſtophorum capit, atq; in Monaſterium, tanquam in Inſulam, qua ſcelerati ſolent expotari, eum relegat. Sed ne res innouaret, Chriſtophorus in libera cuſtodia conſtitutus, ex monaſterio retrahitur, carceri arctiori demādatur, in quo tandem vitam ſceleratam finiuit. Sergius ſine metu Papatum obtinens, corpus Formoſi denuò è ſepulchro protraxit, Sellæq; Pontificiæ impoſitum capite detruncauit; tres quoq; digitos ei amputauit, & in Tiberim tanquam cadauer ſepulturâ indignum, proijci mandauit. Deniq; vt paucis multa dicam, omnia Formoſi acta irrita fecit, compulitq; Romanos timore Regis Galliæ, vt quod à Formoſo factum fuit, & à ſucceſſoribus eius comprobatum, pro irrito haberetur. Et à formoſo ſacris initiatos ſacerdotali ordini aſcriptos, denuò initiari ſacris dixit. Plat. Anton. Parag. 15. Abb. Vrſp. Hic Sergius Eccleſiam Lateranenſem, Stephani VI. tempore penitus ferè collapſam, inſtaurauit. 907.

Memorabile facinus eſt, quod Sanctiſs. ille Moguntinus Archiepiſcopus, in Adelbertum Bambergæ Marchionem commiſit. Is enim Adelbertus, vt dicitur, ſeptem cōtinuis annis Ludouico regi rebellauerat, neq; vlla vi poterat vinci. Tandem aſtu Rex ipſum opprimi poſſe ratus, Hattonem Moguntinum illum Archiflamminem in conſilium vocat, Qui confeſtim operam ſuam regi pollicetur. Nec mora, ad Adelbertum prætextu pacis conſtituendæ inter ipſum & Ludouicum, Bambergam venit: excipitur pro dignitate. Ibi verſutus Papa, Principi nihil ſuſpicanti mali perſuadet, ſecum vt ad regem iret: ſe ſaluum eum ad ſuos lares reducturum iuramento ſanctè affirmat. Princeps nimis credulus aſſentitur. Profecturi altero die, Proditor inuitatur á Principe ad prandium: quod is recuſans, facit ne & Adelbertus prandium ſumat: ſed mox conſcenſo equo cum Proditore iter ingreditur. Ciuitatem vix egreſsi erant: tum Papa ille eſurire ſeſe dicere, minimeq; prudenter feciſſe ſemetipſum accuſat, quòd oblatum prandium opiparum reſpuiſſet, cùm tamen ieiunus totum, quod inſtituerant iter (vt nunc ſentiat) peragere non poſſet. Reuocatur ergo à Marchione ad prandium: reuertuntur in arcem quà exierant: prandent: fame exempta, cœptum iter proſequuntur. Tum ſceleſtus ille Pater Hatto iuramento ſeſe abſolutum credens, quòd Principem ad lares ſuos ex itinere reduxiſſet, Regi eum prodidit. Nám ſimul ac ad Regem peruenêre, conſilio facto, Adelbertus heros nobilis capite priuatur. Eant nunc Sanctiſsimi, & Patres anteceſſores ſuos iactitent. Vbi hic Bonifacij primi Moguntini Præſulis Sanctitas fuit? Sed benè eſt, Qualis œconomus, talis familia. Vniuerſales ſceleſtiſsimi erant: nil igitur mirum, ſi Partiales ſiat ſceleſti. 910.

Con-

Anni Chriſti.

913. Conradus primus eius nominis Germanorum Imperator, à plæriſq; Conradi illius, quem Adelbertus Bambergenſis occiderat, filius fuiſſe perhibetur, & non Ludouici. Fuit autem ille Conradus Ludouici III. frater. Fatis ergo functo Ludouico, Conradus, cùm eſſet vir ſtrenuus, bellorumq; peritiſsimus, manuq; promptus, omnium ſuffragio Rex creatur. Erant autem eo tempore Principes clariſsimi in Germania, Arnoldus dux Bauariæ, Burchardus Dux Sueuiæ, Eberhardus Comes potentiſsimus in Francia Orientali, Imperatoris frater, Giſilbertus Lotharingiæ. Quos & opibus & potentia facile vincebat Henricus Saxonum & Thuringorum Dux Othonis filius, ad quem plæriq; Principum Germanorum Imperium, poſt Ludouici mortem, deferre ſtudebant. Sed ipſe confectus ſenio Conradum ſibi prætulit, vt Virum tam natura quàm iure hæreditario ad Imperium aptum. Altero ergo Imperij eius anno prædicti Duces omnes á Conrado defecerunt (Cauſam Scriptorum nullus refert, quod ego ſciam) Conradus verò prudentia & fortitudine vſus, plæroſq; ſine ſanguine ſibi reconciliauit, ſolo Bauariæ Duce Arnoldo excepto, qui cum omni familia ſua ad Vngaros fugit, vbi ad mortem Conradi vſque permanſit. Quidam eum Vngariæ Regis filiam in Vxorem accepiſſe tradunt. Tandem aut ex inuidia aut metu potentiæ, Conradus cum Henrico Saxone bellum habuit: quod in Chronol. diximus. Cæterùm cum hoc Conrado, ſine liberis decedente, finita eſt Coroli Magni progenies, Regniq; dignitas à Francorum ſtirpe ad Saxones tranſlata, vt in Henrico dicendum erit.

Caroli Magni nepotes hac tabula continentur.

CAROLVS MAGNVS.

LVDOVICVS PIVS, Huius filij fuerunt.

Ludouicus Rex Germaniæ habuit Germaniam ſuperiorem, vicitq; Boemos. Henricus: Filij fuerunt

Ludouicus qui bellum cum Caluo geſsit.

Carolus Craſſus Imper. poſt Caluum, & Galliæ Rex.

Carolomannus Rex Bauariæ, Hic genuit

Lotharius, qui poſt patrem imperauit, tenens Lothàringiam & Italiam. Huius filius fuit

Ludouicus II. Imp. poſt quem Papa Imperium ad Gallos transferre volebat.

Carolus Caluus Rex Galliæ, & Imperator poſt Ludouicum II. Eius filius fuit

Ludouicus Balbus, cum quo bellum geſſit Carolus Craſſus ob Imperium.

ARNVLFVM qui poſt Craſſum imperauit: hic habuit filios Ludouicum tertium Imperatorem, Et Conradum, quem Adelbertus Bambergæ Marchio occidit. Huius Conradi filij fuerunt Conradus Imp. & Eberhardus Comes Franciæ, à quo Francorum Duces deſcenderunt. Quod verò ad hunc non ſit relata Imperij dignitas, ſed potius ad Henricum, Saxonum tum potentia fecit, quæ omnibus Germaniæ Principibus tunc erat formidabilis Huic accedebant Hungarorum incurſiones, quæ talem poſtulabant principem, qui tantæ bellorum moli, ſeſe & virtute & potentia poſſet opponere.

914. Poſt mortem Sergij quarti, Romanum Pontificatum Anaſtaſius tertius accepit. Qui tam pium ſe geſsit in Pontificatu ſuo, vt neq; boni neq; mali quicquam de eo, quod fecerit, in hiſtorijs reperiatur. Cui Lando ſucceſſor eius laude & dignitate par fuit: Iohannes verò vndecimus eius nominis, tam natalibus, quàm facti

clarus

clarus, eo plus materiæ dedit ſcriptoribus. Is enim ſtirpe Pontificia Romana natus, *Anni*
Sergij Secundi, cui Os Porci nomen fuerat, ex Marotia (vt Cuſpianus dicit) ſcorto *Chriſti.*
impudenti, ſed nobili, filius fuit: Ac adultus Rauennatis Archiepiſcopus factus, ſe- 916.
ditione mota ſedeque & vrbe pellitur. Hinc Romam fugiens, Landone viuis exem-
pto, in Pontificatu ſubſtituitur, in quo magis ſpiritus militares quàm religioni de- 917.
ditos geſsit (vt Platina dicit) Nam cum Sarraceni, à Græcis ad Italiæ inuaſionem inſtigati, magnis copijs eam ingreſsi diriperent, ac deuaſtarent quicquid eſſet obuium, ita vt Romanæ quoque vrbi terrorem afferrent: Iohannes vocato in auxilium Alberto Hetruriæ Marchione potentiſsimo Fratre ſuo Vterino (quem Albericum vocant Itali) in Sarracenos exercitum duxit, ac commiſſo prælio, victoria Romanis ceſsit: Sarraceni Italia ſunt expulſi. Hac elatus fortuna Iohannes, triumphali pompa in vrbem redijt gloriam omnem factæ pugnæ in ſe ſolum transferens. Quare Albertum, cuius in deuincendis hoſtibus vel maxima virtus fuerat, aduerſus ſe concitauit: ſubortaque magna contentio eſt inter Pontificem & Marchionem. Iohannes Albertum Roma expulit, Albertus viciſsim ab iniuria ſe vindicaturus, Vngaros in Italiam euocat: à quibus Italia calamitates accepit maximas. Iohannes verò Pontifex in iſtis bellorum tumultibus, à militibus Guidonis ducis Spoletani capitur, atque in carcere ceruicali in os coniecto ſuffocatur. Cuius in locum alter Iohannes ſubrogatur: verùm quia vi ſedem occupauerat, è loco ſtatim deiectus, connumerari inter Pontifices non meruit. Plat.

Henricus Ottonis Saxoniæ Comitis filius, cognomento Auceps, hoc anno
Germanorum Imperator, omnium conſenſu Principum, præcipuè autem Teſta- 920.
mento Conradi conſtituitur. Nam Conradus, cùm præcedente anno morbo periculoſiſsimo laboraret, mortemque ſibi proximam eſſe cerneret, omnes Imperij Principes ad ſe vocauit, vno dempto Henrico, Quibus præſentibus in hæc verba locutum eſſe tradunt: Mors mihi nunc in foribus eſt, amici, ideò obteſtor vos, vt quæ pacis publicæ atq; concordiæ ſunt ſectemini, nec patiamini vos ambitione accendi. Dux vobis eligendus eſt, qui & Virtute & potentia tanto Imperio præeſſe poſsit. Nam quis Reipublicæ ſtatus, quis nobis hoſtis ſit, paucis elapſis annis, niſi oppidorum, arcium, ciuitatumq; ruinas non quotidie cernatis, experti eſtis. Henricum igitur Ducem Saxoniæ & Thuringiæ Imperatorē create: Is enim ſapientia & iuſticia cæteris nunc præſtat. Aſſentientibus obteſtationi regis Imperij Principibus, ad fratrem Eberhardum verſis, ita locutus dicitur: Scias frater, ex hac vita mihi migrandum eſſe. Ad te itaque in primis pertinebit, Regnum Francorũ vt ſobrijs gubernes conſilijs Eſt quidē nobis facultas colligendi exercitus, ducendi copias: Sunt nobis vrbes & arma cum regalibus inſignijs, & quicquid præterea ad Regium decus attinet, Hæc tamen nobis deſunt, Fortuna & mores. Henrico autem Saxoniæ Duci Fortuna & Mores optimè fauent, deinde & publicarum rerum ſumma penes Saxones eſt. Tu ergo acceptis inſignijs, vtpote Lancea, armillis aureis, chlamide, veterumque regum gladio, & Diademate, proficiſcere ad Henricum, & pacem cum eo conſtitue, quò eius fœdere tutus eſſe poſsis cum ſubditis noſtris in perpetuum. Quid enim iuuat, ſi Francorum populus, vnà tecum ipſius potentia & armis victus, omninò conteratur? Ipſe enim verè erit Rex & Imperator multorum populorum. Quibus auditis Eberhardus lachrymas fundens, Fratri ſe obſecuturum in eo quod petierat promiſit. Conrado igitur defuncto, Eberhardus aſſumptis vt iuſſus erat, Imperialibus inſignijs, ad Henricum feſtinat: Eique voluntatem fratris, Proce-

Anni Chriſti.

rumque conſenſum pandit, Regemq; ſalutat, pacemque ac amicitiam cum eo init qua in perpetuum de hinc firma ſunt vſi. Haud longè pòſt congregati Principes & Primores, cum omni Francorum exercitu, Fritislariæ vnanimi conſenſu omnes Regem Germanorum deſignant. Atque hoc modo, & hoc Regnum Germanorum iure à Francis eſt ad Saxoniæ Principes deuolutum. Sed & hic Henricus, quamuis potentiſsimus fuerit, Italia non eſt potitus, obtinentibus eam ijs, de quibus in Chronol. dictum eſt, Regibus. Cuſpinianus ſcribit, Ipſi Henrico à Pontifice vnctionem & Coronam Imperij oblatam fuiſſe (ſed quo autore non indicat) quam tamen accipere noluerit.

Sub hoc Imperatore Henrico primo, inuenti ſunt illi ludi equeſtres, dicti vulgo Torneamentum germanicè Turnier/ in quo quatuor nationes, ex Bauaria, Sueuia, Franconia, vt nunc dicitur, & Rheno, tanquam principaliores conueniunt, inter ſe digladiantur, vitia deteſtanda, hoc eſt, adulteria, blaſphemias, & peſsima quæque horrenda ſcelera corriguntur. Quemadmodum peculiari quodam opuſculo de hac re impreſſo circumfertur patria lingua ſcripto. Nam hos ludos Imperator & priuilegijs & libertatibus confirmauit, anno Chriſti 930. Sed hodie omnia in iocum iuerunt. Vbi enim inter nobiles hodie non regnat vſura, blaſphemia, adulterium & id genus alia vitia & ſcelera, plus quàm deteſtanda & horrenda? Cauſa autem illius exercitij militaris hæc fuit. Cùm per Hunnicam vaſtationem omnis ferè Germania militia eſſet conſumpta: Henricus cùm Hunni iterùm Saxoniam popularentur, Principem quendam Vngarorum captum abduxit. Cuius interuentione cùm Vngari eum multo auro liberare depoſcerent, pacem in nouem annos Rex Henricus pactus eſt, aurum paci poſtponendo. Iis annis nonum quemque ex agris ad vrbes euocat, qui militiæ det operam, reliquis demandans, vt octo in agro relicti nonum ex ſuis prouentibus ſuſtentarent. Illos igitur ita ſegregatos in vrbibus exercebat, vt in pace diſcerent, quid in bello faciundum eſſet. Inter hos nobiliores, vtpote qui iam antea rebus militaribus eſſent imbuti, equeſtribus ludis in armorum vſu, & legum cenſura in officio nobilitatis continuit. Nactus tandem oportunitatem, cùm ſatis domi exercitatos eſſe exiſtimaret, Sclauis, Dalmatis, & Boemis bellum intulit, quibus ſubactis, in Vngaros, tempore induciarum elapſo, vim omnem conuertit, quos ingenti prælio, apud Mersburgum, vt quidam tradunt (quibus & ego facile ſubſcripſerim, in tanta ſcriptorum diuerſitate, præſertim cùm ſtatim poſt hanc victoriam, Hugonis Italiæ regis legati ad Henricum venerint, amicitiam eius ſtudioſè expetentes) vicit, & ita contriuit, vt deinceps nunquam vlteriora Germaniæ ingredi fuerint auſi. Cuſpin & Abb. Vrſp. &c.

930. Leo VI. deiecto, vt ſupra dictum eſt, Iohanne, legitimis ſuffragijs Sellam Romanam inſcendit. Sed in tanta temporis breuitate nihil ſcriptu dignum fecit, niſi quòd pacis & concordiæ ſtudioſiſsimum fuiſſe tradunt: Huic Stephanus VII. ſi-
933. milis in rebus geſtis reperitur. Ita quoque de Iohanne XII. nihil præter nomen ſcriptis eſt commiſſum. Idem & Leoni VII. euenit. Quo tamen Pontificatum i-
938. neunte, Otto Magnus Dux Saxoniæ Henrici filius Imperium apud Germanos accepit, cuius res geſtæ præcipuæ in Chronologia ſunt aſsignatæ. Quare plura de his dicere ſuperfluum eſt: Si qua tamen ibi non ſunt notata, in ſequentibus indicabuntur.

941. Stephanus VIII. è Germania oriundus, poſt Leonem ſeptimum Papatum occupauit. Is ciuilibus ſeditionibus ita eſt diuexatus, vt nihil Pontifice dignum

potue

potuerit agere. Nam in popularibus turbis vulneratus cicatricum deformitate ita fuit inſignitus,vt puduerit eum prodire in publicum. Martinus huius ſucceſſor, eius nominis tertius,Templa inſtaurauit,pauperes fouit.Præterea nihil legitur egiſ- *Anni Christi.* 944.
ſe memoria dignum. Agapetus II. niſi quòd Ottonem contra Berengarium in Italiam euocauit, nihil quod memoriæ proditum ſit egit.Quid autem Otto primo ſub aduentu ſuo in Italia egerit,breuiter in Chronologia habes. Synodus in Ingelheim 947.
his temporibus habita eſt, ſed quam ob cauſam nullus dicit. Tanta fuit huius ſeculi ſcriptorum negligentia & imprudentia.

Iohannes XII. primùm Octauianus appellatus, Alberti potentiſsimi Romanorum filius, ab adoleſcentia omnibus probris ac turpitudine omni contaminatus, 954.
venationibus magis, ſi quid temporis à libidinibus ſuperat, quàm orationi deditus. Hic patre adiutore, qui partim muneribus, partim minus apud Clerum id effecerat,ad Pontificatum eligitur. Hic quomodo ſe erga Imperatorem Pontificaliter geſſerit, mox dicemus, relata prius fabula aliqua ex Vincentio,vt videas ex parte, quibus nugis Miſſa ſit confirmata. Ita enim ſcribit Monachus ad verbum. Quodam tempore Rex (Edgarus) venatum perrexerat, & Dunſtanum, qui tunc fortè ſecum erat, Miſſam rogauit differre donec rediret. Appropinquante hora tertia, vir Dei ſacris indutus veſtibus, regemque expectat cubitis innixus altari & lacrymis deditus. Tunc ſubito ſopore leuiter preſſus rapitur in cœlum, & immixtus Angelis audiuit eos Sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere,Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Quorum cantum retinens ad ſe reuerſus eſt & interrogat, ſi rex aduenisſet? Reſpondetur,non. Iterùm ergo orat,& iterùm in cœlum raptus,audit ibi altiſona voce dici, Ite Miſſa eſt,Cumque reſpondetur,Deo gratias, accurrunt Clerici Regis, regem adeſſe dicentes: Quibus ille reſpondit, quòd iam miſſam audierat, nec aliam eo die auditurus vel celebraturus erat.Interrogatus quare?Viſionem aperit,& ſumpto ex hoc ſermone prohibuit Regi,ne vlterius in die Dominica venatum pergeret. Kyrie eleiſon, quod in cœlo audierat (id eſt, quod ſomniauerat altari innixus) clericos docuit, & multis locis hodie (Vincentij ſeculo) per Angliam canitur. Hæc Vincentius lib. 25. cap. 85. Vnde diſcas, ſomnia monachorum eſſe cœleſtes viſiones,quibus Eccleſia reformata eſt necatus.

Quo Ottonis coronatio atq; Iohannis Papæ ſceleſtiſsimi, Romanorumq; Ci- 962.
uium aduerſus Imperatores ſuos animus, vndeque ſit, quòd Papa Romanus ius in Imperatores, & Imperatores contrà ius ſibi in Pontifices vendicauerint, melius intelligatur: integram, ex R. Barns libello de Pontificibus Hiſtoriam hic loci aſſcribam. Is enim, quantum ego iudico, ea diligentia, eoque ordine, quæ circa hæc tempora inter Papam Regemq; ſunt acta, ex multis, Antonino autem præcipuè & Nauclero congeſsit, vt vix alius meliori iudicio poſsit: Sic autem inquit: Berengario opprimente Italiam cùm Alberto filio,Romani cum ſuo, tum Pontificis nomine, Legatos ad Ottonem mittunt obteſtantes eum, vt Italiam Romanamq; Eccleſiam à Berengarij Tyrannide vindicaret. Otto non immemor Berengarianæ perfidiæ, Italiam exercitu petit. Berengarius Ottonis virtutem expertus antea, dum eum Agapetus aduocauerat: fugit & occultat ſe. Otto cum animaduertit rem aduerſis armis non poſſe geri, proficiſcitur Romam, iuramento tamen legatis præſtito, priuſquàm vrbem intraret. Cuius exemplar placuit ſubjicere (Extat diſt. 63. & apud Antoninum tract. 16. parag. 16.) Tibi Domino Iohanni Papæ, Ego Rex Otto promittere & iurare facio, per Patrem,& Filium, & Spiritum Sanctum,

 & per

Anni Christi.

& per hoc lignum viuificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quòd ſi permit-
tente Domino Romam venero, ſanctam Romanam Eccleſiam, & te Rectorem
eius exaltabo ſecundum poſſe meum, & nunquam vitam, aut membra, aut ipſum
honorem quem habes, voluntate mea, aut meo conſenſu, aut conſilio meo, aut
exhortatione perdes. Et in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam, de
omnibus quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, ſine tuo conſilio. Et quicquid de
terra S Petri ad noſtram poteſtatem venerit, tibi reddam. Et cuicunque Regnum
Italicum commiſero, illum iurare faciam, vt adiutor tui ſit, ad defendendam ter-
ram Sancti Petri, ſecundum ſuum poſſe. Hoc iuramenro dato, vrbem ingreditur.
Iohannes Pontifex cum Clero Ottonem honorificè excipit, inungit, & Corona
Imperatoria ornat, Auguſtumque appellat. Otto à Coronatione Romæ aliquandiu
moram trahens, Pontificem familiariter admonet, vt ſceleratam vitam, qua erat
omnibus infamis, abjiceret, ederetque Eccleſiæ ſanctioris vitæ exempla. Cúm verò
videret, ſe nihil promouere apud Pontificem ſalubri exhortatione, Roma diſcedit,
Berengarium fugientem tunc in monte Leonis obſeſſum, expugnaturus. Interea
temporis Ottone abſente, Albertus Berengarij filius, qui ad Ottonis aduentum in
Corſicam Inſulam diſceſſerat, Romam venit, conſilium contra Ottonem init.
Pontifex Ottoni iniquus, fortaſsis quòd eius vitia improbauerat, addicit ſe parti-
bus Berengarianis. Duo ex Cardinalibus hanc coniurationem ſcripto Ottoni in-
dicant. Otto ſoluta obſidione Berengarij, Romam cum exercitu properat. Pontifex
cum quibuſdam Romanis Proceribus, eius coniurationis reis, aufugit. Comper-
ta tamen re, quòd duo Cardinales Ottoni ſua conſilia indicauerant, priuſquàm fu-
geret, capit eos, & vni naſum, alteri manum, qua dicebatur ſcripſiſſe literas, abſci-
dit. Hoc perpetrato nouo ſcelere, aufugit in Campaniam, vbi in ſyluis egit in-
ter feras. Otto Romam venit, Pontificem profugum reuocat ter, iubens eum
tutò ac ſecurè redire Romam Cúm verò Pontifex redire nollet, Otto rogante
Romano Clero, Synodum coëgit, Italiæ Epiſcopos vocat, ſententiam de Pontifice
cùm ſcelerato, tum profugo rogat. Clerus populuſque petit alium Pontificem ſibi
dari. Otto iubet, vt eligant ipſi eum, quem norint ad Pontificium munus dignum,
atque ſe eam electionem ratam habiturum. Eligitur ergo in Pontificem Leo Ro-
manus ciuis, eius nominis Octauus. Ottone in Thuſciam regreſſo, cognati & Clien-
tes Iohannis Leonem ſede Pontificia dejiciunt, & cum magna pompa Iohannem
reſtituunt. Leo ad Ottonem ſe confert. Ne autem Otto ſchiſmate Eccleſiam pro-
ſcinderet grauius permiſit Iohanni vi reſtituto Pontificatum. Qui tandem dignas
pœnas dans vitæ malè actæ, depræhenſus cum adultera, à viro adulteræ confoditur.
Hæc R. Barns.

Iohanne mortuo, Benedictus V. Cardinalis creatur Pontifex, à Clero & popu-
963. lo, idque illorum arte effectum eſt, qui de factione Iohannis mortui odio habeban[t]
Leonem, quód in Iohannis profugi locum eſſet ſuffectus. Electo Benedicto, lega-
ti ad Imperatorem mittuntur, qui tum Spoleti erat: Imperatorem rogant, vt Ele-
ctionem Benedicti confirmet. Otto iratus Romanis, Legatos à ſe repulit, addens ſ[e]
potius Imperium perditurum, quàm paſſurum, vt Leo Pontificia ſede dejiceretur.
Romani contemptis minis Imperatoris, electionem Benedicti ratam haberi vo-
lunt. Otto contractis copijs redijt Romam, vrbem obſidione cingit, & quicqui[d]
extra mœnia eſt, igne & ferro depopulatur, redigitque Romanos ad tantam inedi-
am, vt coacti ſint edere aſininas & equinas carnes. Deinde Ottone foris, &

fam

ame intus ciuitatem oppugnante, feſsi malis, portas vrbis Ottoni aperiunt, & ele‑ tum Pontificem Benedictum Imperatori dedunt, Leonem antè electum recipi‑ nt, & ſolenni more in Pontificiam ſedem reponunt. Imperator quoſdam factio‑ ſos capite truncat, obſides & iuramentum ab alijs accipit, quòd nihil eorum immu‑ aturi eſſent, quæ ipſe Romæ conſtituerat. Benedictus Pontificia dignitate per Leo‑ nem priuatus, cùm Otto in Germaniam rediret Hamburgam in exilium miſsius eſt, bi ex mœrore defunctus, in Eccleſia Cathedrali ſepultus iacet. Naucl. Anton. Krantz. Quin & Berengarius cum VVilla vxore ſua, & Adelberto filio, in Germa‑ iam abductus eſt, Bambergæq́; retentus vſque ad finem vitæ ſuæ. Abb. Vrſp. Quo bducto quintus quoque de Imperio Romano cecidit. Sextaque dynaſtia, quæ fuit Germanorum, cœpit, de quo in Apoc. 17. dicitur, Vnus eſt. Hic enim vſque ad re‑ elationem Babylonicæ meretricis illius manſit, & adhuc eſt. Quamuis ſeptimum unc venire ac in foribus eſſe, mihi non ſit dubium: Qui breui tempore manebit, vt libi copioſius dicetur.

Cæterùm multi ſunt qui ſcribant, Ottonem I. à Leone VIII. coronatum. unt viciſsim non pauci, qui à Iohanne XIII. eum corona donatum affirment. Sed uantum ego conjicere poſſum, ij omnes erant, qui à Leone Ottonem corona‑ um ſcribunt. Nam omnes circumſtantiæ teſtantur, eum à Iohanne de quo hacte‑ us ſermo fuit, Imperatorem confirmatum eſſe, quas hîc enumerare ſuperuacane‑ m eſſet. Porrò Leo VIII. in Pontificatu confirmatus, cùm Romanorum nequi‑ iam non ignoraret, quòd ſuos in electione Pontificis, Eccleſiæ obtruderent, lar‑ giendo, minitando aut alijs malis artibus id perficientes: Ius eligendi Pontificis, olim Carolo Magno datum, Synodali decreto Ottoni reſtituit, Quo vitarentur ſe‑ ditiones, quæ ſolebant exoriri in Pontificum electione. Extat decretum illud Diſt. 63. & apud Antoninum Tract. 16. parag. 16. in hæc verba: In Synodo congregata Romæ in Eccleſia Sancti Saluatoris, ad exemplum beati Adriani Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victorioſiſsimo Regi Francorum, ac Longobardo‑ rum Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apoſtolicæ ſedis, & inueſtituram Epiſcoporum conceſsit. Ego Leo quoque ſeruus ſeruorum Dei Epiſcopus, cum toto Clero ac Romano populo conſtituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam autoritatem concedimus, atque largimur domino Ot‑ toni primo regi Teutonicorum, eiuſque ſucceſſoribus, huius Regni Italiæ, in per‑ petuum, facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontifi‑ cem ornandi, ac per hoc Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, & conſecrationem vndè debent. Exceptis his quos Imperator Pontifi‑ cibus & Archiepiſcopis conceſsit: Et vt nemo deinceps cuiuſcunque dignitatis vel Religionis eligendi vel Patricium, vel Pontificem Summæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem, abſque conſenſu ipſius Im‑ peratoris: Quod tamen fiat abſque omni pecunia. Et vt ipſe ſit Patricius & Rex. Quia ſi à Clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupra dicto Rege laude‑ tur, & inueſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc Apoſtolicam autoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi ſubiacere decernimus, & niſi reſipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſupplicijs affici. Hæc legis formula eſt, Quæ poſt aliquot annos tantos inter Papam & Imperatorem tumultus excitauit, vt nil ſuprà. Otto hanc conceſsionem grato ſuſcipiens animo, vt ſeſe viciſsim benefi‑ cum erga Romanam ſedem exhiberet, reſtituit omnia quæ vel Conſtantinus do‑

 naſſe

Anni Christi.

naſſe fingitur, vel Arithbertus dediſſe, vel quæ Pinus, Carolusque magnus (Longobardis erepta) donauit. Reſtituit autem ea, quæ neque poſſedit, neque vnquam tueri potuit. R. Barns.

965. Leone VIII. vita functo, Iohannes XIIII. Iohannis Epiſcopi filius, Romanæ ſedi præficitur. Hic cùm Eccleſiam ſumma obtineret tranquillitate, Petrus Romanæ vrbis Præfectus, vnà cum Gotfredo Campaniæ Comite eiusque filio, & Romanis quibuſdam alijs, contra Pontificem coniurarunt. Erant in ea conſpiratione XII. Ciues, Romani, quos Decuriones appellabant, & duo Coſs. (Fuerunt enim hoc tempore duo annui Conſules ex nobilibus Romanis, & vnus Præfectus qui ius diceret, & XII. Ciues, qui Senatorum vices haberent.) Ii Pontificem in Lateranenſi Eccleſia capiunt, carcerique in arce S. Angeli includunt, menſesq; ferè vndecim retinent. Otto hac audita fama, Romanis propter crebras, vt conjicio ſeditiones infenſus, contractis copijs Romam cum exercitu feſtinat. Gofredus Comes cum filio interea à Iohanne Capuanorum Principe occiditur. Romani morte horum aduentuq; Ottonis auditis, terrore perculſi, Pontificem carcere extractum cum honore maximo in ſedem Pontificiam reponunt. Otto cùm ad vrbem perueniſſet, nemine prohibente, cum exercitu ingreditur: ac conuocatis ciuibus Romanis, totam cauſam diligenter audit: in ſeditionis reos grauiter animaduertit, quoſdam exilio damnat, alios fortunis ſpoliat, XII. decuriones media vrbe ſuſpendio necat, Coſs. ambos in Germania exulare iubet, Gofredi filijq; cadauera effodi, oſſaq; eorũ in diuerſa ſpargi mandat. Petrũ vrbis Præfectum Pontificis voluntati permiſit, Qui vindictæ cupidus, tradit enim carnifici. Carnifex mandato Papæ veſtibus exutum, raſaq; Barba, ad integrũ diem capillis ſuſpendit eum ex equo Conſtantiniano: poſtea impoſitum Aſino, vultu ad poſteriora verſo, manibus ſub Aſini cauda ligatis, vt omnibus eſſet ſpectaculo, per vrbem præcipit circumduci, ac virgis cædi. Hæc perpeſſus in carcerem reducitur, vnde poſtea ereptus in Germaniam exulatum mittitur. Anton. Parag. 17. Nauc. Abb. & alij plæriq; Chronographi. Hic Iohannes XIV. Ottonem ſecundum à Patre in Italiam vocatum, in natalibus Domini Romæ coronauit, Imperatorem & Auguſtum vocauit. Sub idem ferè tempus, cùm Rex Poloniæ Miesko primùm CHRISTI fidem, cum vniuerſo Regno ſuo acciperet, ac regiones in Epiſcopatus diuideret, ne & hoc Regnum non eſſet ſub Papatu: Iohannes, audita tantùm fama, Egidium Tuſculanum Epiſcopum Cardinalem in Poloniam mittit, qui Regem nouum Chriſtianum in fide confirmet, Pontificiaque iuſſione Epiſcopos à Rege conſtitutos, ſacra (id eſt, Romana) vnctione conſecraret, Qui vt oportuit ſingulis diæceſes & terminos diſtinxit. Chron. Pol. lib. 2. cap. 1. Atque hoc modo Regnum Poloniæ, ſtatim ab initio ſui Chriſtianiſmi, Pontificem Romanum pro Capite Eccleſiarum Polonicarum &c. agnouit. Barones aũt Polonici, ſuſcepto primùm Chriſti Euangelio, vt tum tradebatur, ſingulari inſtituto hunc morem aliquot ſeculis obſeruarunt, vt quotieſcunque legeretur Euangelij textus à Sacerdote in Eccleſia, ipſi gladijs ad medium vſq; euaginatis aſſurgerent, ſignificantes ſe ad tuendum illud vſque ad mortem eſſe paratos. Protracta demùm aliquantulum lectione, ſenſim gladios in vaginam remittebant. Hic mos non ita dudum obſoletus eſt, per incuriam Nobilitatis.

973. Benedictus VI. Pontificatum cum pace poſsidens, à Cynthio quodam præpotenti Romano ciue capitur, & in arcem S. Angeli, olim Adriani moles dicta, inclusit, vbi vt quidam tradunt, non multò pòſt ſtrangulatus eſt: alij verò dicunt, fa-

me eu-

me eum necatum in carcere. Nemo eius necem vindicauit, quod quibuſdam ſuſpicionem facit, non iniuria interfectum. Huic Donus ſuccedens nihil egit hiſtoria dignum. Porrò ſub Benedicti tempore, annotatum eſt in Regno Polonico, Polonis Coronam á Papa petentibus negatam: quod errore factum eſt. Accidit enim illa hiſtoria ſub Benedicto XII. niſi hiſtoriæ tam Poloniæ quàm Vngariæ Regnorum fallant.

Bonifacius VII. Pontificatum malis artibus occupauit, ex qua re Romanis omnibus odio fuit. Vnde cúm videret ſibi non eſſe tutum Romæ, è Baſilica S. Petri precioſiſsimos theſauros furtim ſurripit, & Conſtantinopolim aufugit, diuenditis ibi omnibus ingentem vim auri atque argenti colligit, qua aſſumpta Romam redijt, ratus pecunia cuncta expugnari poſſe. Interea autem temporis, quó Bonifacius abeſſet Romani in eius locum Iohannem XIIII. Papienſem natione, Pontificem faciunt, XV. vocant, qui meretricem inter Pontifices ponunt Iohannem VIII. (Alibi Ego Iohannem illum poſt Benedictum poſui, Palmerium ſecutus.) Bonifacius ergo octauo menſe pòſt Romam reuerſus, cives auro illectat, peſsimos quoſq; pecunia corrumpit: his præſidijs paratis, Iohannem Pontificem capit, oculis priuat, carceri in Sancti Angeli arce includit, fame necat, occupatq; rurſus Pontificiam ſedem, in qua non multò pòſt ſubita morte perijt. Cadauer eius pedes fune alligato, per plateas tractum, in Lateranenſi vico abijcitur, vbi lanceis & contis turpiter confoſſum, tandem à Clericis populari ſepultura humatum eſt. Antonin. Poſt Bonifacium hunc, variant aliquantulum Pontificum ſcriptores, quorum diuerſas relationes Antoninus his verbis indicat. Poſt Bonifacium, inquit, Iohan. de Columna ponit Eccleſiam gubernaſſe Iohannem XIIII. ſolùm menſibus quatuor. Sed Martinus in Chronicis non ponit hunc Iohannem, ſed alium quem nominat Benedictum VII. Et poſt eum ponit prædictum Iohannem XIIII. quem aſſerit Cathedram Petri tenuiſſe menſibus octo, & Caſtro Sancti Angli per quatuor menſes afflictum, fame demùm defeciſſe. Et poſt iſtum ponit alium Iohannem XV. per menſes quatuor in Papatu reſidentem. Poſt quem Iohannem XVI nauiculam Petri gubernaſſe annis 10, menſibus 6. diebus 10. Sed Iohannes de Columna omiſſis duobus ſcilicet Benedicto VII. & Iohanne XV. deſcribit iſtum Iohannem XV. &c. Hæc Antoninus Tract. XVI. parag. XVII. Porrò Benedicto VII. aſſcribunt, quòd ipſe Arnolphum Remenſem Epiſcopum, ſeditione eiectum, Synodo contra Francorum Regem conuocata, reſtituit. Iohannes XIIII. eſt ille, quem Bonifacius VII. de ſede deiecit &c. Decimus quintus verò Iohannes Leonis Presbyteri filius fuit, qui accepta Pontificatus dignitate, Eccleſiæ bona cognatis & affinibus ſuis largiebatur: Quamobrem Clerus eum odio habuit, captumque menſibus quatuor carceri incluſum fame necauit.

Ottone ſecundo Romæ viuis exempto, funereq; eius ex more celebrato, Germaniæ Principes, qui tunc Romæ frequentes erant, de ſucceſſoris electione cœperunt agere: Variantibuſq; inter eos ſententijs, pars Ottonem tertium ſecundi filium, admodum adhuc puerum, Germaniæ regem: pars Henricum Bauariæ ducem, qui primi Ottonis nepos ex fratre fuerat, Imperatorem poſcebant. Interea non defuerunt Romani ciues, qui Romanis Italiſq; ad ſe reſumere Imperium ſuaderent, inter quos primus vehementiſsimuſq; fuit Creſcentius Numentanus. Cùm verò ea ſecretis primo in conuentibus tractata, per vicos palàm & compita ſunt dici cœpta, perterriti Principes Germani in Ottonem tertium ſecundi filium

976.

984.

Anni consenſerunt: Qui ſimul ac electum ſe audiuit, Aquiſgranum ſe contulit, ibiq; à
Chriſti. Iohanne Rauennati Epiſcopo in regem Germanorum &c eſt inunctus.

985. Interea Iohanne XVI. Pontficatum ineunte, qui literarum admodum doctus, ſed rei militaris magis peritus fuiſſe dicitur, Creſcentius ille, qui Romanis ſuaſerat, vt ad ſe reſumerent Imperium, Conſulatus titulo ſibimet arrepto, dominium vrbis ſibi ac Romanis magiſtratibus vendicaturus, ſeditionibus Pontificem ſummam rerum tum Romæ tenentem ſollicitat. Quibus Pontifex nimium exagitatus, in Hetruriam fugit. Ottonem Imperatorem per nuncios literaſq; orat vehementer, vt ſedi Apoſtolicæ & oppreſſæ vrbi Romæ opem debitam afferret. Otto exercitum collegit, Romamq; ire contendit. Id cùm reſciſſet Creſcentius, militem ſcilicet eſſe conſcriptum contra ſe, ſuæq; factionis ciues, conuenit Pontificis agnatos conſanguineoſq; & amicos, & rogat eos, vt Pontificem in vrbem reducant, ipſiq; inſtent, ne Othonis copias Romam accerſat. Pollicetur quoq;, ſe Pontifici obſequentem fore. Iohannes in vrbem redijt Creſcentius Cos. cum omnibus magiſtratibus & ciuium multitudine fit ei obuiam, Iohannes magno comitatu in Lateranenſem Eccleſiam deducitur, In veſtibulo Baſilicæ Creſcentius cum omnibus ſeditionis ducibus, veniam humiliter petens, oſculatus eſt Pontificis pedes: gratia ſic inita vitam quietam deduxerunt. Huius anno nono, Otto compoſitis per Germaniam rebus venit in Italiam, quem & Iohannes Papa & Creſcentius cæteriq; Romani ſumma cum obedientia in vrbem admiſerunt. Cumq; eò exercitus Ottonis perueniſſet ſtatim in Capuanos Beneuentanoſque rebelles duxit, eoſq; per vim & arma Roma-
995. nis pacatos reddidit. Interea Papa moritur. Ac cùm in electione noui Pontificis, omnes ad Ottonem Romæ tunc præſentem reſpicerent, neq; quicquam mouere auderent, Otto Brunonem cognatum ſuum eligi iubet, cui poſtea Gregorio quinto nomen fuit, ſperans ea ſe ratione pacem ſtabilire poſſe, quæ electionibus nouorum Pontificum ſemper turbari ſolebat. Clerus populuſq; metu coactus Brunonem Papam creant. A quo in Pontificatu confirmato, Otto & benedictionem & coronam Imperij accepit. Hinc Ottone in Germaniam reuerſo, Romanus populus ægrè ferens Papam Germanum, Imperatoris quoq; cognatum, vi quaſi ſibi obtruſum eſſe, Creſcentium ad Conſularem poteſtatem retrahunt, Reſq; Romanas eius fidei atq; induſtriæ committunt. Qui ſimul accepta Conſulari dignitate Gregorium Pontificem de ſede Papali deiecit. Clerus inde populuſq; Romanus Iohannem eius nominis XVII. natione Græcum, Placentiæ tunc Epiſcopum, hominem eruditum & pecunia præpolentem, Pontificem creant. Antoninus Creſcentium pecunia corruptum ait, ab eodem Iohanne, atq; ſic ſuffragijs eius adiutum, Pontificiam ſellam occupaſſe: quod ei exitio fuit. Nam Gregorius hanc paſſus iniuriam ad Imperatorem ſtatim ſe contulit, quæ paſſus ſit exponens. Imperator indignè ferens hanc contumeliam, cum exercitu in Italiam redijt. Creſcentius intellecto Ottonis aduentu, fruſtra confiſus popularibus præſidijs, vrbis portas, mœnia & molem Adriani, quæ nunc Sancti Angeli Arx appellata, munit firmiſsimè, vndè á poſteris Arx Creſcentij vulgó eſt dicta. Interea copias ſuas Imperator adducit, vrbem cingit, cinctam oppugnat. Romani magis ad ſeditiones, quàm ad iſtum bellum aſſueti, veniam ſibi dari ab Imperatore petunt, portaſq; Germanis pandunt. Creſcentius cum Pontifice Iohanne conſilij inops, recipit ſe in arcem S. Angeli: cùm non poſſe expugnari vi, à proditoribus quibuſdam Romanis ſpes, tam Creſcentio quàm Pontifici Iohanni, facta eſt veniæ ab Imperatore impetrandæ, quorum ſiſi perſuaſioni-

bu

Anni Christi.

bus aſcendunt ad Imperatorem, ituri petitum veniam. Egreſsi munitionem intercipiuntur in itinere. Iohannes(effoſsis primùm oculis) occiditur. Creſcentius vili impoſitus iumento, vultu ad poſteriora verſo, naſo abſciſſo cum auribus, ſpectaculo vt eſſet omnibus, per vrbem circumducitur, paulatim truncatis membris Ad vltimum ante portas vrbis ex patibulo ſuſpenditur. Gregorius ergo quintus, ità punitis ſuis aduerſarijs, ſedem ſuam recepit. Ac cùm videret varios eſſe fortunæ euentus, multoſq; Principes ambire Imperatoriam autoritatem, nec defuturos Pontifices, qui affectibus indulgentes, Imperium vni familiæ ereptum, alteri traderent: quod grauiſsimorum bellorum ſeminarium eſſet: congregata Synodo ſanctionem tulit de eligendo Imperatore, quæ ad hunc diem vſq; (quo hæc ſcribo) ſeruata fuit. Dedit enim Ius eligendi Imperatorem ſummis Germaniæ capitibus, Moguntino, Treuerenſi, & Colonienſi Archiepiſcopis: atq; his de Spiritualibus, vt vocant. De ſecularibus veró, Comiti Palatino Rheni, Duci Saxoniæ, & Marchioni Brandenburgenſi. His Dux Bohemiæ adiunctus eſt, ad dirimendam diſcordiam, quando vtrinq; electis darentur paria ſuffragia. Boëmia namq; tunc temporis non habuit regem. Hanc itaq; Pontificis Sanctionem, quam quidem Ottonis impulſu, conſilio & autoritate factam eſſe aſſerunt, Reges Galliæ iniquiſsimè tulerunt, ſed aperto marte Germanis ius datum eripere nunquam fuerunt auſi. Niſi quid auſit Henricus Gallorum Rex, qui maximis nunc viribus id appetere dicitur. De cuius tamen euentu adhuc nemo iudicare poteſt, cùm ſemper in dubio ſit Mars, vbi promiſsiones Dei non ſunt manifeſtæ, & vt ſic dicam, ſpecificatæ. Interea dum hæc geruntur ab Ottone & Pontificibus, creuit ad Papatum Gilbertus quidam nomine, Ottonis tertij Præceptor, multarum artium, præcipuè autem, vt accuſatur, Nicromantiæ peritiſsimus. De quo cùm nunc ſermo ſit, integram ipſius hiſtoriam, vt R. Bars eam ex Antonino, ex Nauclero & alijs diligentiſsimè conſcripſit, hîc apponam. Quæ ad verbum ſic habet. Sylueſter II. primùm appellatus Gilbertus, adoleſcens in Cœnobio Floriacenſi ſuſcepit monſticam regulam. Monaſterio relicto in Hiſpaniam contulit ſe, liberaliumq; artium ſtudio feruens, ſtudij gratia abijt in Hiſpalim vrbem, quam eo tempore Sarraceni tenebant: ad Philoſophum Magiæ peritum diuertit, promouitq; in artibus, vt ex diſcipulo breui in eruditum Præceptorem euaſerit. Cum eruditione prophanarum artium creuit etiam ambitio, cogitauitq;, quo pacto ſibi viam inueniret, ad altiora honoris & opum faſtigia: putauit q; nihil ad eam rem conducibilius, quàm vt magicis artibus ſe addiceret, & dederet ſe totum Satanæ huius ſeculi Principi. Viderat antè apud Philoſophum ſuum hoſpitem librum, de magia optimũ, eum vt Philoſopho ſurriperet, dedit operam. Cùm verò Philoſophus codicẽ religioſius ſeruaret, quàm vt à Gilberto ſurripi poſſet, perſuaſit, filiam quam Philoſophus habuit, cum qua ſibi domeſtica familiaritas interceſsit, vt patris librum Magicum ſecretò tolleret, daretq; ſibi perlegendum. Puella morem gerit: fit ille voti compos. Libro accepto clàm parat abitionem: metuens tamen ne furto ſibi vitæ periculum accerſeret, Satanæ iureiurando ſe addit ea lege, vt eius præſidio tutus in Galliam veniret, & conſequeretur, non vulgares dignitatis gradus. Venit in Galliam, Scholam cum quibuſdam alijs aperit, liberales artes non ſine admiratione auditorum docet. Otto III. Robertus Rex Galliæ & Lotharius nobilis, qui poſtea Leuonienſis Archiepiſcopus factus eſt, credunt ſe Gilberto inſtituendos. Gilbertus apud hos fit magnæ exiſtimationis: paulatim intendit animum ad maiora, dominandi cupidus: largitionibus & ſuorum diſcipulorum

998.

Sylvester secundus qui et Gilbertus dictus, magister Ottonis 3. praeceptor.

opera

Anni Chriſti.

opera, contingit ei Epiſcopatus Remenſis: deinde malis artibus adeptus eſt Archiepiſcopatum Rauennatem (Vincentius dicit, eum Remis Arnulpho eiecto ſuffectũ, & Papali autoritate, iterùm remotum eſſe, vt ſuprà de Arnulpho eſt dictum) Poſtremò ſtrenua opera Diaboli adiutus, Pontificiam ſedem accipit, Magicas artes celat, neceſsitudinem quam cum Diabolo habuit diſsimulat. Tandem ſibi pulchrè placens in Pontificia dignitate, ſciſcitatur ex ſuo congerrone Diabolo, quam diu potiturus eſſet Pontificatu? Diabolus ambiguè reſpondet, non moriturum, priuſquàm in Hieruſalem ſacra fecerit. Gilbertus nunc Sylueſter II. vocatus, de diuturnitate vitæ bona ſpe accepta, omninò eſſe ſecurus, quòd ſciret ſe poſſe cauere, ne Hieroſolymam proficiſceretur. Mos verò fuit, vt Pontifex ſacra facere Romæ in quadrageſima in Baſilica S. Crucis, quæ Hieruſalem vocabatur. Sylueſter de ſua vita ſecurus, ſacra peragit ex more, in eo templo, quod Hieruſalem fuit vocatum. In ſacris graui febri corripitur ei venit in mentem, eum locum Hieruſalem dici: intelligit ſe à Diabolo amphibologia vocis circumuentum: animaduertit moriendum ſibi, penſumq; Satanæ reddendum eſſe. Scelus magici errori publicè plorans confitetur, omnes Cardinales iubet accerſere ad ſe: narrat omnem rem, hortaturque omnes, vt pietatis ſint ſtudioſi, & benè ac ſanctè viuant: deinde rogat, vt corpus, quo Satanæ obſecutus eſſet, lacerum & diſſectũ bigæ imponeretur & quò equi bigæ iuncti veherent, vt ibi ſepeliretur Equi corpus bigæ impoſitum ad Lateranenſem vehunt vltrò, nemine agente equos (niſi is egerit, qui Pontificem viuum agitare ſolebat) eo loci mandatur humu. Eius ſepulchrum colliſione oſſium, & ſudore emiſſo, ab eo tempore, dicitur ſemper Pontificum mortem prædixiſſe, Dubio procul ideò, vt Diabolus ſignificet, cum Pontificibus ſucceſſoribus eandem neceſsitudinem ſibi eſſe, quæ cum Sylueſtro fuit, quem etiam ſuæ mortis ante obitum admonuit. Hæc R. Barns.

1002. Succeſsit Sylueſtro II. Iohannes XVIII. Siccus cognomine, vt Blondus eſt autor, nihil egit Pontificia ſede indignum. Feſtum tamen animarum, ab Odilone Cluniacenſis abbate excogitatum & inſtitutum, approbauit, & vt omnes Eccleſiæ obſeruarent præcepit. Iohannes Stella autor citatur, à R. Barns. His temporibus Robertus Rex Galliæ hos cantus Eccleſiæ tradidit, quos ipſe compoſuerat, Sanct Spiritus adſit nobis gratia. Et O Iuda & Hieruſalem &c. Vinc. in Spec. & Anton. Iohannes XIX. cognomento Faſanus hinc ſequitur, qui ocio deditus nihil memoratu digni edidit.

Otto autem Imperator cùm Romæ agens ſeſe erga ciues remiſsius gereret, ac nihilominus quo pacto priſtinum Reipublicæ, Legumq; publicarum, atq; Eccleſiæ ſtatum reſtitueret, cum Romanis agitaret: Romani lenitate eius abuſi contemnere cœperunt Imperatorem, vt, cui ob Sanctionem Gregorianam antea eſſent infenſiſsimi: motaque ſeditione ſubitò in eum inſurgunt, cæſa magna militum parte, ipſum Imperatorem in Palatio obſident. Henrici deniq; Bauariæ Ducis, atq; Hugonis Italiæ Marchionis induſtria, qui ſimulatis inducijs clàm Ottonem ex vrbe eduxerunt, liberatur. Habuerat Otto cum Vxore Creſcentij, quem ſuprà ſupplicio traditum fuiſſe diximus, dum Romæ fuit, non mediocrem familiaritatem. Ipſa enim regnandi cupida, arte & blanditijs in ſui amorem pertraxerat Ottonem. Hæc cùm Otto Romam eſſet egreſſus, grauiter ſe diſceſſum eius ferre, magnaq; cura de ipſius ſalute teneri ſimulat, & ne ex aëris corruptione mali quid pateretur, miſit ei præſeruatiuas, vt vocant, intoxicatas, quibus ille ſine ſuſpicione vſus in itinere

moritur

moritur. Corpus eius in Germaniam multa militum virtute, quibus ſæpè cum Italis & Gallis ipſos inſectantibus pugnandum fuit, perfertur, Auguſtæq; Vindelicorum inteſtinis humo conditis, reliquum corpus Aquſgrani ſepulturæ mandatur. 1003.

Conuenientes poſt hæc Germaniæ Principes Electores, vnanimi conſenſu, Henricum eius nominis ſecundum, Bauariæ Ducem, Imperio præfecerunt. Quem VVilıgiſus Moguntinus Archiepiſcopus ſacra vnctione in Regia dignitate confirmauit. Scribit Vincentius in fine libri 25. Henrico ab Heriberto Coloniæ Archipræſulæ, ad quem reliqui Principes omnes reſpexerant, inſignia regni violenter extorſiſſe, quaſi iure hæreditario ſibi competentia, cùm filius eſſet Henrici Ducis Henrici Ottonis primi fratris filij.

Sergius IIII. Papa nihil Papale actum poſt ſe reliquit. Huic Benedictus VIII. eſt ſuffectus, qui aliquandiu in Pontificiali dignitate reſidens, á populo Romano de ſede pellitur aliuſq; ſurrogatur Pontifex vnde graue ſchiſma eſt exortum. Tandem in gratiam cum aduerſarijs ſuis rediens, Antipapam pellit, ac maximo cum honore in Sellam Pontificam reponitur. Hunc Benedictum rogauit Henricus III. vt templum quod Bambergæ erexerat, in Cathedralem Baſilicam conſecraret: quod ita facturum promiſit, ſi ea Eccleſia Cathredralis quotannis Pontifici Romano cenſus nomine numeraret C. marcas argenti, cum albo equo & phalerato. Plat. Scribit Antoninus Tit. 16. parag. 18. Hunc Benedictum poſt mortem Epiſcopo cuidam, quem in vita valdè habuerat familiarem, apparuiſſe, nigro inſidentem equo, & admonuiſſe eum, vt Iohanni ſucceſſori ſuo diceret, ſe pecuniam in vſus pauperũ collectam, ſed impiè ad vſus alios reſeruatam, in ciſta quadam inuenturum, eas vt pauperibus diſtribueret, ne & ſimilia, vt ipſe ſufferre cogeretur tormenta &c. Sic ludit Satan, vt Idolomaniam confirmet. Ad hunc Benedictum, vt Bonfinus autor eſt, Stephanus Vngariæ Rex pro Corona & confirmatione Regni Vngarici, & Eccleſiarum à ſe conſtructarum Legatos miſit. Votiq; factus compos, totum Regnum ad Papæ obedientiam traduxit. Nam & ipſe Stephanus ad vnamquamq; Pontificis mentionem, ſpectante Populo, inclinato capite ſeſe ingeniculabat, vt exemplo ſuo ad Romani Pontificis, Apoſtoliciq; Senatus, obſeruantiam omnes hortaretur. Sub idem Tempus Poloniæ quoq; Regem ad Papam pro Corona Regni legatos miſiſſe, tam ipſe Bonfinus, quàm Polonorum annales referunt. Sed quomodo hoc eſſe poſſit, non video: Cùm nec tempora, nec Regum nomina conueniant. Miesko enim Poloniæ Rex, vt vtrinq; traditur, Coronam à Papa petiuiſſe fertur, idque ab Benedicto VII. Sed Stephanus, vt Bonfinus habet, anno quarto poſt patris mortem, quo anno Miesko iam defunctus erat. Quo tempore Sylueſter ſecundus in Pontificatu ſedit. Quare conciliet hæc qui poteſt, me hoc indicaſſe ſatis ſit.

1007.

1010.

Libet hîc referre de ſaltantibus illis, quæ Vincentius in ſpeculo ſcribit, vt videas, quàm potenter Satanas tum temporis regnauerit, quomodoq; Idolatriam ac Miſſæ ſuperſtitionem confirmauerit. Sed ne quid fingere videar, ipſius Vincentij verba aſcribam. Hoc anno, inquit, contigit in quadam villa Saxoniæ, vbi erat Eccleſia Magni martyris, tale, quód in Vigilia natalis Domini, Robertus Presbyter primam Miſſam de nocte inchoauerat, ac in Cœmiterio Othbertus quidam cum XVIII. ſodalibus, viris XV. & fœminis tribus, Choreas ducens, & cantilenas ſeculares perſtrepens, ita Sacerdotem impediebant, vt ipſe verba eorum inter ſacra Miſſarum ſolennia (tam deuotus erat) inuitus reſonaret. Ille mandauit eis vt tacerent. Quo neglecto, imprecatus eſt dicens, Placeat, Deo & ſancto Magno, vt 1012.

ita can

Anni Christi.

ita cantantes permaneatis vſq; ad annum. Verba pondus habuerunt. Filius Presby
teri Iohannes, ſororem ſuam cantantem per Brachium arripuit, & ſtatim illud
copore auulſit, ſed gutta ſanguinis inde non exiuit (Magnum profectò & Magn
dignum miraculum) Illo veró toto anno cum cæteris permanſit choreas ducens
& cantitans. Pluuia non cecidit ſuper eos (mirum) non frigus, non calor (etiam e
nimio motu non calefiebant) non fames, non ſitis (credibile) non laſsitudo eos a
fecit (Fuerunt fortè non amplius homines animales, ſed per imprecationem omn
nó ſpirituales effecti) Indumenta, vel calciamenta non ſunt attrita, ſed quaſi ve
cordes cantabant. Primum vſque ad genua (Nimis hercle profundum tam bre
tempore demerſi) deinde vſq; ad femora terræ demerſi ſunt. Fabrica tecti aliqua
do ſuper eos nutu Dei (ſcilicet) erigebatur, vt pluuias arceret. Euoluto anno Her
bertus Colonienſis Epiſcopus eos abſoluit, à nodo quo manus eorum ligaban
(Crudelis quód non prius eos reſoluit, cùm poſſet) & ante altare Sancti Magni r
conciliauit. Cætera piget aſſcribere. His & eiusmodi nugis ſeduxit Mundum Sat
nas. Agamus ergo gratias Deo, quód nos à talibus & tam immenſis tenebris eru
& caueamus, ne contempta veritatis luce, in maiores tenebras recidamus. Satan
enim non dormit.

1022. Iohannes XX. Gregorij Portuenſis Epiſcopi filius fuit, nullis adhuc ſacris ini
tiatus, Pontificatum adeptus eſt. Cæterùm nihil de ipſo memoria dignum traditu
niſi quòd ipſi cum Romanis non admodum benè conuenerit. Quám verò ob ca
ſam, non reperi.

Conradus II. Franciæ Dux ab ipſo Henrico ad Imperium lectus perhibetu
1025. Hic ab Electoribus in Germaniæ regno confirmatus, ſummam adhibuit operam
vt per Imperium pax publica conſeruaretur. Ac dum huic rei in Germania incum
bit, Italiæ ciuitates nouandarum rerum auidæ, magna ex parte defecerunt, liberta
tem ſibi vendicantes. Quas Conradus vir bello ſtrenuus, ſimul ac Italiam ingreſſ
eſt autoritate ſua ad imperata faciendum coëgit. Hinc quæ porrò egerit, in Chro
nologia ſunt indicata. Hic omnium Imperatorum primus fuit, qui pacem publ
cam ſub pœna captali Germaniæ Principibus conſeruare præcepit. Plat.

1030. Hoc anno Synodus, iuſſu Conradi & Regis Roberti, apud Triburim eſt co
gregata, in qua præcipuè de ieiunijs eſt agitatum. In quo obſerues, Papam & ho
tempore non fuiſſe Synodorum autorem. Ex illa Synodali concluſione, quæ f
ria ſexta ieiunare conſtituerat, Secta illa ieiunantium originem ſuam habuiſſe vi
tur. Surrexerunt enim, qui dicerent, cœlitus ſibi reuelatum fuiſſe, ieiunium in p
1032. ne & aqua (vt ipſi loquuntur) omnibus ferijs ſextis, ſufficere ad Remiſsionem omn
um peccatorum, modò ſeſe iuramendo ad iſta conſtrinxerint. Impoſuerunt dei
de & alia multa conſcientijs intollerabilia, quæ omnia Gerardus Cameracenſis Ep
ſcopus ſua diligenti cura & opera aboleuit. Quamuis complures Galliarum Ep
ſcopi in hanc ſectam iam primùm conſpirauerant. Tanta tunc Meritorum Chri
fuit ignorantia, etiam apud ipſos Eccleſiarum Antiſtites. Vincent. lib. 26. cap. 1
multis de hac ſecta agit &c.

Quæ de Benedicto IX. dicenda ſunt, quære ſub annum Chriſti 1041. &
1033. 1405.

1040. Henricus III. Patri in Imperio ſuffectus eſt. Is, vt in Chronologia vides, n
tantùm vir bello ſtrenuus fuit, verùm etiam, vt hiſtoriæ perhibent, valdè iocoſ
& hilaris erga familiares. Quod vnicum exemplum ſatis declarat Vincentius lib.2
cap.

cap. 18. talem de ipſo ſcribit hiſtoriam. Habebat ſororem Imperator, quæ ſacris *Anni*
initiata in Monaſterio agebat. In eodem Monaſterio Henricus magnam hyemis *Christi.*
partem tranſegit: cumque diutius ibi reſideret, ex Clericis vnus, qui Henrico à ſa-
cris erat, ſorori eius Moniali fit debito familiarior: ex qua tandem familiaritate, vt
fit, ſi ſolus cum ſola, alia quoq; ſunt conſequuta, quæ amorem illorum mirum in
modum confirmarunt. Ac cùm difficile ſit, vt poëta ait, Crimen non prodere vultu:
res inter eos ita geritur, vt palàm in popinis & tonſtrinis, de ipſorum conuerſatio-
ne cantaretur. Solus Imperator hanc famam ex inuidia ſparſam putare. Sed non
longè pòſt, cum amantes libidini ſuæ ex more de nocte indulgerent, nix ſatis alta, vt
tempus ferebat, decidit. Clericus metuens, ſi per niuem progrederetur, ne ex veſti-
gijs vbi fuiſſet noſceretur, rogat amicam, vt in humeros ſe ſuſceptum eò portet,
quò liber ipſi atq; ſine ſuſpicione eſſet abitus. Ipſa eadem quæ ille timens, obſequi-
tur, ſuſceptumque alacriter iuuenem, per atrium monaſterij transuehit. Interea Hen-
ricus neceſsitate coactus, de ſomno reſurrexerat, vrinam, vt Vincentius ait, redditu-
rus, apertaque feneſtra ſororem Clerico ſubnixam conſpicatus, famam haud falſam
eſſe cognoſcit. Diſsimulat tamen, donec non longè pòſt Epiſcopatus quidam va-
caret, Tunc accerſito Clerico, illi in aurem inſuſurrat: Accipe Epiſcopatum hunc,
& vide ne vlterius inequites ſanctimonialem. Similiter vocauit & ſororem, cui Ab-
batiam offerebat, dicens: Eſto Soror Abbatiſſa, ſed hac conditione, vt in poſterum
non patiaris equitem Clericum. Vndè vtriſque Imperatorem de amore illorum cer-
tum eſſe innotuit, Petita ergo venia ab Henrico, de cætero amori illicito renuncia-
runt, Niſi fortaſsis ſolis eſſe licuerit, Vt fert Romana caſtitas.

Poloniæ Regno hoc tempore Rege orbato, Proceres Regni conſilium inie- 1041.
runt, de reuocando Cazimiro Regni hærede, qui tum in monaſterio apud Clunia-
cum degebat. Papam ergo Benedictum nonum, per Legationem ſollicitant, hu-
militer petentes, vt Cazimirum à Religione abſolutum, ad Regnum hæreditari-
um, quòd penè iam deſolatum erat, redire iubeat. Sanctiſsimus occaſionem na-
ctus, ad opes Romanæ ſedis augendas, his conditionibus Regem ex Monaſterio
eductum Polonis reſtituit: primùm, vt Poloni ſucceſſoribus S. Petri, Romanis
Pontificibus de quolibet capite vſualem nummum, annis ſingulis ſoluerent. De-
inde, vt cæſariem capitis & comam non nutrirent, ſed patentibus auribus more La-
tinorum caput tonſum haberent. Tertiò, vt in præcipuis Chriſti & virginis matris
eius feſtiuitatibus panno lineo albo, in modum ſtolæ dependente, ceruicem exor-
nare perpetuò eſſent aſtricti: Vt his ceremonijs obſeruatis, meminiſſent, Regem ſi-
bi à Papa Romano datum, qui Monachus atq; Diaconus fuerat. Quo, vt Papæ vi-
ſum fuit, beneficio, Polonos omninò ſeruituti Romanæ ſedis ſubdidit. Chron.
Pol. lib. 2. cap. 13.

De Concilio illo quod Conſtantiæ habitum fuit, nihil aliud inuenio, niſi quòd 1044.
Henricus Imperator eò veniens cunctis in ſe delinquentibus debita dimiſit (vt Ab-
bas loquitur) omnibusq; inimicitijs deſtructis, pacem hactenus inauditam, tam in
tota Sueuia, quàm in aliis Regni ſui prouinncijs, per edictum regiæ cenſuræ confir-
mauit. Deinde Agnetem VVilielmi Pictauienſis principis filiam, apud Mogun-
tiam vngi & coronari in Reginam fecit, eamque Regalibus ſibi nuptijs apud Ingel-
heim copulauit. Cumque eò, vt aſſolent, innumeri ferè hiſtriones & ioculatores
confluxiſſent, non ſolùm muneribus eos, ſed etiam cibo potuq; vacuos, & mœro-
re ob id confectos, abire dimiſit. In quo ferè regium ſuum animum oſtendit. Nam

Anni Christi.

ad quid proſunt eiuſmodi artes? & quis eiuſmodi hominum, eas profitentium, vſu alius? niſi vt alijs ſint oneri, & cibum potumq; egenorum, ſicuti locuſtæ, prærodant atque conſumant.

1042. SCHISMA tria Pontificum. Benedictus IX. Papa, homo indoctus, cùm diutius, quàm Romanis placeret, in Pontificia dignitate viueret, ipſum odiſſe cœperunt. Quod cùm animaduerteret, aſſumpſit ſibi collegam Sabinienſem Epiſcopum, qui Sylueſter III. dictus eſt. (Quidam tradunt Romanos Benedicto pulſo hunc ſuffeciſſe) Sed cùm multis hoc diſpliceret, quòd duo ſimul conſecrati Pontifices eſſent, abiecto Sylueſtro, Benedictum ſolum receperunt, Qui fortunæ mobilitatem timens, Pontificatum vendidit Iohanni Archidiacono ad Portam Latinam, qui vocatus eſt Gregorius VI. Sed non longè pòſt, cùm Benedictum facti pœniteret, & ipſe Pontificiam dignitatem reſumpſit. Vndè Schiſma horrendum in Eccleſiam eſt introductum, cùm ſinguli darent operam, ne alter alteri ſeditione, impiete & flagitijs eſſet inferior. Benedictus in Palatio Lateranenſi reſidebat, Ex alijs vnus ad Sanctum Petrum, Alter ad ſanctam Mariam Pontificiam ſedem collocarat. Tribus ergo ſic Pontificibus vrbem occupantibus, ſummo cùm Religionis tum totius Reipub. periculo, Gratianus Presbyter Zelo quodam motus, hos Pontificulos adijt, & cuiq; perſuaſit, magna pecuniæ ſumma numerata, vt Pontificatu ſe abdicarent, quod & factum eſt. Hinc Romani Gratianum tanquam liberatorem vrbis creant Pontificem, Quod ipſum quæſiuiſſe quis dubitet? Henricus Imperator motibus his Pontificijs auditis, properè in Italiam mouet, ac cùm Romam venire ſtatuiſſet, Gratianum Pontificem apud Sutrium habuit obuiam, qui & ipſi Coronam magni precij donat. Henricus Papam excipit honorificè, & vnà Romam petit. Conuocato Clero, Gratiano tanquam Simoniæ rei perſuaſit Pontificatum deponere, eò quòd numerata pecunia effeciſſet, vt alij Pontificali ſede cederent, quó ad eam ſibi pateret aditus. Conuocata deinde Synodo, tres illi Pontifices abdicati ſunt damnati, & Sindigerus (Suiggerum alij vocant) Bambergenſis Epiſcopus ad Pontificatum lectus eſt. Vocatusque Clemens II. Hic coronauit Henricum III. coëgitq; Romanos iureiurando renunciare ſuo iuri de eligendo Pontifice, vt ſchiſmata & ſimultates, quæ ex Pontificum electionibus naſci conſueuerant, vitarentur. Sunt tamen qui ſcribunt, Henricum Imperatorem iuramentum hoc à Romanis accepiſſe, quòd nollent in futurum ſibi arrogare quicquam in Pontificis electione. Scribunt hiſtorici, Benedictum IX. poſt obitum viſum fuiſſe horrenda imagine peruagari, corpore Vrſo, cauda Aſino ſimilis: Rogatus cur incidiſſet in iſtam metamorphoſin, reſpondiſſe fertur: Ea ſpecie oberro, quia in Pontificatu ſine lege, vt Beſtia vixi. Nauc. Plat. R. Barns. Porrò de Gregorio ſexto, qui tam à Clero, quàm à populo iudicatus eſt homicida, Simoniacus & Sanguinarius, & hæc referuntur. Quod ſuſcepto Pontificatu, cùm videret, Optimates Eccleſiaſtica bona inuadere, diris & bello Pontificeam ditionem, non ſine aliorum iniuria extenderit, Eccleſiæque bona non ſolùm repetiuerit, ſed auxerit etiam. Eius ſæuitia moti Cardinales, cum ipſo ægrotante diſputauerunt, Indigniorem eum eſſe affirmantes, quàm qui in Eccleſia S. Petri ſepeliri deberet. Quibus, Gregorius inter cætera reſpondit: Bellum alijs indixi, vt damno ciuium emerem gloriam Clericorum: ac poſt multa iuſsit, vt cadauer ſuum in feretro, ad oſtium Baſilicæ repagulis clauſum, collocarent. Quod cùm factum eſſet, turbinem vehementem ianuas impuliſſe, ita vt reſilientibus repagulis aperirentur. Quo facto, perſuaſum eſt omnibus, Gregorium, vt Papam Sanctum

in Baſ

in Baſilica Petri ſepeliendum eſſe. Antoninus. Tit. 16. parag. 19. Henrico Imperatore ex Italia in Germaniã reuerſo, Romani iuriſiurandi memores, vt ipſis eſt moris, Pontificem abſque ſuis ſuffragijs creatum veneno necant. Quod venenum miſcuiſſe ſcribitur. Stephanus, cui deinde Damaſo II. nomen fuit, qui in Pontificatu ſucceſsit. Bauarus is erat natione, ac per vim occupauit Pontificatum, nullo Cleri populiq; conſenſu. Adeò enim inoleuerat hic mos, vt dicit Platina, vt iam cuique ambitioſo liceret Petri ſedem inuadere. Sed in tali honore non diu lætatus eſt. Viceſimo tertio namque die Pontificatus ſui moritur. Cui Leo IX. ſtatim eſt ſuffectus, de quo nunc dicendum erit. *Anni Christi.* 1047. 1048.

Romani pertæſi ſeditionum, quas excitarunt ſubinde inuaſores Pontificatus, Legatos ad Henricum mittunt, rogatum vt optimum Pontificem ſibi daret. Obtulit Imperator Legatis Popponem Brixienſem Epiſcopum (vt Schaffnaburgenſis autor eſt, Alij Tulenſem, alij Aquileienſem dicunt, Sunt & qui Brunonem vocant) Comitem ab Egisheim, virum bonum & ingenio ſimplicem. Hic cum Legatis, Romam proficiſcitur, Pontificiali habitu indutus. Dum eſt in itinere, Abbas Cluniacenſis, & Hildebrandus monachus (multarum calamitatum exinde autor) dant ſe obuiam nouo deſignato Pontifici, videnteſque pontificijs eum ornatum inſignijs, perſuadent ei, vt depoſito pontificio habitu, Romam petat habitu conſueto dicentes, Imperatori à Deo non eſſe ius eligendi Romanos pontifices, Sed Clero & Romano populo. Tam benè memores iuramenti ſui boni patres fuère. Poppo morem gerit admonentibus, & cœptum iter in priuato habitu perficit. Romam cùm venit, fatetur delictum, quòd ſumendo Pontificis habitum, Imperatori maluerit gratum facere, quàm Deo. Suadente Hildebrando Clerus Popponem eò libentius Pontificem creat, quod confitetur, electionem Pontificis pertinere ad Clerum, & non ad Imperatorem, appellatusque eſt Leo IX. Hic non immemor, Hildebrandi ſuaſu ſe electum eſſe in Pontificem, creat Hildebrandum Cardinalem, committens ei Eccleſiam S. Pauli: quo factum eſt, vt ſemper viſus ſit conſors pontificij muneris. Leoni huic Beneuentum dono dedit Henricus, cui Leo viciſsim gratum facere cupiens, Bambergenſem Eccleſiam à Tributo, quem Romano Pontifici quotannis dare debuerat, immunem fecit, ac Bambergenſi Epiſcopo Pallium dedit, quò ab Archiepiſcopi obedientia exemptus eſſet. Ac cùm eodem tempore Berengarius, Andegauenſis Diaconus, nouam de Euchariſtia hæreſim exuſcitaret, qua negabat præſentiam Corporis & Sanguinis CHRISTI in Sacramento, Leo Vercellis Synodum collegit, qua error Berengarij eſt condemnatus. Ipſe verò Berengarius hoc tempore non reuocauit ſuum errorem, ſed poſtea ſub Nicolao II. in Concilio Lateranenſi anno CHRISTI 1059. &c. Sed & Imperator Moguntiæ Synodum habuit C. & XXX. Epiſcoporum. In qua & Leo & Imperator præſentes affuerunt. In ea Synodo multa cõtra luxum Clericorum ſunt decreta: Scilicet, Ne Clerici vel canes, vel aues alerent ad Venationem, Nèue tractarent prophana negocia: Ne reciperetur aliquis ad monaſtericam vitam, niſi ſponte & legitimæ ætatis ſubiret Cœnobium. Simonia & Sacerdotum coniugia in perpetuum damnata ſunt (Albertus Krantz. Sax. lib. 4. cap. 43. & Nauc.) Porrò cùm Normanni potenter in Apulia regnarent, Rogauit Leo Henricum Imperatorem, vt ſibi eſſet adiutor depellendi Normannos ab Apuliæ regionibus: dedit ipſi Imperator ſatis magnum pro rei neceſsitate exercitum, quo aſſumpto Leo contra Normannos in Apuliam mouet, ac ſine mora victus, amiſſa magna exercitus parte cum 1049.

Anni Chriſti. multis alijs captus eſt. Sed Normannorum Principis facilitate, non longè poſt ad ſua eſt remiſſus, vbi in pace diem clauſit extremum.

1054. Leone mortuo, Romani timentes Henrici potentiam, de creando Pontifice non audebant noui aliquid attentare contra iuſiurandum Imperatori datum. Mittunt itaque pro eligendo Pontifice ad Imperatorem Hildebrandum, qui tum filium Henrici (autoritate ſuæ Legationis fretus) Imperatorem deſignauit. Victor Pontifex eligitur, non tam liberis ſuffragijs, quàm vt Henrico gratum facerent in

1055. eligendo Pontifice Germano. Hic Victor magnam Synodum Florentiæ congregauit, In qua complures Epiſcopos de Simonia & fornicatione (Fortè vxoratos fornicatores vocat, more Romano) conuictos, Epiſcopatu & dignitate priuauit, minabaturq; pœnam Clericis, canonicas leges violaturis. Plat. Io. Stella R. Barns. Anton. parag. 20. in Chronologia perperam eſt ſcriptum, Roma pro Florentia. Quare corrigas errorem.

1057. Henrico tertio fatis functo, filius eius Henricus quartus Regnum obtinuit Romanum, quinq; annorum puer, anno poſtquam in regem vnctus fuerat tertio. Summa tamen rerum, & omnium quibus facto opus erat adminiſtratio, penes Imperatricem remanſit, Quæ tanta arte periclitantis Reipublicæ ſtatum tutata eſt, vt nihil in ea tumultus, nihil ſimultatis tantæ rei nouitas generaret. Schaffn.

Victore Papa mortuo, Fridericus Abbas Caſsinenſis, omnium ſuffragio ad Pontificatum eligitur, vocaturque Stephanus IX. Hic Eccleſiam Mediolanenſem, quæ à temporibus Apoſtolorum libera fuit, ſub obedientiam Romani Pontificis redegit, Henricum quoq; Imperatorem hæreſeos accuſauit, quòd Romanæ ſedis autoritatem imminueret. Audiens verò Simoniaca contagione Eccleſias paſsim eſſe infectas in Italia & Burgundia, miſit Hildebrandũ, vt nomine Pontificis omnem Simoniam tolleret. Simoniam autem vocat Papa, Si Epiſcopi & Clerici à Dominis Laicis honores & Dignitates ſuſcipiant. Hildebrandus legationem diligenter ſuſcipit, iuſſaque exequitur ſtrenuè, Romamq; rediens, inuenit Stephanum, Papam ex graui morbo decumbentem: & cùm deſperaret de vita, omnis ordinis Clericos adeſſe iuſsit, præſentesq; Sacramento adigit, ne patiantur quenquam ſedere in Pontificia ſede, niſi is conſenſu omnium creatus ſit Pontifex. Hildebrandus hinc Florentiam abijt. Clerici dant fidem ei, ſe non electuros Pontificem ante eius reditum in Vrbem. Sed mota à nobilibus Romanis ſeditione, qui Veliternum Epiſcopũ Mincium nomine, ad Pontificatum promoueri poſtulabant, Clerici multitudine victi, eundem abſente Hildebrando creant Pontificem, Benedictumq; X. appellant. Hanc electionem indignè ferens Hildebrandus, Benedicto eiecto, quòd vi ac largitione Pontificatũ inuaſerit: inſtetit apud Clerum, vt Gerhardus Epiſcopus Florentinus, quẽ ſecum adduxerat, eligeretur in Pontificem ſe præſente, quemadmodum data fidẽ promiſère ſibi abituro. Cùm verò Romæ non eſſet tutum alium Pontificem eligere, contulerunt ſe Senas, ibiq; elegerunt Gerhardum, quem & Nicolaum II. vocauerunt. Qui ſimul ac Pontificatum ſuſcepiſſet, Synodum Sutrij indixit contra Benedictum, eoque vocauit Gotfridum Ducem Italiæ Mathildis maritum & Guibertum Italiæ adminiſtratorem, & Epiſcopos Longobardiæ, Hetruriæ & Romandiolæ. Qua congregata Anno CHRISTI 1059. Gerhardus Papa electus, Benedictum Papam confirmatum Synodi autoritate coëgit abdicare Pontificatum, habitumq; Pontificium ponere, & Velitras abire exulatum. Romam hinc veniens, apud Lateranum aliud Cõcilium indixit, in quo hanc legem tulit, Vt nõ Apoſtolicus ſec

Apo

Apoſtaticus cenſeretur, qui ſedem Petri obtineret, vel pecunia vel fauore, ſine vnanimi conſenſu, & canonica electione Cardinalium: Deditque poteſtatem Cardinalibus Clericis & Laicis talem Pontificem anathemate ferire, & in quouis loco, ſi nō liceret Romæ, contra eum Concilium conuocare, & quouis humano auxilio eum Pontificia ſede propellere. Plat. R. Barns. In hoc Concilio Lateranenſi, reuocauit Berengarius Andegauienſis Diaconus ſuum errorem, de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, in quo diu pertinax perſtiterat, dicens: In Euchariſtia neque verum corpus, neque verum ſanguinem Chriſti eſſe, ſed eſſe ſignum & figuram corporis tantùm &c. Plat. Nauc. Anton. Extat eius abiuratio Diſt. 2. de Conſecr. & apud Anton. Tit. 16. parag. 20. Ego Berengarius &c. *Anni Chriſti.*

Hiſce temporibus Gotfridus Apuliæ & Calabriæ Comes moritur, & filium Bagellardum hæredem inſtituit. Hunc Robertus frater Gotfredi ditione expulit, ac inter cætera Beneuentum quoq; & Troiam Romani Pontificis vrbes occupat, ſuæque ditioni iungit: Pontifex anathematis Robertum fulmine ferit, Qui malè ſibi conſcius, ob eiectum nepotem, vt Regnum ſibi ſtabiliret, in gratiam cum Pontifice redire ſatagit: Legatosque Romam mittit, pontifici ſe ſuaq; offerens omnia, veniret modó in Apuliam, conſtitueret pacem, & res pro ſuo arbitrio redderet pacatas. Nicolaus conſtitutis Reipub. cuſtodibus in Apuliam pergit. Robertum abſoluit, & Ducem Apuliæ Calabriæque decernit, ſed hac lege, Vt Beneuentum & Troiam in Apulia pontifici reddat: & auxilia mittat, quoties Pontifici ſit opus: omnibus copijs ſuis Pontifici ſuppetias ferat in neceſsitate. Robertus Syngrapha, cum iuramento dato Pontifici, omnia hæc ſtipulatur, & ſe eius ſubditum profitetur. Papa hinc Roberti copijs inſtructus Romam rediens, omnes ſibi aduerſantes, vi & armis ad obedientiam Pontifici præſtandam compellit. Robertus à Pontifice vexillo donatus, Ducatum Apuliæ & Calabriæ ſibi propter initum cum Pontifice fœdus vendicat Sic fur furem, latro latronem iuuat, vt mos eſt pontificum perantiquus.

Nicolao mortuo, Anshelmus Lucenſis Epiſcopus abſens Romæ electus eſt in pontificem, Imperatore neque ſalutato neque conſulto, & vocatus eſt Alexan- 1065.
der II. Huic Longobardi, ex conſenſu Imperatoris alium, quàm ipſi elegerant, oppoſuerunt Pontificem Candalum nomine Epiſcopum Parmenſem, Qui magno cum exercitu Romam obſedit, commiſſoque prælio cum ſuis eſt fugatus. Repa- 1063.
rato tandem exercitu multo maiori, denuó Romam oppugnat, Vrbemque Leoniam cum templo S. Petri occupat, introductus tandem in Molem Adriani, per 1064.
quoſdam proditores, multis diebus à Romanis eſt obſeſſus. Ac cúm aliquandiu obſidionem tolerasſet, nec vllam ſpem victoriæ cerneret, CCC argenti libris ſe redemit ab arcis obſeſſoribus, ſtrigoſoque impoſitus equo clàm aufugit. Henricus Imperator, vt Schiſma tolleret, Ottonem Colonienſem Archipræſulem Romam mittit, data autoritate pro arbitrio componendi diſsidium. Qui Romam veniens, multis egit, de Imperatoris iure in eligendo Pontifice: & Alexandrum, qui ſine conſenſu Imperatoris eſſet electus, grauiter incuſat. Tunc Hellebrandus, homo ad perniciem Imperatorum natus, ingrato orationis argumento commotus, orationem Archiepiſcopi, è medio Cardinalium corona, interrumpit, & acriter tuetur Pontificis partes, Cleroque ius Pontificem eligendi multis aſſerit. Otto plus fortaſsis in ea re Pontifici deferens, quàm Imperatori, facile cedit: Petitque vt Synodus congregaretur, cuius autoritate Schiſma tolleretur è medio, polliceturq; Imperatorem in Concilio præſto futurum. Dies concilij Mantuæ indicitur, diſcordia

 tolli-

Anni Christi.

tollitur, Pontificatus Alexandro decernitur. Imperator tantùm impetrat, vt Candalo venia daretur ſuæ temeritatis, vtq; Giberto autore Schiſmatis (ipſius enim ſuaſu Candalus electus erat) traderetur Archiepiſcopatus Rauennatis. Porrò in concilio Mantuano hæc ſunt decreta: Miſſam non eſſe audiendam à Sacerdote concubinario (Quod nunc obſoletum eſt, alioqui nemo deberet audire Miſſam ſub toto ferè Papatu) Filios Sacerdotum licere initiari ſacris, interpoſita autoritate Pontificia. Diſt. 32. cap. Præter. Et 18. cap. Si quis à modò. Diſt. 56. cap. Apoſtolica autoritate &c. Scienter ordinatum à Simoniaco, remouendum eſſe à ſuo ordine 1. q. 1. c. De cætero. Monachos Cœnobio deſtinatos, non eſſe admittendos ad officia Clericorum. Clericos non debere accipere Eccleſiaſtica beneficia à Laico 16. q. 7. cap. Per Laicos. Omnes Eccleſiaſticos ordines, & Eccleſiaſtica beneficia gratis eſſe danda, doctis & bonis, non vendenda vel precio, vel vllius honeſti contractus ſpecie 1. q. 3. cap. Ex multis &c. Excommunicatum non poſſe alium excommunicare 14. q. 1. cap. Audiuimus. Interea dum Concilium fit Mantuæ, Richardus Normannus cum filio ſuo Guilielmo Capuam ſubegit, Beneuentum inuaſit, Cæperanumque obſedit. Pontifex Hildebrandum Cardinalem, ad peſsima quæq; facinora natum, cum auxiliaribus copijs Mathildis Comitiſſæ Hetruriæ contra Normannos mittit. Qui Richardum cum filio obſidione pepulit, & quæ cœperant Romanæ ſedis loca, reſtituere coëgit. Alexander ſoluto conuentu Mantuæ, Romam rediturus apud Lucanos (vt Platina habet, alij Piſis dicunt) aliquandiu ſubſtitit, donec Hildebrandus rebus ex ſententia in Apulia geſtis, eò veniret. Vndè digreſsi, ſvnà rediêre Romam. Sabell. Pius II. R. Barns.

Eo tempore, cùm VVilhelmus Thuringiæ Marchio vita exceſsiſſet, Marchiam Otto frater eius obtinuit. Sed is beneficia Moguntini Epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret decimas de ſuis in Thuringia poſſeſsionibus daturum, & cæteros Thuringos, vt idem facerent, coacturum. Quæ res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum eius, & aſſerentibus mori ſe malle, quàm Patrum ſuorum legitima amittere. Hæc fuit Vicariorum Chriſti religio, vt quó Ventri luxuique ſuo ſatisfacerent, non ſint veriti totas nationes bellis immiſcere.

1070. Epiſcopus Moguntinus, Colonienſis & Bambergenſis, à Domino Apoſtolico (vt Schaffnaburgenſis ait) euocati Romam venerunt. Ibi Epiſcopus Bambergenſis accuſatus, quòd per Simoniacam hæreſim, data pecunia, Epiſcopatum inuaſiſſet, multa & precioſa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam aduerſum ſe mentem eius ad tantam manſuetudinem reduxit, vt qui non ſine periculo honoris & gradus ſui euaſurus putabatur, non ſolum impunitatem criminis, quod obiectum fuerat, conſequeretur, ſed etiam Pallium & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia ab ſede Apoſtolica pro Benedictione perciperet. Schaffn. Tantus tum iuſti rectique Zelus fuit apud Pontificem, Vt & ipſe acceptis muneribus Simoniacum per Simoniam abſolueret. Sancti profectò Patres & Vicariatu Chriſti digni.

Synodus Erphurdiæ Moguntini Epiſcopi inſtinctu ab Henrico conuocata eſt,
1073. in qua non, vt in alijs, de fide Catholica, vel de alijs Eccleſiæ negocijs eſt agitatum, Sed de decimis Thuringiæ Moguntino reddendis, ſicuti Otto Marchio Thuringiorum ante decem annos promiſerat. Fuit is conuentus maximus, multis Germaniæ Epiſcopis præſentibus. Thuringi aliquandiu libertatem ſuam ſtrenuè tuebantur: Sed vi metuq; Imperatoris coacti, Moguntino decimas, vt petierat, dare ſunt

pollici-

polliciti. Totum hoc negocium multis deſcribit Landbertus Schaffnaburgenſis, eiuſdem temporis Monachus Hersfeldenſis. *Anni Chriſti.*

COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII IN CHRONOLOGIAM SVAM LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM.

RAPSODIAS QVIBVS PONTIFICVM IMPERATORumq; Romanorum vitæ, & res geſtæ breuiter indicantur, & alia quædam, quæ à tempore Pontificatus Hildebrandi, qui Gregorius VII. dictus fuit, vſq; ad noſtram ætatem, ſcitu digniora acciderunt, quæq; in Chronologia non ſunt indicata, Decimus & vltimus liber continet.

IN præcedenti libro, inter cætera præcipuè indicauimus, qua arte, quibuſq; rationibus Romanorum Pontifices potentiam ſuam ſtabilire, augere, ac dilatare ſtuduerint, quomodoq; non ſolùm ipſius Vrbis Romæ dominium ad ſe pertraxère, verùm aliorum quoque regnorum, quæ ad fidem Chriſti nouiter accedebant, non tam ſubſidium, quàm in eorum Eccleſias & Principes dominationem, ſub pietatis & beneuolentiæ prætextu acquiſiuerunt. Vt circa hæc, de quibus nunc agimus, tempora, Romanus Pontifex, non ſolùm ab Italis loco Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopi cenſeretur, verùm etiam ab ipſis Britannis, Polonis, Vngaris, atq; Germanis plæriſq; pro Deo terreno, atq; vicario ſummi Dei adoraretur. Nunc verò ſtatim ſequetur, quomodo id quod reliquum fuit Imperij Romani, omninò ſibi ſubiecerit, ita vt ipſorum quoque Imperatorum colla pedibus calcaret, atq; ſic ſuper omnia ſeſe extolleret. Quòd præcipuè Hildebrandus ille, de quo ſupra multa ſunt dicta, cum Henrico eius nominis quarto incepit, De cuius vita & Pontificatu nobis ideo huius libri exordium eſto.

Hildebrandus natione fuit Hetruſcus, patria Soanenſis, Cluniacenſis monachus, Is relicto cœnobio profectus Romam, Laurentio Archipresbytero ſeſe inſinuauit, 1074.
à quo & Magiam didicit, quam Laurentius adhuc iuuenis à Gilberto Pontifice hauſit, cuius in eam arte condiſcipulus fuit Theophilactus, poſtea Benedictus IX. Fuit ergo peculiaris neceſsitudo inter Theophilactum, Laurentium, Hildebrandum & Gratianum Archipresbyterum de porta Latina. Apud Pontificem Benedictum IX. ſua aſtutia egit omnia Hildebrandus. Imò nihil eſt actum, vſque ad ſuum Pontificatum, quod ab illius votis fuerat alienum. Scribunt per eum ſex aut plures Pontifices, veneno enecatos eſſe, vt ſic ſterneretur Hildebrando ad Pontificatū via. Ille tamen in iſtis turbis callidè omnia ſic egit, vt ſuſpicionem optatæ ſedis declinaret. Et cùm nomine nō eſſet Pontifex, reipſa tamen fuit Pontificis ordinati vnicum organum, ac paulatim ſub alijs Pontificibus machinabatur, quod ſub ſuo Pontificatu reddidit effectum. Inſignis hypocrita, prætextu Canonum ac pietatis, iniuſtiſſima & impijſsima quæq; effecit. Alexandrum II. præſidia Imperatoris quærentem contra ſuos æmulos, accuſauit, dicens: Non eſſe æquum, vt is iuxta Canones Pontificia dignitate gaudeat, qui contra Canones auxilia peteret à prophano Principe: & exautoratum in vincula coniecit, ſummam rerum ſibi vendicans: Pontificiam

 tamen

Anni Chriſti.

tamen ſedem non inuaſurus ante obitum Alexandri. Alexandro autem mortuo, ſtatim in ipſis exequijs Alexandri, Hildebrandus collocatur in Pontificiam ſedem, omnium Cardinalium ſuffragio, qui tum ſibi ſolis electionis ius arrogauerant.

Hildebrandus, nunc Gregorius VII. dictus, inito Pontificatu, ſtatim cœpit vrgere Canones anteceſſorum Pontificum de Simonia, quos fecerant eius conſilio vſi, non ob id ſolùm, vt beneficiorum Eccleſiaſticorum impiam nundinationē tolleret, ſed etiam vt aliqua ratione honeſti, principibus eriperet poteſtatem conferendi Eccleſiaſtica officia. Et vt ſic redigerentur ſub ſeruitutem Romanæ ſedis omnes Epiſcopi, qui propter inueſtituræ ius, Principibus erant magis obnoxij, quàm Romano Pontifici. Ac cùm omnium Principum ſummus eſſet Imperator Henricus, ab ipſo ſibi faciendum eſſe exordium Simoniacæ Tragœdiæ cenſuit. Is tum temporis magnis & periculoſis bellis erat implicitus: Quod ſi quicquam pietatis in Pontifice reliqui fuiſſet, profectò eum ab inſtituto reuocaſſe debebat. Sed nil nec iuſticiæ nec æquitati datum: vt ex hiſtoria melius perſpici poteſt, quam ob id compendio ſubijciemus. Inimicitiæ inter Henricum & Saxones erant. Saxones crebris conuenticulis habitis, conſilium inierunt, quo pacto Henrico puero Imperium eriperent, ſic vlturi iniurias, à patre Henrico III. factas. Ad hoc malum non parùm adiumenti contulit Otto VVilielmi Thuringiæ Marchionis frater, qui à puero apud Bohemos exulauerat. Is audita fratris morte redit, repetitum ſuam hæreditatem. Ab omnibus Saxonum Principibus excipitur amicè, crebriſq; monitionibus ſtudent impellere, vt arma acciperet contra Henricum, & ambiret Imperij Principatum. Otto votis principum ſubſcribit, in regis Henrici necem conſpirat, fidem ab eis accipit: pollicentur ei omnes ſuam operam atque opem. Rex Henricus periclitanti Reipub. apud Saxones ſubuenturus, Mersburgi principum Comitia indicit. Ad ea cùm proficiſcerentur patrueles Regis, Bruno atq; Eberhardus, inciderunt in Ottonis armatam multitudinē militum, datoq; ſigno hoſtilibus animis eſt concurſum. Bruno atq; Otto in eo conflictu cadunt. Eberhardus vulneratus grauiter, impatienter ferens fratris mortem, fertur maximo impetu in hoſtem, & in fugam vertit. Hæc pugna & clades maxima bella, crudeleſq; ſtrages peperit, fouitq; ſimultates & inimicitias maximas. Hæc mala poſtea auxit Ottonis Bauariæ Ducis eiectio, qui cùm apud omnes principes autoritate præcelleret, cenſereturq; defuncto rege ad Imperium digniſsimus, ob quam rem & regi ſuſpectus erat, quam ſuſpicionem Egino quidam nobilis, ſed non magnarum facultatum, falſa delatione auxit, ita vt læſæ Maieſtatis reus Otto damnaretur, Ducatuq; Bauariæ deijceretur. Otto iniuriam hanc vlturus, incurſionibus, deprædationibus, ferro & igne quæ regis ſunt depopulatur. Hinc vtrinque clades, incendia, omnigenaq; malorum genera ſuborta ſunt. Otto dat operam, vt paret ſuæ factionis plurimos ſocios: Saxones ad fœdera ſecum ineunda pertrahit, alioſq; Germaniæ principes & Epiſcopos ad defectionem hortatur: quidam diſsimulato vtriuſque partis iure, præbent ſe ſpectactores. Quidam apertè parabant rebellionem cum Ottone, In his fuerunt Archiepiſcopus Saltzburgenſis Eberhardus (Gebehardum Abbas vocat) Adelbertus VVormacienſis, Adelbero Herbilonenſis, Epiſcopi, & alij complures præſules. Et vt Henricum vndiq; adorirentur, Epiſcoporum conſilio & opera vſi, inſinuant ſe Alexandro pontifici, & accuſant eum apud Pontificem grauiſsimè. Henricus factæ conſpirationis & accuſationis apud Pontificem neſcius, miſit fortè fortuna Romam Hannonem Colonienſem Archiepiſcopum & Hermannum Bamberg. Epiſcopum, ad

colli-

colligendum pecuniam, quæ Imperatori debebatur. Legatis redituris in Germaniam, Pontifex literas dedit ad Imperatorem deferendas, in quibus poſtulauit, vt Henricus de iis, propter quæ Romæ delatus fuit, aut purgaret ſe, aut ſatisfaceret. Interea temporis quo hæc geruntur, Henrici regis ſubditi Saxonum incurſionibus infeſtantur, Alexanderq; Papa moritur. Hildebrandus ille ipſi ſufficitur, ſine Imperatoris conſenſu, quod tunc facere nefas fuit. Hic videns ſe oportunitatem nactum extorquendi ea ab Imperatore quæ cuperet, per conſpirationem Saxonum, quod Alexander inchoauerat effecturus, regem cùm literis, tum legatis vocat ad Synodū. Rex bellis occupatus, Synodalibus contentionibus vacare non potuit. Magno namq; contracto exercitu ex Sueuia, Bauaria, & Bohemia, in Saxones mouerat. Rodulphus Sueuiæ Dux magnæ autoritatis & prudentiæ vir, de conſtituenda pace ſollicitus, perſuaſit Principibus Saxoniæ, vt Regi cederent: atq; ſic intercesſione eius ad tempus pax facta eſt.

Dum hæc geruntur in Germania, Hildebrandus Hermannum Bambergenſem Epiſcopum, Imperatori fidiſsimum, cùm de Simonia, tùm de mutatione religionis accuſatum Romæ, excommunicauit, iuſsitq;, ne in eius ditione ei quiſquam obediret: ſimulque ab Epiſcopatu eum remouit. Occaſio autem debacchandi in Hermannum Imperatoris amicum, Pontifici hinc data fuit. Hermannum ſuis impenſis Bambergæ extra vrbem Eccleſiam in honorem diui Iacobi extruxerat, eiq; præfecit XXV. Clericos, quibus victu & amictu affatim de ſuo proſpexit. Poſtea Hermannus magis delectatus monaſticæ vitæ regula, tradidit illud templum Abbati. Ea re moti Clerici Romam abeunt, & eum apud Pontificem accuſant. Rex non obſcurè animaduertens, quid Romani Pontifices molirentur, non tuebatur Hermannum Epiſcopum, ſed Robertum in eius locum ſubrogauit. Quod factum multò maiores contentiones Imperatorem inter & Pontificem excitauit. Pontifex in eo fuit propoſito, vt Imperatorem ſuo iure ſpoliaret, de eligendo Pontifice, & inſtituendis Epiſcopis. Imperator ne id faceret, Papa obſiſtit, Gregorius Concilium Romæ apud Lateranum convocat, rationemq; reddit coram multis Epiſcopis, cur Epiſcopos de Simonia accuſatos excommunicauerit, dignitateq; Epiſcopali priuauerit: dixitq; in ea congregatione, ſe Imperatorem etiam excommunicaturum, Regnoq; priuaturum, niſi Simoniæ hæreſi renunciaret, & ageret pœnitentiam. Simoniam autem in primis vocat (vt ſuperiori libro quoq; eſt dictum) Laicum Eccleſiaſtica beneficia conferre. Soluto Concilio, Gilbertus Rauennatis Archiepiſcopus temeritatem Pontificis peroſus, Cincium Romanum ciuem Stephani Præfecti filiū (quem Gregorius propter contentionē, quam inter ſe habebant de poſſeſsionibus, excōmunicauerat) in Pontificem concitat, ſpe bona data de Imperatoris futura erga eum gratia. Cincius ſtruit Pontifici inſidias, & erumpens in templum Beatæ Mariæ ad præſepe, cum ſuis ſatellitibus, & coniuratis, Pontificē ſacrificantē in media nocte natalis Chriſti arripit, & in munitiſsimā turrim abiicit. Populus Romanus ſequenti die Cincii facinore cognito ſumit in Cinciū arma, Pontificem è turri retrahit. Turrim Cinciiq; ædes à fundamento ſubuertunt, eiuſq; familiam naribus mutilatā vrbe eiiciunt. Cincius fuga ſalutem quærens, aufugit ad Imperatorem in Germaniam. Gibertus autem inſidiarum ſuaſor, ſimulata erga Pontificem beneuolentia, Roma diſcedit, Hugonem Candidū Cardinalem, Theobaldum Mediolanenſem Archiepiſcopum, & plæroſq; Ciſalpinæ regionis Epiſcopos perſuaſit, à Pontifice deficere, & Imperatoris partibus fauere. Gregorius audita hac confœderatione, Concilium denuò

Anni Chriſti.

Anni Christi.

denuó apud Lateranum conuocat. Gibertum cum Hugone Anathemate notat & dignitate priuat. Henricus nequaquam laturus à modo Pontificis nouam ac inſolitam audaciam, Concilium VVormaciæ indixit, in quo præter Saxones, omnes Epiſcopi Teutonici Pontificem Hildebrandum è Pontificatu dimouendum decernunt, iubentq́; , ne vlla in re Gregorio Germani obedientiam præſtent. Rolandum Clericum quondam cum Epiſtola, quæ Concilij ſententiam complectebatur, Romam mittunt, qui nomine Synodi Gregorio Pontificijs officijs interdiceret publicè, præciperetq́; Cardinalibus, vt relicto Gregorio, alium Pontificem petitum ad Imperatorem proficiſcerentur. Epilogus Epiſtolæ illius talis fuiſſe traditur, ab Abbate Vrſpergenſi. Quia introitus tuus tantis periurijs eſt initiatus, & Eccleſiæ Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatum tuarum periclitaretur & vitam per conuerſationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero vllam ſeruaturos eſſe renunciamus. Et quia nemo noſtrum, vt tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus, tu nulli noſtrum á modò eris Apoſtolicus.

Gregorius Teutonici Concilij ſententia exaſperatus, in Synodo Lateranenſi, quam tertiùm conuocauit, excommunicat, dignitatibus & Eccleſiaſticis beneficijs priuat Sigifridum Moguntinenſem Archiepiſcopum, cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus & Clericis aſſentientibus Henrico Imperatori, Henricum quoq; anathemate notauit, regia dignitate priuauit, regno ſpoliauit ſubditoſq́; à dato iuramento longa execratione in Henricum abſoluit. Extat apud Platinam Imperator Pontificia cenſura petitus, miſsis literis purgat ſe apud omnes nationes, oſtendens ſe immeritó contra omne ius atq; fas à Pontifice eſſe damnatum. Principes Alemani, ius Clauium ignorantes, atq; ob id Pontificis fulmina timentes, & quód eſſet reperta occaſio reſuſcitandi bellum ſopitum, Comitia indicunt, concluduntq́; ſe alium Imperatorem electuros, niſi Henricus à Pontifice in Germaniam venturo ſupplex veniam peteret. Henricus cernens Primarios principes parare defectionem, pollicetur iureiurando dato, ſe veniam petiturum à Pontifice, modò in Alemanniam veniret. Mittitur ea de cauſa ad Pontificem Treuerenſis Epiſcopus, qui Papam ad Germaniam precibus euocaret. Pontifex exoratus annuit. Ingreditur iter in Germaniam, ad auguſtam prætoriam profecturus. Vercellas cúm veniſſet, eius loci Epiſcopus Regni Italici Cancellarius, cupidus turbandæ pacis, de reſiduo in Henricũ odio, commentus eſt hanc technam: Se reſciuiſſe Imperatorem hoſtili animo, & valido cum exercitu aduentare, Pontifici perſuaſit, vt ſibi in tutiore loco caueret ab Imperatore. Pontifex mutato inſtituto, recipit ſe in Canoſſum (aliàs Canuſium) ciuitatem ditioni Mathildis Comitiſſæ ſubiectam, vbi non eſſet opus Imperatoris violentiam timere. Henricus audito vano Pontificis timore, & quód regreſſus eſſet Canoſſũ, præproperè ex Spira paruo comitatu, cum vxore & filio paruulo, in aſperrima hyeme Canoſſum venit. Optimates enim omnes, propter excommunicationem Pontificiam, ab Imperatore ſe ſubducebant, neque quiſquam illorum profectus eſt cum eo. Eam ob rem Cæſar non parùm turbatus, poſitis regalibus ornamentis, & nudis pedibus, ante portas Canoſsi, à manè vſq; ad veſperum ieiunus, veniam petit ſuplex, cupitque ſe ad Pontificem intromitti: ſed ingreſſus denegatur. Petenti inſtantius per totum triduum, reſpondetur Pontifici non eſſe adhuc ocium colloquenti cum eo. Henricus æquo animo ferens ſe non intromitti in vrbem, manſit in ſuburbio, non ſine magna incommoditate. Hyems namq́; fuit

aſperri-

ſperrima, & cuncta rigeſcebant gelu. Indeſinenter tamen nequicquam totô tri duo petens ſibi veniam dari, tandem intercedentibus rogantibuſq; Mathilde Comitiſſa, Adellaô Comite Sabaudiæ, & Cluniacenſe Abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die in ſignum, quòd veraciter pœniteret, Pontificiæ poteſtati tradidit Coronam, cum omnibus Imperij inſignijs, fateturq; ſe indignum fore Imperij titulo, ſi eadem poſthac in Pontificem deſignaret, quæ antea commiſerat. Poſtulanti veniam, Pontifex neq; veniam dare, neq; ab excommunicatione abſoluere voluit, niſi prius ſponderet, ſe iuxta Pontificis decreta velle culpam admiſſam expiare, in Concilio, & quouis loco & die à Pontifice indicto præſtò eſſe, & ipſo Pontifice cauſæ cognitore ad accuſationes reſpondere, nec ad vindictam intendere animum. Item ad Pontificis ſententiam (etiam purgato ſe ab obiectis) regnum vel retineat, vel amittat. Item, nolle ſe ante cognitionem cauſæ vti regio habitu, aut regia inſignia ſumere, aut gubernandi poteſtatem vſurpare, neq; à ſubditis data fidei iuramenta exigere. Rex quò ſe verteret neſcius, hanc obedientiam Pontifici promiſit, pacemq; iureiurando & ſcripto confirmauit. Ac tum demum ab Anathemate abſoluitur. Formulam iuramenti apud Platinam inuenies. Rebus itaq; omnibus ex ſententia Pontificis peractis, Rex Papiam proficiſcitur. Pontifex cum Cardinalibus non parùm ſuperbiens, quòd Henricum ſub iugum miſiſſent, nec tamen contenti hac iniuria, maiora in ipſum præſumere audent. Nouum namq inter ſe conſilium capiunt, quomodo exautorato Henrico ſeq; atq; res ſuas tutiores reddant. Statuunt igitur, vt Rodulpho Sueuiæ Duci Imperium adiudicent, vtq; Principes & ſubditos iam antè à data fide abſolutos, contra Henricum arment, & Germanum Imp. Germanicis armis è regno propulſent. Ad iſtam defectionem ſuadendam miſit Papa Legatos Sigehardum Aquilenſem Patriarcham, & Altmannum Pataulenſem Epiſcopum, qui per Germaniam omnibus perſuaderent, Henricum iure excommunicatum eſſe, & efficerent, vt conſenſum & ſuffragium ſuum de electo Rodulpho Pontifici Romano pollicerentur. His itaque transactis, miſit Papa Rodulpho Sueuiæ Duci Coronam, cum hac inſcriptione, qua animum ſuum erga Rodulphum vt eſſet, aperiebat: Petra Dedit Petro, Petrvs Diadema Rodvlpho. Mandauit præterea Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopis, vt Rodulphum Imperatorem eligerent, Regem iniungerent, atque pro viribus tuerentur.

Dum hæ inſidiæ á Papa Henrico ignoranti parantur, Rodulphuſq; (abſente Henrico) in Regem eligitur, Legatis Romanæ ſedis apud Henricum præſentibus, Argentinenſis Epiſcopus ad Imperatorem properat, redditq; eum de omnibus certiorem quæ agerentur. Henricus Saxonum molimina haud ignorans, ocyus contractis copijs ad tuendum Imperium ſe accingit, fretuſq; inito fœdere cum Pontifice, Legatos Romam miſit, petens, vt Pontifex Rodulphum excommunicationis fulmine ab Imperij occupatione deterreret. Pontifex Rodulphum à ſe ad perfidiam exercitatum, anathemate petere noluit, hoc iuris prætextu excuſans, Neminem indicta cauſa damnandum eſſe. Quod tamen in Henrici damnatione non erat obſeruatum. Henricus videns ſibi nihil ab omni parte tutum, inijt bellum contra Rodulphum. Pugnatū eſt vtrinq; incerta, ſed non incruenta victoria. Vterq; ius ſibi Imperij arrogat. A bello tamen propter acceptas clades feriaduri, Legatos vtriq; ad Papam mittunt, rogatū vt decerneret, vtri iure cederet imperij titulus. Pontifex iubet, vt dimiſsis vtrinq; exercitibus, Concilij, quod eā ob rem congregare vellet, ſententiā expe-

Anni Chriſti.

expectarent. Sed priuſquàm redirent nuncij regis, recollectis viribus iterùm æquò marte pugnant. Papa cernens hæc bella & alijs regionibus calamitatem allatura, Legatos cùm poteſtate plenaria mittit, qui vocata Synodo in Germania, decernerent, vtri Imperium deberetur ex æquo & bono. Henricus verò noluit permittere, vt Pontificis legati conuentum in Germania haberent, niſi prius Rodulphum Regno ſpoliarent. Quod cùm Pontificis iuſsis eſſet contrarium (qui Rodulphum Regem eſſe peruolebat) Legati Romam ſunt egreſsi. Hinc Pontifex cùm Legatos ſuos infecta re, ad ſe reuerſos cerneret, Excommunicationem denuò in Henricum renouat, Regnoq; iterùm priuat, & literas furoris plenas in Henricum emittit, vel ea ratione Rodulphi partes adiuturus. Integræ literæ apud Platinam habentur, quas cum plærisq; alijs ob prolixitatem omitto. Tertiò tandem ineunt prælium Henricus & Rodulphus, ac magna cæde commiſſa, Henricus victoria potitur. Rodulphus grauiter vulneratus, manuq; dextra mutilatus, Merſeburgum portatus eſt: Eoq; ad ſe iuſsit accerſere Epiſcopos, & Primores ſuæ conſpirationis, Quibus præſentibus, allata ad ſe dextera, ſic ait: Hæc eſt manus qua Sacramentum præſtiti Domino meo Henrico. Vobis autem vrgentibus toties tam infeliciter pugnaui, Videte an recta via me duxeritis. Ite & implete Regi veſtro primam fidem, Nam ego ad Patres ibo. His dictis, non longè poſt moritur.

Huius Concilij Epiſtola decretalis de ſceleribus Hildebrandi apud Abbatem Vrſperg. extat, quæ mirè depingit eius Pontificis virtutes.

Henricus ſuperato Rodulpho, ſilentibus nunc nonnihil armis in Germania, iniuriarum à Papa ſibi illatarum non immemor, & non parùm irritatus, quòd ſe bis excommunicatum, regno priuauerat, ſupplicíq; ſibi reconciliationem toto triduo in aſperrima hyeme negauerat, Rodulphumq; contra ſe excitatum adiuuerat, Brixiæ Synodum Epiſcoporum de Italia, Longobardia & Germania conuocat, ſeq; de obiectis à Pontifice purgat, & Gregorium Pontificem de his criminibus in ſimulat: Quod ſedis Apoſtolicæ ſit inuaſor, ſacrilegus monachus, ſomniorum ac præſtigiarum obſeruator, qui malis artibus Religionem Chriſti contaminet, reddatq; apud exteros infamem ſua improbitatate. Synodus iſtis flagitijs mota, Gregorium ſede Pontificia deijcit, & niſi ſponte loco ceſſerit, minatur illi perpetuam anathematis maledictionem. Gibertum (VVigbertum Abbas vocat) Rauennatem Archipræſulem Pontificem Romanum creant, Clementemq; III. vocant. Cùm verò Gregorius nec Pontificatum abdicare, nec Clementi cedere vellet, Henricus copias ſuas in Italiam mittit, ad expellendum Gregorium, quibus Mathildis Comitiſſa, nimium amans Pontificum, (vt R. Barns inquit, cuius hæc ſunt ferè omnia) collecto exercitu ipſis Hetruriæ finibus occurrit, prohibitura ne Gregorius pelleretur. Sed Henrici exercitus facile victor pergit Romam, vt eiecto Gregorio Clementem ſubſtitueret. Leonina vrbe tota quadrageſima oppugnata, à Paſchate potitur. Clemens introducitur in Templum S. Petri, cum Pontificali habitu. Cùm verò Romani Henricum prohiberent ab ingreſſu vrbis, recedens Tybur, inde quotidie Romanos afflixit excurſionibus, atq; ad eam redegit inopiam, vt breui cogerentur pacem petere, & Henrico aperire vrbis portas. Pontifex ſe in Adriani molem ſtatim recipit, cum ſuis præſidijs. In ea dum obſideretur, vocauit clàm Robertum Normannum (Apuliæ & Calabriæ ducem) vt cùm exercitu veniens ſe ab obſidione liberaret. Interea dum Normannus exercitum colligit, Cluniacenſis Abbas egit cum Gregorio, vt Henricum in Laterano coronaret: pollicebaturq; ſe effecturum, vt Henricus Corona Imperij redimitus, ſtatim cum ſuis copijs in Germaniam rediret. Romano populo perurgente, Gregorius ſe facturum hæc ea lege promittit, ſi Hen-

ricus

ricus prius veniã ſupplex peteret (Oportet ſuperbiſsimi ingenij fuiſſe Papam) errata corrigeret, & promitteret obedientiam. Henricus indignũ ratus iniquas iſtas accipere conditiones, propediem tamen abiturus, Clementem in ſedem papalem collocat, & vt Pontificia Corona ornaretur á Bononienſi, Geruienſi & Mutinenſi Epiſcopis, obtinuit. Coronatione Pontificis facta, Imperator proficiſcitur Senas: Clementeque Pontificem ſecum abducit. Robertus Normannus cognomento Guiſcardus Romam per portam Flamminiam irrumpit: ſuperata, capta & magna ex parte incenſa vrbe, ciuium fortunas in prædam militibus conceſsit: Capitolium, quod Romani munierant, vi captum ſolo ferè æquat, Adriani molem indè petit, in qua Pontifex ab Imperatoris fautoribus Romanis obſidebatur, quã aperta Gregorium è manibus hoſtium liberat, abducitq; ſecum in Salernum, vbi non multò pòſt moritur. Hæc R. Barns ex Nauc. Albert., Cranzio, Bennone Cardinale, Lam. Schaffn. Vincentio, Antonino, & Abbate Vrſperg. ſummo ſtudio collegit, quæ vt potui, abbreuiatis interdum ſententijs, hoc loco inſerui, vt videret Lector, quomodo partus ille Adriani III. de quo ſuo locum dictum eſt, nunc poſtquàm adoleuerit, vires ſuas in Romanos Imperatores exercere cœperit. Vide ſuprà anno Chriſti 885.

Cæterùm ſciendum eſt, quòd hic Papa Gregorius omnium primus fuit, qui ... excommunicationibus Sacerdotibus vxores ademit. Nam ad hæc tempora vſque per totum Rom. Imperium liberè adhuc vtebantur coniugio ſuo Sacerdotes. Sed exindè omninò fuerunt contemptui Clerici vxorati, atque hoc ſolummodò ob Bannum Pontificium, qui tum temporis tantum valuit, cùm ſcripturæ Sacræ negligerentur. Scribit Antoninus Trac. 19. parag. 21. Quòd Laici corpus Domini à Presbyteris coniugatis conſecratum ſæpè pedibus conculcauerunt, & Sanguinem Domini voluntariè effuderunt. Tantum furorem Bannus Gregorianus excitauit. Cùm Erphurdiæ ea de re ageret Moguntinus Antiſtes, nõ multùm abfuit, quin à Presbyteris coniugatis diſcerperetur: Vt ſcribit Schaffnaburgenſis. Porrò & multis doctis eiuſdem temporis viris, hoc Pontificis inſtitutum diſplicuit, vt Vincentius cap. 45. libri 26. (vbi & eadem refert, quæ modò ex Antonino ſunt dicta) manifeſtè docet. Sed in tanto Pontificis furore & mundi ignorantia nihil potuerunt contrà. Sed & hoc prætereundem non eſt, quod Vincentius lib. 26. cap. 82. dicit: Hildebrandum periculo vitæ decumbentem, Cardinalem intimum ſibi ad ſe vocaſſe, ac eſſe confeſſum, ſe grauiter peccaſſe, neque rectè egiſſe curam ſuam paſtoratus, & quòd ſuadente Diabolo, ſimultates, odia, inimicitias, & bella inter multos excitauerit. Iuſsit Cardinalem adire Imperatorem Henricum, atque ab eo facinoris admiſsi veniam petere, eumque liberare ab excommunicationis vinculo, cum omnibus ſuis vel viuis vel mortuis. Hæc de Hildebrandi actis cum Henrico & Imperio: Reſtat nunc quæ cum Polonis egerit indicare.

Matthias Mechouienſis Polonicorum Chronicorum autor, lib. 2. cap. 20. 1080.
De eodem Gregorio Papa hæc refert, ex quibus videre potes, qua occaſione & potentiam ſuam Papalem in Polonos exercuerit, cùm Regni eis Coronam ademerit. Gregorius, inquit, Papa ſeptimus, perlata ad ſe crudeli nece Beati viri Stanislai, dedit in mandatis ad Petrum Archiepiſcopum Gneznenſem, & omnes Epiſcopos Regni Poloniæ vt interdictum generale in tota prouincia obſeruarent, & Eccleſias obſeratas clauderent, Regemque Boleslaum anathematiſauit, & Coronam Regno Poloniæ abſtulit, ne de cætero quiſpiam Principum in Polonia, abſque ſpeciali conſenſu ſedis Apoſtolicæ coronaretur: abſoluitque à Boleslai obedientia

Anni Christi.

omnes Principes Barones, Vaſallos, Feudatarios & ſubiectos: Milites verò qui cum Rege in nece Beati Pontificis auxilio aut conſilio conſpirarunt, cum tota eorum domo & nepotibus, ac beneficia Eccleſiaſtica habita & habenda; ad dignitates quoq; & honores vſque in quartam generationem inhabilitauit. Hæc ille. An hoc ſit ſe extollere ſupra Deum, neſcio ſanè. Deus enim filijs pœnitentibus, atque ad ſe conuerſis non imputat peccata parentum, Ezechiel. 33. Sed hic ſine omni conditione omnes vſque in quartam generationem excluſit &c. Cogita de his altius, ſi lubet.

Synodus Moguntiæ habita eſt, cui interfuit Imperator Henricus: ibi præſentibus
1085. Legatis Romanorum omnes Epiſcopi rebelles Imperatori deponendi iudicantur: cæteri verò anathemate, vt videbatur, condemnantur. Ibi etiam communi conſenſu atque conſilio conſtituta eſt pax Dei. Abb.

1086. Hildebrando defuncto, Deſiderius Abbas montis Caſsinatis, & Romanæ curiæ Cardinalis, in Pontificatum eligitur, ſuffragijs non Cardinalium, non Romani populi, ſed Mathildis Comitiſſæ & Normannorum Apuliæ Dominorum, eorumq́; qui eiuſdem Henrico aduerſæ factionis erant. Hic Pontificatum iniens dictus eſt Victor III. qui Gregorij partes diligenter contra Henricum tueri cœpit: ſed quò minus optata perficeret, mors repentina cauit: diſſenteria enim breui perijſſe conſtat.

1088. Victori III. Vrbanus II. eſt ſuffectus ab ijſdem electoribus quibus Victor electus. Is VVigbertum, qui & Clemens III. excommunicauit, atque ab eodem excommunicatus eſt: Vt Vincentius eſt autor. In Italia non diu manſit ab initio Pontificatus ſui. Nam poſt Hildebrandi mortem Rogerius Normannus Campaniam & quicquid vſq; ad Tyberim fuit, Romanis & Pontifici armis eripuit. Eam ob cauſam cùm ſibi Romæ non eſſet tutum manere, Melphim abijt, ibique Synodo congregata præcepit Rogerio & Boemundo fratribus bellum inter ſe gerentibus, vt ab armis diſcederent. Hinc in Italiam rediens, cùm adhuc tumultuaretur vndique, in Gallias ſeceſsit, ac Placentiæ aliam Synodum conuocauit, in qua Gregorij acta contra Henricum & Clementem III. confirmauit, multasque leges Eccleſiaſticas nouas tulit (quas hîc referre longum eſſet nimis) Regem Galatiæ cum tota diœceſi S. Iacobi excommunicauit, eò quòd Epiſcopum in carcerem indicta cauſa coniecerat. Archiepiſcopo Toletano Romæ iuranti in verba Pontificis, pallium dedit, conceſſitque priuilegia, & inſtituit eum Primatem totius Hiſpaniæ. Atque per hanc viam Hiſpanias quoque ſibi ſubiecit Beſtia Romana.

Fuit eodem tempore Petrus quidam Eremita, Is peregrinationis, vel vt ipſi dicunt, Religionis cauſa Hieroſolymam adijt, ſatis cum periculo. Reuertens inde in Europam magno clamore per omnes ciuitates & Prouincias, qua ſibi eſſet iter, cohortabatur populos ad arma, contra Sarracenorum furorem, & ad liberandam terram Sanctam è manibus ipſorum, ſumenda ſubindè, quàm indignè haberetur ſepulchrum Domini, magna cum indignatione commemorans. Tandem ad Pontificem clamoris peruenit. Pontifex indignitate rei motus, gloriæque, quòd ſua autoritate tantum negocium eſſet perpetratum, cupidus, Concilium in Claremonte celebrauit. Congregatis ibi ex locis omnibus Eccleſiarum Epiſcopis, multisque ſecularis poteſtatis Principibus decreuit primùm (ne quid de Pontificia autoritate, à Gregorio vi & fraude acquiſita, deperiret) Ne à quouis principe beneficiorum inueſtituram Clericus reciperet. Deinde Regem Galliæ Philippum cum ſua pellice excommunicauit. Duxerat enim is Fulconis Andegauienſis Comitis vxorem

viuc

viuo adhuc marito, quem ipſe reliquerat. Ordinauit quoque, vt Horæ Canonicæ
quotidie à Clericis dicerentur. Conſtituta in hunc modum Eccleſia, Pontifex ora-
tionem ad principes ſeculares (vt vocant) habuit, qua eos ad recuperandam ter-
ram Sanctam eſt adhortatus. Principes moti non tàm oratione Pontificis, quàm Pe-
tri eremitæ ſermonibus, ſine mora ad bellum ſeſe parant. Ducum exemplo mo-
uentur & ſubditi tantaq; alacritate eſt concurſum ad arma, vt paruo momento tem-
poris plus quàm CCC. hominum armatorum millia ſint congregata. Sed priuſ-
quàm hic conuenirent, XV M. cum Petro Eremita per Bauariam, Auſtriam, &
Danubium deſcendentes in Pannonias penetrarunt, quibus XII M. per Saxoni-
am atque Bohemiam iter facientes, Volckmaro quodam presbytero duce, ſunt
adiuncti, Hi nihil ſuſpicantes mali, Colomanni fraude Vngarorum Regis circum-
uenti, maxima ex parte ſunt occiſi, reliqui fuga elapſi domum ſunt reuerſi. Cætera
verò multitudo crucis ſigno accepto, feliciter viam ſunt ingreſsi, quorũ Duces fuère
Gotfridus Lotharingiæ dux, cum fratribus Euſtachio & Balduino Bulionijs, Galatiæ
Comitibus, Podienſis Epiſcopus, Raimundus S. Egidij, Robertus Flandriæ, Stepha-
nus Carnoti Comites, Hugo Magnus Philippi Francorum regis frater, Boëmundus
Apuliæ Dux, & Tancredus ipſius ex fratre nepos. Hi cum alijs multis anno Chri-
ſti 1096. Conſtantinopolim peruenerunt, trajicientes indè in Aſiam, Niceam an-
no Domini 1097. vi ceperunt, Eraclea per deditionem accepta. Balduinus & Tan-
credus Tharſum (Patriam B. Pauli gentium Doctoris & Apoſtoli) per deditio- 1096.
nem acceperunt, cuius Dominium Balduino eſt commiſſum. Cilicia hinc ſub-
iugata Paliſuro Armeno conceſſa eſt. Altero de hinc anno, Antiochia obſeſſa &
nono obſidionis menſe capta eſt cum arce, cuius principatus Boëmundo com-
mendatus eſt, dictusque fuit Dux Antiochiæ: Anno 1099. Hieroſolyma capta eſt
XXXIX. obſidionis die, idibus Iulij. Gotfridus Bulionius ab omni exercitu Rex
Hieroſolymitanus eſt conſtitutus. Arnulphus presbyter Patriarcha conſecratus.
Anno 1100. Aſcolon ſe dedit victo & cæſo Solimanno. Ioppen, Ramola, Cay-
phà, quæ & Porphyria dicitur, & Tyberias Galilææ captæ ſunt. Atque in hunc
modum Regnum Hieroſolymitanum à Chriſtianis è Turcorum poteſtate eſt ere-
ptum. Extant huius expeditionis acta apud omnes ferè hiſtoriographos recentio-
res. Sed in primis totius Regni illius res geſtæ, à Guilielmo Tyrio Archiepiſcopo
magna cum diligentia tum fide ſunt conſcriptæ, atque non multis ab hinc retró
annis in publicum datæ, ſub titulo Belli Sacri &c. in quo pius lector omnia, quæ de
hoc regno ſunt tradita, copiſiſsimè ſcripta inueniet. Habetur quoque eiuſdem regni
compendioſa Hiſtoria à Benedicto á Coltis ſcripta, Titulo de Bello contra Barbaros
geſto &c.

Paſchalis II. antea dictus Reynerus Vrbano II. in pontificatu ſucceſsit. Hic 1100.
cùm ſe eligendum præſentiret, fugit, neque in lucem protractus Sellam pontificiam
aſcendere voluit, niſi populus Romanus ter acclamaſſet: Sanctus Petrus Raynerum
virum optimum elegit. Hinc & aliæ Ceremoniæ ſunt excogitatæ, quibus electum
Vappam (Papam debebam dicere) inſignitum, in Vappali dignitate & ornarent &
confirmarent. Indutum enim Coccinea clamide (Apocal. 17. Et mulier erat cir-
cumdata purpura & Coccino &c.) tiaraque capiti eius impoſita, deducitur albo
equo vectus in Lateranum, vbi Pontificium ipſi ſceptrum datur, cingitur & Bal-
theo, de quo Claues ſeptem, & totidem ſigilla dependebant, vt haberet poteſtatis
ſuæ Symbolum, quo admoneretur, Pontifici Romano ius eſſe, secundum ſepti-

Anni Chriſti. fariam Spiritus Sancti gratiam Eccleſias claudendi, aperiendi, obſignandi & reſignandi. Hoc modo Eques Meretrix virilem nacta ætatem, in Beſtiam illam decacornem aſcendit, quam & vſq; ad noſtram ætatem magno faſtu rexit, vt prædictum eſt in Apoc. cap. 13. & 17. Sed nunc gratia Dei iterùm deiecta diſcit humiliari, & melius diſcet, ſi ea quæ Apocal. 18. ſunt vaticinata, ei obuenerint. Anno ſecundo ab electione Paſchalis, conſtituerat Henricus Imperator ire in Italiam partim vt res in Italia turbatas componeret, partim vt ſalutaret nouum Pontificem, cum quo & pacem atque concordiam confirmare ſumma petebat ope. Cognito verò infenſo Pontificis erga ſe animo, mutauit conſilium Paſchalis ne vlla in re Gregorio VII. videretur inferior, omnia experitur quæ ad amplitudinem Romanæ ſedis pertinere videbantur. Epiſcopos ſe neſcio creatos ſedibus deponit. VVigberto Antipapæ, Rogerij Siciliæ Domini copijs adiutus, bellum infert. VVigbertus fuga in tutum ſe recipiens locum, pauló pòſt grandæuus ſubitaneam mortem oppetijt. Hoc defuncto, ſedeque ad votum compoſita, Concilium Romæ congregauit, Epiſcopos Galliæ, & Italiæ ad id conuocans, in quo Epiſcoporum Florentinum inprimis repreſſit, qui dixerat Antichriſtum iam tum eſſe natum, Deinde Anathema Gregorij VII. in Henricum IIII. promulgatum, in ea Synodo renouat & confirmat. Poſt hæc conuentum habuit ad Guardaſtallum multorum Principum & Epiſcoporum, cum quibus egit de rebus fidei ad culinam pertinentibus, vtpote de Homagijs, feudis & Epiſcoporum Sacramentis, laicis ante ea tempora exhibitis, Rauennatem quoque Archipræſulem Placentia, Parma, Regio, Mutina & Bononia ſpoliat, eò quòd Rauennates Antiſtites Romanæ ſedi toties fuiſſent rebelles. Deinde & apud Trecas Galliæ Concilium habuit, in quo reduxit Sacerdotes Galliæ ad meliorem vitæ rationem, renouauitque communem illam cantilenam, Ne laici Eccleſiaſticas dignitates darent. Pacatis paſſim Eccleſiaſticis turbis, auxiliaribus copijs Rogerij confiſus, bona ſub Henrico Pontifici adempta, armis recuperet: multa quoque aduerſarijs ſuis, præter ius faſque, Sanctiſsimus eripit atq; ſuis addit. Interea verò dum hæc pro Eccleſia agit, Rem nefandiſsimam in ipſum Imperatorem perpetrare eſt aggreſſus, in qua manifeſtè, à quo ſpiritu ageretur ſanctiſsimus ille, aperuit. Hiſtoriam R. Barns ita narrat. Henricus V. Imperatoris filius, cùm Pontificia autoritate, tum Diapoldi Marchionis & Berengarij Comitis, Ottonisq; hominis genere nobilis & Saxonum præſidijs fretus, ſuadentibus Epiſcopis Ricardo Moguntino, & Ge-
1051. berhardo Conſtantinenſi, Conuentum indicit, in Northuſen (Thuringiæ ciuitas eſt) Anno Domini 1105. IIII. Calen. Iunij, in quo Conuentu totum ſe Rom. Pontificis autoritati ſubiecit, ita vt conuocatam Synodum non ingrederetur, niſi prius iuſſus & vocatus ab Epiſcopis. Ingreſſus denique ſummos honores exhibuit præſulibus Eccleſiæ. Tractatum eſt de doctrina, Simonioca hæreſis (id eſt, Laicorum collatura in Beneficijs Eccleſiaſticis) & Nicolaitarum fornicaria coniunctio (id eſt, Sacerdotum honeſtum ſecundum Deum coniugium) damnata eſt. Agitur maximè de Imperio adimendo Henrico IIII. Filius Henricus, qui hanc Synodum inſcio & inuito patre coëgerat, ne videretur nimis in patrem impius, fuſis lachrymis coram Synodo, teſtatus eſt Deum, ſe neque teneri libidine regnandi neque optare Patrem Regno exutum, ſed hoc cupere, vt Pater Roma. Pontifici obedientiam præſtet, & reconcilietur Eccleſiæ: Polliceturque ſe ceſſurum Regno, ſi pater ſe ſubiecerit ſancto Petro (non CHRISTO) & eius ſucceſſoribus. Epiſcopi qui fauere viſi erant partibus Henrici ſenioris, ad pedes Moguntini

Archie-

Archiepiſcopi, qui cum Conſtantinenſi Epiſcopo Pontificis perſonam gerebat in *Anni*
eo conuentu, procidentes (venia rogata) dedunt ſe Apoſtolicæ ſedi. Synodo ſolu- *Chriſti.*
ta, Henricus filius exercitum parat aduerſus patrem. Moguntiam, vbi pater agebat,
primùm petit, Epiſcopum eiectum reſtiturus. Pater intra muros non parua ſti-
patus militum manu, impetum filij expectat. Filius petit, vt Pater Pontifici Roma-
no ſe ſubjiciat, reſtituatque concordiam Eccleſiæ. Sed re infecta coactus abire, Nori-
bergam expugnat, atque diruit. Hinc Ratisbonam cum exercitu profectus. Pater
conſilium filij non obſcurè intelligens, ſuo cum exercitu veſtigia filij legit, Ratisbo-
nenſium ciuium ope vertit filium in fugam. Indè digreſſus Senior Henricus ditio-
nem Diapoldi (qui præcipuus huius Tragœdiæ erat autor) manu Bohemica de-
uaſtauit. Interea filius iterùm contractis copijs, infenſo animo ſignisq; aduerſis cum
patre manum conſerere expoſcit: non detrectat pugnam pater. Sexagies antè colla-
tis ſignis Martem expertus, ad triduum leuibus excurſionibus vtrinq; factis geritur
certamen: deſiderantur tamen in vtroque exercitu quàm plurimi. Principes in vtro-
rumq; caſtris præſentes, cùm viderent omnem breui multitudinem prælijs eiuſmo-
di conſumptum iri, de pace conſilium ineunt. Quæ deliberatio Henrico V. haud fu-
it ingrata. Senſerat enim Patrem ſibi fore ſuperiorem. Pater inſtruxit exercitum,
futura luce cum filio de ſumma rerum conflicturus: ſed milites ſui pugnam detre-
ctabant. Dicit Abbas, Henricum Patrem fuiſſe admonitum, vt ſibi à proditione
caueret. Metuens ergo, ne periculum vitæ & rerum omnium ſubiret, cum paucis ſi-
bi fideliſsimis ſe ex caſtris ſubduxit. Patre profugio, Filius cum exercitu Spiram abijt,
ac Theſauros Patris rapuit. Actum eſt deinde vtrorumque conſenſu, tam Patris
quàm filij, de conſtituenda concordia. Dies conuentus apud Bingam ad Rhenum
indicitur. Cùm ad Comitia ventum eſſet, iubetur Henricus IIII. vt ſe de hæreſi
purget. Qui cùm videret, eius conuentus ſummam autoritatem pendere ex Epi-
ſcopis hoſtibus ſuis, petit vt aliud tempus Moguntiæ deputetur comitijs, ad quæ
& Principes Germaniæ conuocarentur. Conſentiunt omnes, datur vtrinque ſaluus
conductus, veniendi & redeundi à conuentu tutò, & ſine omni periculo tum vitæ
tùm corporis. Moguntiæ dies dicitur ad Comitia, Eò cùm iret Henricus ſenior, à fi-
lio in itinere per inſidias contra fidem publicam capitur, captus in caſtro munitiſ-
ſimo incluſus reſeruatur. Filius præſentibus in comitijs Papæ Legatis, res ſuas perfi-
cit. Legati Pontificis execrationem tot Pontificum in Henricum IIII. promulga-
tam renouant, iterumque confirmant. Imperium per manuum impoſitionem, à
Patre ablatum prius, filio conferunt. Statuunt tamen ea lege Henricum Patrem li-
bertati reſtituendum eſſe, ſi coram Legatis Rom. Papæ errorem ſuum confitea-
tur, atque promittat ſe ſatis facturum Romanæ ſedi: adhæc quoque ſi filio regnum
cedat, cum omnibus Imperialibus inſignijs, Cruce, Lancea, Sceptro, Globo atque
Corona. Imperator coactus neceſsitate & carcere, Comitiorum ſententiæ, licet ini-
quiſsimæ, aſſentitur, liberatur carcere, ſe ad communionem Eccleſiæ admiſſus
non eſt: neque ſatisfactionis ipſi formula præſcripta, dicentibus legatis, ſe ſine Pon-
tificis & Concilij autoritate, in tam arduis rebus poteſtatem non habere. Libera-
tus ergo hoc modo Imperator. Regnoque priuatus, Leodium abijt, quæſitis interea
ſubindè oportunitatibus Imperij recuperandi, quæ tamen filij potentia ſemper
ſunt repreſſæ. Moritur Henricus Leodij anno CHRISTI 1106. Vt verò Pontifex 1106.
inſigne crudelitatis exemplum poſteris ederet (vt R. Barns inquit) noluit Leodi-
enſes, Henrici amicos, recipere ad vnionem Eccleſiæ, niſi prius Henrici corpus in

Anni Christi.

Cœnobio ſepultum effoderent, & abſque omni ſepulturæ honore, in prophanum locum exponerent. Indè Spira delatum corpus Henrici, vbi (iubente ſic Pontifice) in lapideo buſto extra Eccleſiam ad quinquennium ſtetit in humatum, & vix ſic tandem expleuerunt in humanos ſuos affectus Pontifices, in Henricum, quem & viuum & mortuum perſequuti ſunt: Secundum Regulam Rom. 13. Omnis anima &c. 1. Petri 2. Regem honorate &c. Si quis de his plura deſiderat, legat R. Barns Vitas Pontificum, & Abbatis Vrſpergenſis Chronicon, vbi harum quæ nunc dictæ ſunt actionum, omnes circumſtantias & tam illuſtres teſtificationes inueniet, vt de his nihil deſiderare poſsit amplius.

1107. Dictum eſt ſuprà, Pelagium in Concilio apud Trecas, decretum illud confirmaſſe, ne liceret Laicis conferre beneficia Eccleſiaſtica, quod anno Chriſti prænotato accidit. Hoc cùm Henricus Iunior audiret, miſit Legatos ſuos ad Pontificem, qui peterent, ne tam inconſideratè eo iure ſe ſpoliaret, quòd olim Carolo datum eſſet, & omnibus ſuis in Imperio ſucceſſoribus. Pontifex deliberandum cenſuit de ea quæſtione nihilque concludendum, donec Henricus veniret Romam. Quartum igitur in annum cauſa pependit. Tunc Henricus rebus in Germania compoſitis, in Italiam mouet, vbi recognoſcens Paſchali Pontifici IIII. aduentum ſuum non admodum eſſe gratum, ſubſtitit apud Sutrium: vndè miſsis Legatis, tutò vt ſibi Romam liceret adire poſtulat. Papa dat fidem de ſecuritate, dicitq; ſe antehac promptiſsimum eſſe cùm ad conſecrationem, tum ad omnem honorem Regium augendum: Ea tamen lege, vt Rex Eccleſiæ ſuam libertatem relinquat, in qua tum fuit. Fide vtrinq; data & accepta, Henricus Romam ingreditur. Hic nouo more excipitur. Populus namq; & Clerus Regi fiunt obuiam: Sacerdotes infulis & Sanctorum reliquijs ornati procedunt ordine. Ingreditur primùm vrbem Leoninam, deducitur in Templum S. Petri, in cuius gradibus Pontifici Paſchali pedes deoſculatur. Henricus ſtatione militum ſuorum ad dexteram Pontificis diſpoſita, templum cum Papa ingreditur. Oratione facta, rogat vt Paſchalis confirmet eos Epiſcopos, quos Rex inſtituerat. Papa recuſat, dies conſumitur altercando. Rex videns ſe pace & iure poteſtatem ſuam tueri non poſſe, quam tamen Rom. principes plus minus trecentis annis poſſederant, dato militibus ſigno, Pontificem vna cum Cardinalibus capit, captosque in caſtra ſua deduci iubet, tam diu conſeruandos, quouſque ſuum ius Imperatori concederent. Romani aſſumptis armis, Henrici exercitum de manè inuadunt: fit cædes vtrinque magna per totum diem, Nox prælium diremit, fugati tamen ſunt Romani. Henricus poſt triduum excedens Roma, Papam cum Cardinalibus abducit ſecum, iubetque eos in altiſsimo & munitiſsimo monte, Sancti Sylueſtri dicto, diligenter cuſtodiri, additis circumquaque cuſtodibus. Compoſito tandem diſsidio, quod inter Pontificem regemque fuit, Pontifex Henrico priuilegium de inſtituendis Epiſcopis conceſsit. Quo facto, Papa cum Cardinalibus ſuis dimiſſus, iterùm cum Henrico in Vrbem redit, eumq; ante Baſilicam S. Petri conſecrat, oleo vngit, & Corona in Imperatorem inſignit, renouatq; priuilegium de inueſtitura Epiſcoporum, datis manibus, præſente tota Eccleſia, & pronuncia omnes reos anathematis, quotquot datum Priuilegium irritum duxerint. Cantatum eſt deinde, Gloria in excelſis Deo: eò quòd pax confirmata eſſet Imperatorem inter & Pontificem. Henricus rebus ex ſententia peractis, in Germaniam redijt: Vb Adelbertum Cancellarium ſuum Moguntiæ Archiepiſcopum fecit. Paſchalis Romæ a Clero, eò quòd Henrico ius inueſtituræ conceſſerit, quodque eum, quem Ty-

rannut

rannum Eccleſiæ vocabant, Corona Imperij ornaſset, grauiter incuſatus, apud Lateranum Concilium conuocat, in quo in hanc ſententiam ad X V. Calend. Aprilis ſeſe excuſauit (haud memor ſuæ execrationis in gradibus S. Petri promulgatæ, in eius Priuilegij deſtructorem) Amplector, inquit, omnem ſcripturam cum veteris tum noui Teſtamenti: Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum Calcedonenſe, & Antiochenum Concilia: Decreta Sanctorum Pontificum, & præcipuè Gregorij VII. & Vrbani II. Quæ ipſi laudauerunt laudo, quæ tenuerunt teneo, quæ confirmarunt confirmo, quæ damnauerunt damno, quæ interdixerunt interdico, & in omnibus & per omnia perſeuerabo. Audita hac confeſsione Priuilegium Henricio datum, ab omnibus Epiſcopis ibi congregatis, facto ab Gerhardo Egelinenſi Epiſcopo Aquitaniæ legato exordio, Priuilegium dicitur & condemnatur, excommunicaturq́;. Subſcribunt deinde plus minus C. Epiſcopi, 1102. inter quos & Adelbertus Moguntiæ Epiſcopus fuit, quem eodem anno Henricus eo dignitatis ſublimauerat: Quod eſt codignam pro acceptis beneficijs referre gratiam. Hinc per omnes nationes legati ſunt emiſsi, qui hoc decretum, de condemnato Priuilegio Henrico conceſſo publicarent. Diſsimulauit hæc Imperator, donec res in Germania, vt in Chronologia vides, compoſuiſſet. Nihilominus in animo verſans atq; cognoſcens, Pontificem eaſdem in ſe parare artes, quibus patrem ſuum Imperio priuauerat, videtque Moguntinum Epiſcopum, à ſe exaltatum, cum alijs Principibus haud obſcuram moliri defectionem. Præuenturus itaq; iſta mala, cum vxore Italiam petit, vt cum Pontifice præſens rediret in gratiã eiusq́; autoritate execrationis onus excuteret. Anno integro ad Padum reſidens, legatos ſuos Romam miſit, vt rem componerent, inter quos fuit Cluniacenſis Abbas, vir eo tempore maximi nominis & autoritatis, Pontificis frater. Legatis Romam venientibus Paſchalis denuò Concilium vocat, protrahitur Imperatoris cauſa, dum de priuatis litigant Epiſcopi, vſq; in diem ſextum. Tunc á Paſchali eſt propoſita qui in eodem Concilio, vt prius fecerat, datum Henrico de inueſtitura priuilegium reuocauit, atque damnauit; cui omnes, qui tum præſentes erant Epiſcopi, ſubſcripſerunt, præſentib. Cæſaris legatis. Qui cùm viderent ſe omnem ludere operam, ad Imperatorem reuertuntur, quid actum ſit referunt. Henricus indignitate rei non parùm commotus, armis à Pontificum violentia ea defendere parat, quæ propter inſolentiam Pontificum iure & ratione tueri non poterat. Conſcripto igitur exercitu Romæ propinquat, Paſchalis fugit in Apuliam. Henricus abſente Pontifice Romam intrat, & quia Paſchalis anathemate Henrici coronationem in irritum (vt quibuſdam videbatur) vocaſſet, iterùm coronatus eſt Romæ in Sede Beati Petri, ab Archiepiſcopo Barcharenſi nomine Mauricio. Interea Rogerius Dux Apuliæ in Pontificis gratiam exercitum collegerat, Henricum Roma depulſurus. Sed Henricus eius rei ignarus Roma iam abierat, Sutrijq́, de Rogerij & Pontificis aduentu cognoſcit. Contractis ergo copijs, Rogerium armis excepturus, exercitum reducit Romam verſus. Quo cognito Rogerius ſibi ſuisq́; timens pedem refert, atq; vna cum Paſchali in Apuliam recedit. Henricus hinc in Germaniam, ad ſedandos ibi tumultus, qui abſente ſe exorti erant, regreditur: Papaq́; Romam ingrediendi fecit locum, qui Romam veniens, paucos exinde dies vixit. Hic inſtituit, vt Decimæ darentur Sacerdotibus. Sed ego antiquiorum hunc morem eſſe iudico, præſertim cùm Epiſcopus Moguntinus, vt ſupra dictum eſt, multis retró annis decimas Thuringis vi extorſerit. Sub hoc Paſchali defuncta eſt Mathildis illa Comitiſſa (annorum LXIX.) cuius iam

Anni Chriſti. ſæpius facta eſt mentio. Hæc Romanæ Eccleſiæ ex Teſtamento reliquit, quic-quid eſt à Piſsia amne & S. Quirino agri Senenſis, vſq; ad Ceperanum, inter Apen-ninum & mare, Addita Ferraria, quæ in hunc diem Romanæ Eccleſiæ vectigalis eſt. Plat. Quæritur nunc, cuius donatione Romana Sedes hoc Petri Patrimonium poſ-ſidet, Conſtanini, Aiſtulphi, Pipini, Caroli, Ludouici, Ottonis vel Mathildis? Hi enim omnes donaſſe, atque vnus alterius donationem confirmaſſe & auxiſſe di-cuntur.

1118. Paſchali morte abſumpto, Iohannes de Caieta ſufficitur, dictus Gelaſius II. Hic cùm ſine Imperatoris conſenſu eligeretur, factione Cincij patricij potentiſsimi, de familia Frangiapane dicta, qui iniuriam Imperatoris ferre non poterat, vi arripitur, turpiterque tractatus in vincula conijcitur. Romanus populus eum liberauit Nor-mannorum maximè auxilio, qui Albertesti, & Thebalesti dicebantur, liberatum Clerus Pontificia Corona cinxit. Henricus Imperator ſub hæc exercitum magnum ex Germania Romam mittit. Gelaſius, timens, cum ſuis Caietam nauigio petit, ibi-que fit Sacerdos. Diaconus namq; creatus fuit Pontifex. Ibi VVilhelmus dux Apuliæ, Robertus Campanus, & Richardus Aquilanus eum conueniunt, pollicentes ei ſu-am operam in vindicanda Pontificia dignitate. Paratur exercitus. Henricus Roma diſcedit, relicto ibi Mauricio Barcharenſi Archiepiſcopo, quem ipſe Pontificem creauerat abſente Gelaſio, atque Gregorium VIII. dixerat. Fama ad Gelaſium per-lata, de diſceſſu Henrici, ſibi ſatis tutum Romæ futurum ratus Papa, iubet principes cum copijs ſuis abire domum ipſeque Romam petit. Sed in itinere certior factus, Antipapam Gregorium Romæ relictum, Cyncijque Frangepanis præſidio frui, clàm Romam ingreditur, & apud ſuos amicos deliteſcit, tandem ſumpto animo prodijt in ædem Praxedis ſacra facturus, vbi ab aduerſaria parte ita fuit impetitus, vt ægrè fuga ſuæ incolumitati conſuleret. Elapſus è manibus hoſtium ſuorum, pro-xima die armis & præſidijs munitus, habito Cardinalium conuentu, Roma diſce-dere conſtituit, committitque Parmenſi Epiſcopo vices ſuas in ſacris officijs Romæ. Piſas hinc nauigat, indè in Galliam ſoluit ad portum Sancti Egidij, conſecratis in via aliquot Eccleſijs, quarum terminos lapidibus notat. Ab Abbate Cluniacenſi peramicè excipitur, in cuius monaſterio pleureſi correptus moritur. Anton. Titul. XVII. parag. I.

1119. Gelaſio ad patres ſuos congregato, Cardinales qui cum ipſo Cluniacum pro-fugerant, creant Pontificem Guidonem Burgundum Viennenſem Epiſcopum, ge-nus ducentem ex Franciæ Regibus. Horum electioni & illi qui partim Romæ par-tim in Italia agebant Cardinales ſubſcripſerunt. Guido poſtea Calixtus II. dictus Romam proficiſcitur, à Romanis ſibi obuiam factis, cum ſummo honore excipi-tur, Compoſitis in Vrbe rebus Beneuentum abijt, vbi principes VVielielmus Apuliæ, Iordanus Campaniæ Comes, Arnolphus Ariola, Robertus Lorocelli Comes in Italia facile primi, Calixtum adeunt, congratulantes ei iureiurando obedientiam ſunt polliciti. Interea Cuno Prænestinus Epiſcopus, à Gelaſio in Germaniam miſ-ſus, Concilium Epiſcoporum Coloniæ habuit, in quo excommunicationem ad-uerſus Henricum à Gelaſio promulgatam publicat. Qua re coactus eſt Imperator apud Triburium conuentum Epiſcoporum & Principum agere, in quo de con-cordia inter Papam & Imperatorem concluderetur. Henricus ibi ne Pontificum arte Regno (vt pater) exueretur, conditiones pacis, licet valdè iniquas accepit. Le-gatis Tibur miſsis Calixti electionem confirmat, viuo adhuc Gregorio, quem ipſe Ponti-

Pontificem fecerat. Porrò cùm Legati Pontificis & Epiſcopi ſimul perurgerent, vt Imperator de ſuo iure inueſtiendi Epiſcopos cederet, petit inducias, vt ea de re cum Germaniæ Principibus deliberare poſſet. Principes conuocat, qui Fulmen Anathematis metuentes (ob quod tum Vniuerſo Chriſtiano orbi Pontifex Romanus erat formidabilis) Henrico ſuadent, vt in gratiam cum Papa redeat. Mittit ergo Legatos Romam Imperator Epiſcopum Spirenſem & Fuldenſem Abbatem, qui redeuntes Pontificis Legatos ſecum adducunt, qui omnium rerum agendarum ſummam habebant poteſtatem. VVormaciæ Comitia indicuntur Germanis Epiſcopis & principibus. Agitur de inueſtitura Epiſcoporum, vtraq; parte acriter ius ſibi vendicante. Vicit tandem, vt plærumq; fit, maior pars meliorem. Imperator enim dictæ excommunicationis timore, & Epiſcoporum & principum quorundam conſilio, qui defectionem fore prædicebant, perſuaſus, cogitur ius inueſtiendi Epiſcopos cedere Pontifici Romano. Quo facto Legati eum ab Anathemate reſoluunt faciuntq; copiam ei ad Eccleſiæ conſortium redeundi, à quo per Gelaſium videbatur excluſus. Pactum hoc ex vtraque parte literis committitur, quarum formulæ in loco ſpacioſo & campeſtri iuxta Rhenum in Magna populorum frequentia publicè releguntur, maxima populorum omnium congratulatione, quód pax tandem inter Pontificem & Imperatorem eſſet conſtituta. Pontificij literas ſuper hac conceſſione ab Henrico datas in Baſilica Lateranenſi publicè ſuſpenderunt, in teſtimonium Triumphale, victi & ſubacti à ſe Romani Imperatoris. Stabilita cum Imperatore concordia, Calixtus contractis copijs Antipapam perſequitur, qui ob reconciliationis famam, Romà exceſſerat, Sutrijq; commorabatur. Sutrium á Calixto capitur, Gregorius vincitur, & vt inſigniter ludibrio exponeretur, etiam non ſine ſumma Imperatoris ignominia, impoſitus Camelo capite ad caudam verſo, Romam ducitur, tonſuſq; in Monaſterium exilij cauſa mittitur. Platin. Anton. Titul. 17. pag. 2. Calixtus quatuor temporum ieiunium inſtituiſſe dicitur, cùm tantùm ter in anno ieiunatum eſſet. Diſt. 76. cap. Ieiunium. A Romana Eccleſia non licere diſſentire, edixit, rationem addens: Quia vt filius venit facere voluntatem patris, ita oportet Chriſtianos facere voluntatem Matris Romanæ Eccleſiæ: Matris ſcilicet magnæ ſcortationum & abominationum terræ, Apocal. 17. cap.

Vt lector videat, Qualis Religionis formula circa hæc tempora apud celeberrimos etiam Epiſcopos fuerit, hiſtoriam ex Abbate recenſebo, qua conuerſionem POMERANORVM ad CHRISTVM explicat. Calixto II. inquit, Romanæ ſedi præſidente, Otto DEI gratia Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopus, diuino admonitus inſtinctu, prædicti Apoſtolici autoritate & aſſenſu roboratus, partes Pomeranorum Paganorum, cum quibuſdam ciuitatibus terræ Lutitiæ aggreſſus eſt, vt eos ab errore ſuo reuocaret, & ad viam veritatis, & ad agnitionem filij DEI perduceret. Quibus baptizatis & conuerſis, Eccleſias conſtruxit & conſecrauit, & hæc, ſecundum Sanctorum Patrum inſtituta, eos ſeruare docuit, ſcilicet, Vt ſexta feria abſtineant, à carne & lacte more cæterorum Chriſtianorum: Dominica die vacent ab omni opere malo, & ad Eccleſiam diuinum officium audituri veniant, ibique orationibus ſtudioſè inſiſtant: Solennitates Sanctorum cum vigilijs, vel ſecundum quod eis indicatum fuerit, cum omni diligentia obſeruent: Sacroſanctam Quadrageſimam ieiunijs, vigilijs, eleemoſynis, & orationibus diligentiſsimè obſeruare ſtudeant: Infantes ſuos Sabbato S. Paſchæ & Pentecoſtes, cum Candelis & Cappa, quæ dicitur Veſtis candida, & patrimis comitantibus, ad 1124.

Baptiſmum

Anni Christi. Baptiſmum deferant, eosque veſte Innocentiæ indutos (Si Chriſtum intelligeret: quem in Baptiſmate induimus, Galat 3. optimè haberet: ſed ego ſuſpicor illum Cappam albam vocare veſtem Innocentiæ) per ſingulos dies, vſque in octauum diem eiuſdem Sabbati ad Eccleſiam deferant. & celebrationi Diuini officij intereſſe ſatagant. Hoc etiam iniunxit, Ne filios ſuos necarent: quod nefas maximè inter eos vigebat: ne etiam filios ſuos & filias ad Baptiſmum teneant: ſed ſibi patrimos quærant: Patrimis etiam fidem & amiciciam, vt cardinalibus parentibus ſeruent. Indixit etiam, Ne quis commatrem ſuam ducat in vxorem, neque propriam cognatam ſuam, vſq, in ſextam & ſeptimam generationem: vnuſquiſq; contentus ſit vna vxore: Ne ſepeliant mortuos Chriſtianos inter paganos, in ſyluis aut in campis, ſed in cœmiterijs, ſicut mos eſt omnium Chriſtianorum: Ne fuſtes ad ſepulchra eorum ponant: Omnem ritum & prauitatem paganam abijciant: Domos Idolorum non conſtruant: Pythoniſſas non adeant: Sortilegi non ſint: Ne quid immundum commedant, non morticinium, non ſuffocatum, neq; Idolothytum, neq; ſanguinem animalium (Hoc non ſeruant & ipſi Pontificij, qui farciminibus Porcino ſanguine confectis veſcuntur) ne communicent Paganis: ne cibum aut potum cum eis, aut in vaſculis eorum ſumant: ne in his omnibus conſuetudinem Paganam repetant. Iniunxit etiam eis, Vt dum ſani ſunt, veniant ad Sacerdotes Eccleſiæ, vt confiteantur peccata ſua, & corpus Domini accipiant. Iniunxit etiam, Vt de periurijs, de adulterijs, de homicidijs, & de cæteris criminalibus, ſecundum Canonum inſtituta, pœnitentiam agant, & in omni Chriſtiana religione & obſeruatione obedientes ſint: Mulieres poſt partum ad Eccleſiam veniant, & benedictionem à Sacerdote, ſicut mos eſt, accipiant. Hæc Abbas. Hæc Religio eius ſeculi, vbi de CHRISTO & meritis eius nihil dicitur.

1125. Honorius II. magna contentione electus eſt in Pontificem, arte magis Leonis Frangepanis, quàm bonorum omnium ſuffragijs. Is namq; Leo perſuaſit Cardinalibus, ne prius nouum Pontificem legerent, quàm omnes veterum Canones de electione diligenter obſeruaſſent. Interea dum hi cunctantur, Leo ſeruiturus Lampetri Hoſtienſis Epiſcopi ambitioni, ſuffragia callidè quibus potuit artibus pro Lamperto colligit. Cardinales comperta Leonis aſtutia, Theobaldum S. Anaſtaſiæ Cardinalem Pontificem creant, appellantq; Cœleſtinum. Populus verò Saxonem Cardinalem S. Stephani Pontificem exoptabat. Quod & Leo velle ſe, vt Cardinalium electionem faceret irritam, ſimulauit. Ac cùm eam ob rem populum haberet æquiorem, efficit paulatim, vt per populum Lampertus crearetur Pontifex. Qui accepta Pontificia dignitate Honorius dictus eſt: & quò conſilio & potentia aduerſarijs ſuis par eſſet, fecit ipſe Cardinales aliquot, quorum ſtipatus auxilio Sedem cum pace obtinuit. Huius Pontificis tempore fuit Romæ Arnulphus Chriſtianæ Religionis prædicator egregius: hic Clericorum inſidijs necatur, quòd acerbè nimium in eorum laſciuiam & libidinem inueheretur: quodq; eorum Pompam & in corradendis diuitijs nimium ſtudium improbaret: paupertatem Chriſti, & integerrimam vitam ad imitationem omnibus proponens. Hunc multi ex Romana nobilitate tanquam verum CHRISTI diſcipulum ſequebatur, Hunc laudibus ad cœlum tollebant. Hinc odium, hinc iræ in perniciem benè ſentientis vſque ad necem excitatæ. Platina.

1126. Defuncto Henrico V. Legati Sedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi vnà cum Principibus Germaniæ ex condicto venerunt Moguntiæ, ibiq; de eligendo

gendo Romano Imperatore conſultantes, Lotharium Saxoniæ ducem, virum ſapi-
entem & induſtrium, Eccleſiæq; Romanæ deuotiſsimum eligunt. Coronatur indè in
Regem Rom. à Friderico Colonienſi Archiepiſcopo, maximo Germanorum ap-
plauſu. Reliquerat Henricus duos ex Sorore nepotes, Fridericum ſcilicet Sueuiæ du-
cem, & Conradum ducem Franciæ orientalis, qui ægrè ferentes Lotharium ſibi præ
latum ab Electoribus, bellum Lothario fecerunt. Lotharius Henrici generi ſui Ba-
uariæ ducis, fratris VVelphonis vltimi adiutus auxilio, ad pacem petendam eos
compulit. Conradus plenus irarum in Italiam tranſit, auxilia quæſiturus contra Lo-
tharium, Fridericus verò domi manere. Tandem Bernardi Abbatis Clareualenſis,
qui tum in ſummo precio habebatur, interuentione, vtriq; duces Conradus & Fri-
dericus in gratiam à Lathario recipiuntur. Lotharius in primo Imperij ſui anno 1
Bohemos bello eſt aggreſſus, ſed ſuorum Principum proditione multos ſuorum
amiſit, vndè infecta re domum eſt reuerſus. Vincent. lib. 28. cap. 1.

Innocentius II. Honorio defuncto ſuffectus eſt in Pontificatu. Hic ſtatim ſuſce- 1130.
pto Pontificatu, res ſacras tractare ſummo ſtudio cœpit. Parato enim exercitu ſatis
valido in Rogerium Siciliæ ducem mouet, eumq; cinxit obſidione. Dux verò Ca-
labriæ Rogerij filius, patrem obſidione ſuis copijs liberauit, Papam cum Cardinali-
bus cepit. Pontifex captus Rogerio quæ potebat conceſsit, niſi quòd Siciliæ Regem
dicere noluit, quod tamen inſtanter Rogerius optauit. Reueritus tandem Pontifi-
ciam dignitatem Rogerius, Pontificem cum Cardinalibus dimiſit, ne abſentibus il-
lis, & tacentibus, Eccleſia eſſet acephala. Interea Romani Petri Leonis Filium Pon- II
tificem crearant, quem appellauerant Anacletum. Quo audito Innocentius, atque
cognito omnia Romæ turbis eſſe plena, Piſas nauigat, indè Genuam abijt, hinc in
Galliam porrò proficiſcitur. Anacletus ſubmoto Innocentio, omnium animos ſi-
bi per largitiones conciliat, qui Innocentio fauere videbantur. Rogerium, indè vtri-
uſq; Siciliæ regem decernit, quò & huius ſtipatus auxilio eſſet tutior. Innocentius de
recuperando Pontificatu ſollicitus, Concilium in Claremonte cogit, & Anacletum
ut hoſtem Eccleſiæ damnat. Poſt hæc Aurelianum ſe confert ad Philipppum regem
Galliæ, vbi & filium Philippi Ludouicum coronauit. Hinc Carolum petijt, vbi &
Henricum Anglorum regem habuit obuiam, cum quo de conſcribendo exercitu
contra Sarracenos egit, in auxilium ijs, qui terram Sanctam obtinebant. Sed
ſub eo prætextu cupiebat illorum copijs recipere Pontificatum. Ab Henrico in
Lotharingiam deflexit, conuenturus Lotharium Germaniæ regem, vt eum ſolli-
citaret de ſe reſtituendo. Lotharius, vt ſuprà dixi, Sedi Romanæ deuotus, Sacramen-
to Pontifici dato, parat expeditionem, qua Innocentius Papa Romam tutus re-
duceretur. Interea Pontifex in Belgis conuentum egit. Poſtea in Italiam redit.
Placentiæ alium Conuentum habuit (ſed quid actum ſit, dicit nullus) Piſas domum
ſe contulit. Piſamq; diu cum Genuenſi ciuitate diſsidentem in gratiam redegit, &
ex Epiſcopo Genuenſi, qui ſuberat Mediolanenſi Archiepiſcopo, Archiepiſcopum
fecit, traditis ei tribus Corſicæ Epiſcopis. Piſanis quoq; Archipræſulem dedit, &
alios tres Epiſcopos Corſicæ ei ſubiecit. Sub hæc Lotharius Italiam ingreditur ma-
gno cum exercitu, Romam veniens paſtis copijs Vrbem irrumpit, Innocentium
in Lateranum reducit. Antipapa nuſquam apparet Lotharius qua potuit ratione
Innocentium reddit Romæ tutum. Regreſſo indè in Germaniam Lothario, Anacle-
tus Rogerij, & aliorum quorundam fretus ſubſidijs, ſurgit in Innocentium. Coactus
eſt Lotharius redire in Italiam, vt ſuppetias ferret Innocentio At quia terror
ſolius

Anni Chriſti. ſolius Imperatoris Rogerium Italia expulerat, Pontifex ne videretur ingratus, Comiti Rainoldo exercitus Lotharij duci donauit ducatum Apuliæ, & quicquid in Italia Rogerius tenebat. Rogerio hoſte iudicato atq; fugato, Otto Friſingenſis ſcribit, magnam controuerſiam ſubortam eſſe Imperatorem inter & Pontificem, vter deberet, eius habere dandi ducatum. Et cùm neuter alteri totum ius cederet, ſedata eſt controuerſia ea lege, vt vterq; apponeret manum ad vexillum dandum nouo Apuliæ duci, quo declararetur vtriq; ius eſſe dandi ducatum Apulienſem. Interim dum hæc geruntur Anacletus Antipapa moritur. Platin. Naucl. Pius II. Anton.

1138. Lothario Imperatore rebus humanis exempto, Conradus Henrici V. nepos, qui antea quoque ad Imperium aſpirauerat, communi principum voto Imperator eligitur. In huius tamen electione Saxoniæ & Bauariæ duces non conſenſerunt. Henricus enim dux Bauariæ, cui ex inſolentia Superbo nomen fuit, Imperialia inſignia contumax detinebat. Ac cùm Lothario cognatus eſſet, ad ſe trahere imperij dignitatem ſatagebat. Conradus verò III. Conuentum generalem edixit, ad quem conuenientes Principes, cum Lotharij vidua Imperatrice, in gratiam Imperatoris omnes ſunt recepti, præter Henricum Bauarum, qui in contumacia ſua obduratus venire recuſauit, ob quod ab omnibus derelictus, quatuor ſolummodò comitatus ſocijs (vt Antoninus inquis) ſolus & in paupertate in Saxoniam ſeſe contulit, vbi aliquanto tempore latitans, cum mœrore vitam finiuit.

1139. Reinoldo Apuliæ duce, mortuo, Rogerius ſtatim copijs ſuis Apuliam inuadit, eamq; ſine bello recepit. Innocentius hoc audiens, collecto milite tumultuario Apuliam recipere conatur. Rogerius præſenti animo Pontificis vim expectans, ſecurum & incautum armis oppreſſum vnà cum Cardinalibus denuò capit. Impetratis tandem quæ voluit à Pontifice, vtq; Rex vtriuſq; Siciliæ diceretur, dimiſit eum cum Cardinalibus. Ab hoc tempore Siciliæ Regnum Patrimonium Petri appellatum eſt. At quia Pontifex hac conceſsione regij tituli, ſpoliauit Imperatores ſuo iure, de dando Apuliæ ducatu, quod armis parauerant, & ad ſe ſolum tranſtulit iſtam communem prærogatiuam, magnis indè malis occaſionem præbuit. Romani eodem tempore indignè ferentes Pontificis Imperium côuentu habito, Conſules ſibi creauerunt, & Senatores, qui more antiquo regerent vrbem, ac præeſſent ciuilibus negocijs. Pontifex videns ſe ſuosq; periclitatum iri (erepta ſibi ciuili poteſtate) vt in tuto cum ſuis eſſet, ſub anathematis pœna cauit, ne Clericis laici eſſent moleſti. Extat decretum hoc 17 q 4. cap. Si quis ſuadente. De Bigamis in Clerum non aſſumendis leges dedit, atq; qui Bigami dicerentur definiuit. Diſt. 34. cap. Si quis. Diſt. 26. cap. Deinde &c. Sub hoc Pontifice Petrus Abeſardus Theologus in Gallia damnatus eſt, qui negabat CHRISTI mortem eſſe precium Redemptionis noſtræ: Aſſeruit, que, CHRISTVM tantùm dediſſe morte ſua exemplum virtutis, quod vſq; ad necem pugnandum ſit pro veritate: Et incentiuum, vt nos eum viciſsim diligeremus, qui virtutē (non nos) ſic dilexerit, vt non dubitauerit pro veritate mori. Quo commento mortem CHRISTI comparauit Prophetarum, Apoſtolorum & aliorum Sanctorum mortibus. Anton. Tract XVII. cap. 1. parag. 5.

1143. Guido Cardinalis Sancti Marci omnium ſuffragijs Pontificatum inijt poſt Innocentium, dictuſq; eſt Cœleſtinus II. Hic ob vitæ breuitatem nihil potuit facere, quo ſe poſteris commendaret. Huic ſuffectus eſt Lucius II. Cardinalis tituli S. crucis in Hieruſalem. Hic Romanorum nouum Magiſtratum, quem ſub Innocentio inſtituerant, demoliri & extirpare conatus eſt. Nam cùm Innocentius Conſulum electio

electionem ferre nullo modo vellet, elegerunt Romani priſco more Patricium nomine Iordanem. Is regalia vrbis cùm intra muros tum extra repoſcit, Aitque illud ius nomine officij ſui ad ſe pertinere, quod Pontifex (abrogatis Patricijs) per Carolum Magnum occupauerat. Iubetque (Magnum & non ferendum hæreticum Romanæ curiæ) vt Pontifex, iuxta exemplum Pontificum maiorum ſuorum, primitijs, decimis & oblationibus viueret. Lucius exagitatus in hunc modum à Romanis ſupplex per Legatos Conradum in Italiam vocat. Conradus autem impeditus, venire non poterat. Lucius alia via rem aggrediendam ratus expectat, donec ſemel in Capitolio vnà eſſent congregati Senatores omnes cum Patricio, vt conſultarent de rebus ſuis. Tunc collecto milite Pontifex Capitolium inuadit, vt Senatum illum vel perderet omninò, vel ſi minus expelleret tamen. Fama per vrbem volat de Pontificis conamine: concurrunt ciues ad arma, fit pugna atrox. Lucius militiæ immixtus, ad Capitolium lapidibus ita eſt contuſus, vt breui poſt iſtos ictus morte ſit conſumptus. Anton.

Eugenius Clareuallenſis primò Monachus, Bernhardi diſcipulus, deinde S. Anaſtaſij Abbas Romæ, in locum Papæ Lucij à Cardinalibus ſufficitur: Eò quòd 1145.
Cardinales non iudicarent expedire, cùm ita ius libertatis quæreretur à Romanis, aliquem ex ſuo collegio in Pontificem eligere, Ac cùm B. Bernhardus eo tempore, in totò Chriſtianorum orbe celeberrimus eſſet, hunc diſcipulum eius ad ſummum Sacerdotium protraxerunt, cui Præceptoris autoritatem, auxilium, & conſilium nunquam defuturum ſperabant. Nec eos ſpes fefellit: auxit enim, quantum potuit Bernhardus Pontificis autoritatem: vt in libro ſecundo conſiderationum videre licet. Sed Eugenius inito Pontificatu, intellexit populum percupere, vt electionem Senatorum ratam haberet. Noctu igitur cum Cardinalibus abijt in Sabinos, ad monaſterium Farnenſe, ibiq; conſecratus perrexit Viterbium. Vbi & Romanos, qui nobiles ciues cogebant parere Iordani Patricio electo, cum ipſo Iordane excommunicauit. Iunctoque exercitu ſuo, cum Tiburtinorum copijs, Romanorum antiquis hoſtibus, Romanos ad petendam pacem compulit, Quam ea lege eis conceſsit, ſi Patriciatus principatum abolerent, & præfectum ſuum ſuo reſtituerent loco, Item, Vt in futurum quos ipſe daret Senatores acciperent. Pace in hunc modum facta, in Vrbem regreditur: & quia ſentiebat ſubeſſe dolum (inſidias veritus) Tibur naui dilabitur. Romani fugientem ſagittis & armis inſequuntur. A Tiburi Piſas nauigio appellit, vnde in Galliam peruenit ad Bernhardum, cuius operâ vſus, Ludouicum & alios Reges exorauit, vt expeditionem contra Turcos ſæuiſsimos Chriſtianorum hoſtes ad defenſionem Terræ S. pararent. Qui tamen nihil admodum præclari effecerunt. Eugenius aliquantò pòſt Romam redijt, vbi non diu commoratus vitæ diem clauſit extremum.

Eugenius Remis habuit Concilium, in quo (vt in Chronologia quoq; dictum 1148.
eſt) Bernhardus Gilbertum Pictauorum Epiſcopum, malè ſentientem de Trinitatis vnitate, & Diuinitatis ſimplicitate, confutauit. Spec. 86. cap. lib. 28. Decreta ſunt in hoc Concilio lata, quibus Monachorum dignitas non multùm commendatur. Confirmauit enim antiquam illam legem, Ne Monachi vel puerum Baptiſmo vt teſtis leuaret, vel baptizaret. Quod meo iudicio, eſt eos ab Eccleſia prorſus excludere. Item, Ne Monachus Eccleſiam ſecularem gubernaret (Qua autoritate ipſe Eccleſias omnes rexit? cùm & ipſe fuerit Monachus.) Item, Ne Monachus modum pœnitentiæ daret alijs, Ne inuiſeret infirmos, neque in funere demortui intereſſet.

Anni Christi. Item, Ne ſe vllis ſecularibus implicaret negocijs, ſed ſederet in ſua monaſtica ſolitudine. Ac cùm paſsim bonæ artes negligerentur, mandauit Epiſcopis, vt curarent Scholas aperiri, & doctos iuuentuti præfici doctores, qui liberales artes docerent, Diſt.37. His temporibus Auicenna & Auerrois in precio fuerunt, propter Medicinæ & Philoſophiæ profeſsionem. Sabell. Noruegia quoque fidem CHRISTI ſub hoc Eugenio ſuſcepiſſe dicitur à Iohan. Stella in Chron.

1152. FRIDERICVS eius nominis Primus, poſt Conradum Romanorum Imperator efficitur, magis ex delegatione patrui ſui, quàm ex Principum electione. Fuit vir armis ſtrenuus, acer animo, bellique peritiſsimus. Corpore robuſtus, in conſilijs prouidus, in negotijs peragendis virilis, affabilis manſuetis, ſuperbis aduerſus, ingenio & memoria excellentiſsimus. Quemcunq; enim hominum ſemel agnouerat, ſi idem poſt multa tempora eum accederet, ex nomine ab Imperatore vocabatur, ac ſi quotidie cum ipſo conuerſatus eſſet. Huic Imperium ceſsit, eò quòd VVelpho auunculus eius & alij Principes Alemaniæ proxima conſanguinitatis linea eum attingerent. Imperio ſuſcepto, Pacem inter Germanos Principes diſſolutam, in primis conſtituendam eſſe aggreſſus, effecitq; in tribus Imperij ſui annis primis magna diligentia, ſtudioque indefeſſo, per totam Germaniam concordes Principes. Ex quo verè nomen ſuum, quod pacis diuitem ſonat, fecit celebre. Abb. Vrſ.

Anaſtaſius IIII. Abbas S. Ruffi fit Cardinalis: è Cardinale creatur Pontifex. Hic
1153. nihil fecit dignum, quod ad poſteros referatur, niſi quòd Calicem magni ponderis Lateranenſi templo dedit: Et Sanctæ Mariæ Rotundæ fabricam ædificauit. Volater. ſcribit, eum pulcherrimas ædes apud Pantheon ædificaſſe, lib. 22.

1155. Adrianus quartus ab Eugenio ad Noruegios miſſus fuit, vt doceret eos Rom. Religionem. Vndè rediens Cardinalis efficitur: electus tandem ad Pontificatum vrgente Clero, noluit in Lateranum aſcendere, vt conſecraretur, niſi prius efficerent, vt Arnoldus Brixenſis Epiſcopus, qui Romanis ſuaſerat, vt amiſſam libertatem eligendi magiſtratus & adminiſtrandæ vrbis repeterent, ex vrbe pelleretur. Sed cùm populus obſtinatè petitioni Pontificis obſiſteret, turbæ maximæ ſunt motæ, Pontifex armis anteceſſorum ſuorum vſus, Romanos Bannat tandiu, donec Arnoldum ejicerent vrbe, & Coſs. abdicare ſe Magiſtratu cogerent: relinquerent Pontifici liberam adminiſtrationem Romanæ vrbis. Interea cùm omnia in Italia ad arma ſpectarent, Fridericus Rex collecto exercitu in Italiam mouet, & in deditionem acceptis, qui rebellionem cogitauerant, Romam citatis agminibus pergit. Romani metuentes ſibi cùm à Cæſare, tum à Pontifice, qui propter ſeditionem Roma exceſſerat, oratores Friderico mittunt obuiam, qui paratos eſſe dicant Romanos ad ſuſpiciendum Imperatorem, ſi Triumphans antiquorum more Imperatorum Romam ingredi vellet. Cognito verò Fridericus, quòd Triumphus iſte maximi ſibi conſtaret, Romanique ſub hoc prætextu quaſi cenſum abs ſe elicerent, ſubridens dixit: Grata promiſsio, ſed cara nimis litatio, Nimia ſunt, Romani, quæ ex noſtro ærario (bellis exhauſto) depoſcitis: aduenimus aurum de Italia ſumere, non argentum inuehere. Ac cùm Romani oratores nimis hæc vrgerent, iratus Fridericus contemptos à ſe remouit, Romaniſque, ſi bellum quàm amicitiam eius mallent, bellum indixit. Hinc Pontificem cum Clero apud Sutrium habuit obuiam, quem Imperator deſcendens ex equo pedes excepit: ſiniſtram ſellæ ſtrepam deſcendenti de iumento tenuit. Quod Papa ludibrij loco duxit, cùm (vt ipſe ſuperbè æſtimaret) dextra fuiſſet contrectanda: cui Rex commotus nonnihil paulumque ſubridens re-

dens reſpondit: Minimè ſe ſtuduiſſe appræhendendis ſtrepis. Tu primus es Pater *Anni*
(inquit) cui tali officio deſeruimus: Sed ſcire velim abs te, officij hoc genus ex debi- *Christi.*
to anſit, an ex beneplacito? Quod ſi ex beneuolentia deſcendit, quis cauſabitur negligentiam in ſpontaneo? Sin ex debito, parùm intereſſe putamus, quo latere acceſſerit, qui venerabundus accedit. Actum eſt deinde de coronatione Imperatoris, quam Sanctiſsimus facere prius non voluit, quàm Fridericus ei promiſiſſet, Apuliam ſe VVilhelmo ereptam Pontifici ſubditurum. Hinc Romam itum eſt, Romanis arma Friderici timentibus, nemine reſiſtente Vrbem intrarunt, Altera die Fridericus in Baſilica Sancti Petri ab Adriano coronatur, conſecraturque. Interea Romani aſſumptis armis, portas vrbis tenuere clauſas, ne qua vis ſibi ab Imperatore, apud quem ſe delatos eſſe per Pontificem non diffidebant, inferretur, ac cùm viderent, Friderici copias in Portis Neronianis fixiſſe tentoria, per portam Adriani erumpunt in Vaticanum, abacturi Cæſarianos ab ingreſſu vrbis: Cæſariani reſiſtentes fortiter, plus mille Romanorum ciuium cædunt, capiunt plurimos, reliquam multitudinem in vrbem repellunt. Ac cùm neceſſe foret, Imperatorem ad Lateranum perduci, Romani tranſitum ipſi per Vrbem negauerunt, ita vt militum virtute iter faciendum eſſet. Sacris de more peractis, Imperator ad preces Pontificis captiuos dimiſit, reditumq; in Germaniam parauit. Pontifex non expectans Friderici arma, ad recuperandum Apuliam, cum Emanuele Græcorum Imperatore fœdus inijt, vt ipſius auxilio VVilhelmum Italia depelleret. VVilielmus hoc ſentiens, legatos ad Pontificem miſit, qui pacem inter ſe & Papam ſancirent his adiectis conditionibus: VVilihelmum non ſolùm reſtituturum Eccleſiæ ablata, ſed etiam de ſua ditione aliquid additurum, & retenturum in officio Pontifici rebelles: tantùm petit, vt ſe declaret vtriuſque Siciliæ Regem. Pontifex hanc pacem ſuſcepiſſet, niſi à Cardinalibus bellum malentibus, eſſet cohibitus. VVilihelmo bellum indictum: qui cum exercitu in Italiam è Sicilia trajiciens, Apuliam totam, quæ defecerat, in deditionem accepit, Beneuentum indè duxit, vbi Papa cum Cardinalibus ſuis aderat, quos obſidione cinctos, oppugnando ſic exercuit, vt de vita deſperantes, pacem à VVilihelmo ſupplices peterent: Qua data, VVilihelmus ex pacto vtriuſq; Siciliæ Rex declaratur à Pontifice, dato prius iuramento, ne porrò Eccleſiæ terras eſſet infeſtaturus. Qui pacem primùm oblatam diſſuaſerant, fuga ſibi conſulunt. Papa Romam repetens, inuenit omnia turbarum plena, conantibus veterem libertatem Conſulibus in vrbem introducere. Vnde Romanos omnes bannauit (Indignæ rei non conuenit honeſtum vocabulum) & ad Arigmanum conceſsit. Fridericus comperto, quid cum VVilihelmo & Pontifice actum eſſet, conſideratóq; quòd Papa priſtinus ius inueſtituræ Epiſcoporum Imperatoribus præripuiſſet, Et quòd per legatos ſuos omnes nationes compilaret, & defectionis ſemina ſpargeret per totum Imperium, Ab omnibus Germaniæ Epiſcopis Homagium & fidelitatis iuramentum exigit. Ad Romanam ſedem appellando prouocare vetuit. Legatos Pontificis ſi (non vocati ab Imperatore) venirent in Germaniam, excludendos eſſe mandauit. Quo facto, in tantum mouit ſuperbiſsimum patrem Romanum, vt acerrimis literis ad Fridericum datis, cùm ipſo grauiter de his rebus expoſtulauerit. Sed Imperator pari moneta ei reſpondens, ius ſuum ad id temporis ſatis & defendit & confirmauit. Papæ denique inſtinctu Ciuitates Italiæ ferè omnes ab Imperio deficiunt, ſe in libertatem vindicare volentes, inter quas Principes fuere Mediolani: ſed Imperator complures armis, aliquot verò per deditionem recepit, ſolis Mediolanenſibus

 ſubinde

Anni Chriſti.

ſubinde rebellantibus, de quo in Chronologia. Tandem renouata, Pontificis autoritate, per totam Italiam defectione, factoque fœdere, ne quis pacem, ſine aliorum omnium conſenſu, cum Imperatore faceret: Item, ſi Papa moreretur, ne alium quàm ſuæ factionis eligerent: Pontifex Imperatorem excommunicat, & non multò pòſt, cùm expatiaretur cum ſuis apud Anagniam, pœnas dedit ſuæ impietatis. Muſca namque inuolauit in os: & cúm medicorum arte eximi non poterat, præcluſit illi ſpiritum, atq; ita ſuffocatus perijt. Hinc Itali dolis in Fridericum vſi, per Morionem ficticium Muſices peritum eum ferè occidiſſent, niſi per feneſtram ſe in aquam præterlabentem præcipitaſſet Imperator. Morio depræhenſus per eandem feneſtram præcipitatus gulam fregit. Huic intoxicatorem, qui annulos & alia ſimilia infecerat veneno, vt ſolo contactu occiderent, ſubornant: ſed & is proditus ſuſpendio mulctatur. Hæc Friderici cum Adriano geſta fuère. Sequitur nunc Beſtia non minus hac crudelis: ſed priuſquàm de ea dicamus, Liuoniæ ad Chriſtum conuerſionem paucis indicabo, præſertim ideo, cúm hiſtoria illa non multis ſit cognita ſcriptoribus.

1158. Hoc anno mercatores quidam (Bremenſes, vt ex circumſtantijs colligitur) fortunam experiri, variaq; terrarum mariſq; loca pernoſcere cupientes, ſuaſu cuiuſdam multorum locorum periti, mare quod orientale dicitur, nauibus ingrediuntur, multis ſuarum mercium ſecum aſſumptis. Hi tempeſtate ad oſtia Danubij (vel vt vulgò dicitur, Dunauiæ) Liuoniæ delati, aduerſo flumine littora legunt: vbi confeſtim regionis incolas, raptui aſſuetos, cum armis habuere obuios, qui ſagittis eos impetentes ad prælium prouocant. Chriſtiani qui in nauibus erant, numero & armis ipſis Liuonijs non inferiores, faciunt pugnandi copiam. Vincuntur & propelluntur Liuonij, ſequentibus Chriſtianis fiunt ſupplices, pacemque petunt: qua data, & ex more gentis, ritu publico confirmata, tàm pro ſe, quàm pro reliquis eiuſdem loci incolis: Mercatores merces ſuas in terram exponunt, fit incolarum accurſus, emunt, res rebus commutant. Pax denuò cum tota natione confirmatur, Mercatoribus libertas datur, vt quotieſcunque libuerit, ea loca cum mercimonijs ſuis viſitent: quin & alios ſecum adducant, quò negociatio fiat frequentior. Sæpius his itaq; & alijs qui ex nouo foro lucrum haud aſpernandum fore ſperabant, eò confluentibus, conceſſum eſt, vt domum quandam, ad merces ſuas in tuto collocandas ædificarent. Extructa eſt domus in monte Vxkul vocato, ad Dunauiam flumen ſito: hæc ſuccedenti tempore arcis in modum ampliata Dunemundæ nomen eſt ſortita. Tandem ſucceſſu rerum, cùm multi ex Chriſtianis quotidie aduentarent, Meiradus quidam Chriſtianorum Presbyter, ad ea loca cum mercatoribus eſt adductus: is fidem Chriſti prædicans, multos incolarum Liuoniæ à perfidia gentilitatis ad Chriſtum traduxit, inter quos Liuoniæ Princeps quidam fuit Cobbe nomine: Is conuerſus admonente Meinrado, vnà cum ipſo Romam adijt, à Pontifice Alexandro III. Epiſcopum in Liuoniam deſtinandum orat. Pontifex ex Meinrado rebus cognitis, ipſum Meinradum Epiſcopum confirmat: Qui cum Cobbe in Liuoniam rediens, ſedem ei loci firmat, vbi nunc Riga eſt Metropolis Liuoniæ, anno Chriſti 1170. Non ita multò pòſt Cobbe à circumiacentibus Paganis bello laceſsitus, in aciem deſcendit, vulneratus grauiter, paucos poſt dies moritur. Hinc Chriſtiani in Liuonia conſtituti, cúm à circumpoſitis Paganis, Lituanis, Eſthijs, & Oſellianis vndiq; impeterentur, à ſuis auxilia petere ſunt coacti: qui magna multitudine nauibus aduentantes, Liuonijs infidelibus, alijſque eos adiuuantibus fortiter reſtiterunt, atque res ſuas

ita fi

ita firmarunt, vt ſubinde maiora incrementa ſumerent, Liuonijs paulatim vires decreſcerent. Hæc exordia rerum Chriſtianarum in Liuonia, Meinrado Bertoldus, ab Epiſcopo Bremenſi ad hoc exorato à ſuis ciuibus, qui in Liuonia erant, in Epiſcopatu ſuffectus eſt, qui Rigam in vrbis modum ædificare eſt exorſus: hic ab Eſthijs (populus Liuoniæ eſt) in bello eſt occiſus, anno Chriſti 1204. Ex quo tempore Fratres gladiferi Liuoniæ tutelam ſuſceperunt, de quo ſuo loco dicetur. *Anni Chriſti.*

Adriano quarto vita exemto, Cardinales congregati in electione noui Pontificis, concordare non potuerunt. Plurimi enim, qui & Imperatori erant aduerſi, Rolandum Cancellarium eligerunt: nouem autem, vt Abbas Vrſp. eſt autor, Octauianum Romanum ciuem, Presbyterum Cardinalem S. Clementis ſuffragantibus Præfecto vrbis, Populoque Romano, cum exercitu, quam electionem & Decanus cum toto Choro Sancti Petri approbauit, vocatus eſt hic Papa Victor. Sed cùm hæ electiones, magnam parituræ viderentur diſsidium, inter vtriuſque partis electores conuenit, neutrum ex electis inſtitui debere, priuſquam inter omnes conueniret. Rolandina autem pars ſuperior, fide ſoluta, Rolandi electionem publicauit, eumq; Alexandrum III. dixit. Quæ res ſchiſma maximum peperit, Alexander ad Siciliæ Regem properat, vbi XII. die poſt electionem ſuam eſt confirmatus. Victor Romæ manet. Alexander ad Imperatorem, Cremam arcem tunc obſidentem, legatos mittit, petitum vt ſchiſma tolleret, & inſtitutionem ſuam ratam haberet. Fridericus Papiæ conuentum indicit, vtroſque vocat Pontifices, vt diſcuſſa cauſa ei, qui iure diceretur Pontifex, honor confirmaretur. Alexander venire renuit, ſpretis quoque Imperatoris legatis, qui eum ad Conuentum ire cohortarentur, reſpondit Pontificem Rom. à nemine debere iudicari: Legatoſque à ſe repulit. Qui dimiſſo eo Victorem Cigniæ conueniunt, eumq; ad Imperatorem ſummo cum honore deducunt. Concilio congregato, cauſaq; ex teſtibus per omnes circumſtantias cognita, Victor Papa pronunciatur. Cui ſtatim iuſſu Friderici omnes ibi præſentes Epiſcopi obedientiam promittunt: miſſo inde in Germaniam, Epiſcopi omnes ſe illi fideles fore dederunt fidem. Alexander ſtatim fulmine Banni vſus, Fridericum cum Victore bannat, literiſque per totum orbem Chriſtianum miſsis bannum hunc diuulgari mandat. Mox in Siciliam ad VVilhelmum tranſit, cuius claſſe ſtipatus, ad Philippum Galliæ regem traiecit. Quo in ſuas partes pertracto, Bannum Imperatori denunciatum aperit, Imperator Legatis ad Philippum miſsis, petit vt concordiæ conſtituendæ cauſa, ſuam popam Diodonem ſecum adduceret, vbi & ſe cum Victore præſentem fore eſt pollicitur. Venit eò Henricus II. Rex Angliæ, Rex Cotiæ VVilelmus & Rex Bohemiæ. Alexander ad Conuentum venire detrectauit, eò quód conuentus non à ſe, ſed ab Imperatore eſſet indictus. Cui Philippus gratum faciens, & ipſe venire noluit. Imperator & alij Reges & Principes hæc ægre ferentes, quilibet ad ſua redijt. Victor in Italiam ad recipiendam ſedem Pontificiam ire iuſſus, Fridericus in Germaniam eſt reuerſus. Sed cùm Victor Lucam Hetruriæ vrbem perueniſſet, morbo correptus vitæ finem impoſuit. In cuius locum ſuffectus eſt Guido Cremonenſis Epiſcopus, qui Appellatus eſt Paſchalis III. Ei obedientiam præſtiterunt, Imperator Henricus Dux Bauariæ & Saxoniæ, Palatinus Rheni, Landgrauius Thuringiæ, Magdeburgenſis, Bremenſis, Treuirenſis, Colonienſis, Bambergenſis Epiſcopi, & omnes ferè Epiſcopi tum Teutonici cùm Italici. Alexander vt Romam retineret in fide, per vicarium ſuum Romanis conceſsit, vt Coſs. liberè crearent, qui Alexandri ſtudioſi eſſent. Interea ipſe ex Gallia in Siciliam delatus, mox Romam 1160.

 redit

Anni Christi.

redit, vbi perbenignè eſt acceptus. Vrbes Italiæ aduentu Alexandri in ſpem libertatis erectæ, contra juſiurandum Imperatori datum, ab eo deficiunt. Mediolanum reædificant, & ſuadente Sanctiſsimo, fauenteq; Philippo Gallorum rege, rebellionem parant apertam, Imperatori fauentes inuadunt, partim pellunt, partim dant neci. Vſi deinde conſilio Papæ, eiuſq; freti auxilio, nouam vrbem extruunt, quam in contemptum Imperatoris & in gratiam Alexandri, Alexandriam nominarunt, muriſq; & foſsis munierunt. Guido Pontifex paſsim ſpernebatur. At cùm audirent, Imperatorem magno cùm exercitu reuerſurum in Italiam, multi Guidonis partes fouere cœperunt, quos ipſe fideliter admonens, in officio Imperatoris retinuit. Adueniens tandem Fridericus cum exercitu, rebelles quoſdam ad deditionem compellit, Alexandriam nouam vrbem obſidet, atq; oppugnat. In qua obſidione Henricus Leo Dux Bauariæ & Saxoniæ, perfidè cum ſuis copijs ob optimo Imperatore
1176, defecit, pecunia, vt dicebatur, corruptus. Quamuis ipſe Bannum Alexandri prætenderet. Imperator hac defectione compulſus, dimiſſo exercitu, ſeruili habitu, maxima cum difficultate in Germaniam redijt. Vbi recollectis viribus, duci diem dicit, criminis læſæ Maieſtatis accuſat, Qui venire recuſans, factione in Sueuia excitata, ſeſe tueri intendit. Imperator rebellem ducatibus & dominijs priuat, & alijs eius poſſeſsiones diſtribuit. Hinc iterùm compoſitis in Germania rebus, in Italiam mouet cum exercitu. Sunt qui tradant, eum ex eo in terram Sanctam traieciſſe, ſuaſu Brixienſis Epiſcopi, ibiq; proditione Alexandri Papæ, poſt multas præclaras Victorias Soldano proditum, clamq; ſuo exercitu captiuum abductum, Soldani deniq; liberalitate ad ſua remiſſum eſſe: quod vt ſit, in medio relinquo, mihi parum fidei hæc habere videntur. Cæterùm Imperator Germanorum ducum auxilio, magno exercitu Italiam ingreſſus (nemine repugnante) Romam mouet: præmiſsis Legatis à populo Romano poſtulat, vt cauſa vtriuſq; Papæ audita, reſtitueretur Eccleſiæ concordia, decerneretur q; Pontificia ſedes vni ex electis Pontificibus. Id ſi facerent promittit eis, ſe non ſolùm pacem conceſſurum eſſe, ſed etiam omnia redditurum, quæ jure debebantur. Alexander cernens Imperatorem hac arte ſui compotem fore, nocte aufugit Caietam, deinde Beneuentum, poſtremò in coqui ſui habitu Venetias venit, vbi in Monaſterio deliteſcens, poſt aliquot menſes agnitus, Senatu habito, Ducis Sebaſtiani juſſu maximo honore exceptus, Pontificiali Pompa in templum diui Marci deducitur. Imperator audiens Papam Venetijs eſſe: Poſtulat à Venetis, vt hoſtem ſuum hominem Reipub. pernicioſum ſibi reſtituant. Quibus negantibus, Ottonem filium cum armata claſſe immittit, cui tamen mandauit, ne quicquam pertentaret armis, priuſquàm ipſe cum reliquo exercitu præſens eſſet. Otto verò juuenis Princeps, gloriæq; cupidus, neglecto patris mandato, cum Venetis congreditur: victus capitur, vinculiſq; incluſus Venetias deducitur. Creuerunt ex ea re cornua Alexandro, qui pacem inire cum Friderico non voluit, niſi prius Venetias Imperator veniret, accepturus præſcriptas pacis conditiones ab Alexandro. Pater malæ fortunæ filij conſulturus, pollicetur ſe ſtatuto tempore venturum. Dies dicta eſt, aderat Imperator, conueniunt de conditionibus pacis. Papa verò non prius abſoluit Imperatorem de Banno, quàm Templum D. Marci acceſſerit. Quo cùm ventum eſſet (aſtante vniuerſo populo) Alexander iubet Imperatori, humi vt ſe proſternat, & petat veniam. Imperator iuſſa facit. Tum Beſtia illa Papa proſtrati Imperatoris (ſummæ Monarchæ) collum pedibus conculcans, ait Scriptum eſt: Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draco

nem

Anni Christi.

nem. Princeps indignè ferens hanc contumeliam, reſpondit: Non tibi, ſed Petro, At Vappa rurſus deprimens Collum principis ait: Et mihi, & Petro. Cæſar metuens ſubeſſe aliquid periculi, obmutuit: ſicq; tandem eſt abſolutus, atq; concordia eſt redintegrata. Conditiones pacis erant: Imperator haberet Alexandrum pro vero Papa, reſtitueret vniuerſa Romanæ Eccleſiæ, quæ tempore belli eſſent ablata. Pace ſic compoſita, Fridericus cum filio diſcedit. Alexander vt aliquam rependeret gratiam Venetis, pro acceptis beneficijs, dedit Sebaſtiano duci,& Senatui donaria non indigna Pontificia largitate: Primùm dedit funale candidum,quo ſoli Romani Pontifices vti ſolebant. Deinde vt literæ eorum plumbo obſignarentur. Adhæc conceſsit Duci tertiam ſedem in Theatro Romani Pontificis. Quartò, in Aſcenſione Domini ad templum S. Marci, conceſsit indulgentias plenarias perpetuò duraturas. Quintò dedit Duci octo vexilla ſerica &. Cùm omnia eſſent pacata, Alexandriæ nouæ vrbi dedit Epiſcopum. Papienſem Epiſcopum Pallij & ferendæ crucis dignitate priuauit, quia ex parte Imperatoris ſteterat.

Propter interitum Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, Henricus Angliæ Rex legationem ad Alexandrum Pontificem miſit, ſe excuſatum. Pœnitentia iniuncta, inter cætera decretum eſt, vt liberè ſubditis ad Romanam curiam appellare liceret: & neminem poſt hac Angliæ Regem fore, qui á Romano Pontifice Rex appellatus non eſſet. Blond. lib. 5. Decad. 2. Proximo hinc anno Hyberniam ſubegit Henricus, quam Regno ſuo adiungere prius non fuit auſus, quàm Pontifex aſſentiretur. Concilia ab Alexandro habita ſunt, Vnum Thuronis Galliæ in primis Pontificatus ſui annis: Alterum anno prænotato apud Lateranum Romæ, in quibus multas conſtitutiones fecit,quæ in diuerſis titulis in Decretalibus reperiuntur. Antonin. Tit. 17. cap. 1. parag. 10. 1174.

Lucius III. prius Vbaldus dictus Hoſtienſis Epiſcopus, in demortui Alexandri locum ſufficitur. Hic á Romanis vrbe proturbatus eſt. Capti ex ſuis multi ſunt á Romanis, quos partim impoſitos ſuper aſinos mitris ornatos aduerſis vultibus per vrbem ludibrij cauſa circumduxerunt, partim alijs affecerunt iniurijs, nonnullos etiam neci dederunt. Cauſa fuit, quòd Conſulum nomen in Vrbe abolere niteretur Lucius. Anton. Platin. Lucius Concilio Veronæ habito Romanorum acta damnauit. Platin. Vrbanus III. huic ſucceſsit: Qui cùm audiſſet, Regem Hieroſolymitanum cum vrbe captum, tantum mœrorem incidit, vt cum eodem tempore Venetias ad comparandam claſſem proficiſceretur, ex dolore concepto Ferrariæ moreretur. Anton. Platin. 1182. 1186.

Quomodo Hieroſolyma á Saladino ſubacta ſit, Balduino quarto Hieroſolymis defuncto, Balduinus V. filius puer V. annorum ſufficitur, cuius tutelam Comes Tripolitanus ſuſcipere debebat: ſed Sorore regis cum Guidone marito ſuo acriter reſiſtente officio ſuo fungi non potuit. Mortuo poſt paucos menſes Rege puero, Sibylla eius Soror tandiu fratris mortem celauit, donec largitionibus ac blanditijs in ſententiam ſuam deducto Patriarcha & Proceribus Regni Guidonem creari Regem obtinuit. Is vxori in omnibus obſequens, Templarijs multa temerè ſtatuebat, ijſdemq; inſtigantibus, qui claris viris erant infenſi, cum Tripolis comite nonnullisq; alijs inimicitias graues exercebat. Hugo, quem quidem Riamundum vocant, Tripolitanus Comes, princeps opibus præualens, militarisq; artis peritiſsimus, quó ſe defenderet contra regem, ſi grauiora forſan tentaret, occultè 1187.

 fœdus

Anni Christi.

fœdus cum Saladino Ægypti domino iniuit. Et licet Regi tandem conciliatus ſe illi amicum ſimularet, tamen animaduertens, plus apud eum aduerſarios ſuos quàm ſe poſſe, quærebat occaſionem, qua magno malo regem poſſet afficere. Interea Saladinus cum exercitu ad Ptolemaida mouet, cum Templarijs in præſidio ibi poſitis accerrimè dimicat. Fuêre ſuperiores Templarij, optimo tamen quoq; de ſuis occiſo. Nam & Magiſter militiæ & plæriq; alij, & conſilio atque animo prompti, eo prælio ceciderunt. Auxit exercitum Saladinus, animiſq; reſumptis, Templarios magis magiſq; vrget. Hanc ob rem Raimundus Comes Saladino parùm credens, cum Guidone in gratiam redijt. Qua occaſione Saladinus Ptolemaide relicta in Tiberiadem Tripolitani regionem exercitum duxit. Guido adhortantibus omnibus, in Saladinum mouet: loco irriguo & amœno caſtra ponit: mox ab hoſte pulſus, haud longè caſtra metatus eſt loco iniquo & arido: ſequenti die ad pugnam compellitur, ac magna clade ſuperatur, laborantibus ſiti Chriſtianis. Benedictus de Acoltis ſcribit, Tripolitano principi mediam aciem commendatam fuiſſe, in qua ſuos milites collocauerat, prælioq; cœpto ipſum primùm in hoſtes properaſſe, qui proditore cognito, acie patefacta, illum cum ſuis tranſire paſsi ſint, qui ſtatim ad Tripolim eſt regreſſus. Rex ipſe, multiq; alij Principes, in poteſtatem victorum venerunt, quorum de numero multi ſecuri percuſsi ſunt. Hinc Saladinus, fractis Chriſtianorum animis, vrbes plæraſque per deditionem accepit, Acconem, Berythum, Byblum, ac maritima omnia. In quibus recipiendis, tam humanum ſeſe exhibuit Saladinus, vt nemo eius Imperium aſpernaretur. Aſcalonem poſt decem dierum obſidionem his conditionibus in deditionem accepit, vt reddido Guidone rege & Templi magiſtro, quos in vinculis habebat, ciuitatem dedentibus incolis acciperet. Hieroſolymam hinc graui oppugnatione aggreſſus eſt, quam tandem ij, qui in præſidio erant, deſperatis auxlijs, hac conditioue debêre, octauo & octogeſimo anno poſtquàm à Gotfrido capta fuerat, vt tantum abeunti cuiq; ferre liceret, quantum ſuis tantummodò humeris ſuſtinere poſſet: quorum pars Tyrum, pars Antiochiam, reliqui in alia Chriſtianorum oppida delapſi ſunt. Inde multi claſſe VVilielmi Siciliæ Regis in Italiam delati ſunt Saladinus Hieroſolymam ingreſſus, Campanas primùm è turribus deiecit, mox Baſilicas omnes, præter Salomonis Templum (vt vocant) prophanauit. Manſerunt Hieroſolymis Chriſtiani Aſiatici, Syriani, Armenij, Iacobitæ, Georgiani, Græci, permittente Saladino, qui præſidium validiſsimum ibi reliquens, ad Tyri oppugnationem profectus eſt, vndè repulſus Siciliæ Regis auxilio, Ad Antiochiæ Principatum animum adiecit, quem ſequentibus annis, Patriarcha prodente, cum XXV. ciuitatibus occupauit.

Poſt Lucium Gregorius quidam Pontificatum ſuſcepit. Is dum Principes ad arma in terram Sanctam transferenda inſtigat, pacemq; inter Piſanos & Genuenſes
1188. conciliare laborat, Piſis eſt defunctus LVII. Pontificatus ſui die. Plat. Huic Clemens tertius ſucceſsit. Hic ſtatim de bello ſacro edictum propoſuit, Calamitates quas in Iudæa paterentur Chriſtiani ſingulis inſinuant. Moti ſunt Principes Chriſtiani, Fri-
1189. dericus in primis Rom. Imp. Philippus Franciæ, Richardus Angliæ reges, & Otto Burgundiæ dux, ſubſequentibus multis Epiſcopis & Archiepiſcopis. Veneti quoque & Piſani paratiſsimas eduxère claſſet. Venetæ præfuit Rauennas, Piſanæ Piſanus præſul (Sacra militia) VVilielmus Siciliæ Rex pacato mari, commeatus ſubminiſtrabat. Friſones, Dani & Flandrenſes cum L. triremium claſſe, inter nauigandum

ſum ad Africæ littora flectentes, Saracenos magno incommodo affecêre, capta ac direpta Siluna eorum vrbe. Tyrum venerant omnes, vndè ad Ptolemaidis obſidionem ſunt profecti. Quam cum oppugnarent, Saladinus cum magno exercitu aduenit, oppugnantes à tergo cædens, vndè coacti ſunt noſtri, eodem tempore tam à fronte, quàm á tergo hoſtem ferire. Periêre in hac pugna ad II. M. Chriſtiani nominis. Durante diutius obſidione, cùm obſidentes Vrbem à Saladino obſiderentur, tanta fames eos oppreſsit, vt etiam ab hoſte annonam peterent. Saladinus benè gerendæ rei oportunitatem nactus, caſtra omnium rerum copia referta, ſine vllo cuſtode dimiſit: ad quæ diripienda cùm nullo ſeruato ordine Chriſtiani accurriſſent, Saladinus rediens multos oppreſsit. Sed ab obſidione noſtros repellere non potuit, quamuis multi ex dyſſenteria quotidie abſumerentur: qua lue & Sibylla Guidonis vxor cum filijs quatuor interijt. Ad Clementem redeamus. VVilielmus Siciliæ Rex interea Panormi diem obijt, nullo relicto hærede. Tunc Inſulæ proceres Tancredum Rogerij nothum in Regno ſuffecerent. Papa Siciliæ Regnum ad ſe recidiſſe clamitat. Tancredus negat. Papa armis repetere ius ſuum inſtituit, ex quo rapinis & cædibus repleta ſunt omnia (Sancta opera Sanctiſsimi) Tandem Clemens omiſſo Tancredo, donec Chriſtiani meliorem fortunam contra Saracenos nanciſcerentur, res Eccleſiæ componere ſtatuit. Nam & mores Clericorum non ſatis probatos emendauit: & ædificia quædam Eccleſiarum, & Clauſtrum S. Laurentij extra vrbem ædificauit: quibus inſiſtens mortem obijt. Platin. In hac Cleri reformatione Cardinalem quendam in Poloniam miſit, qui mores Clericorũ emendans, Synodum congregauit, in qua omnium conſenſu ad recuperandam Terram Sanctam decimas dari conſtituit. Chron. Pol. lib. 3. cap. 26.

Fridericus Imperator copias ſuas per Vngariam, Thraciamq;, ad Conſtantinopolim perduxerat, quem Iſacius Imperator, potentiam eius veritus, traijcere Boſphorum ſtatim adhortatus eſt. Tranſmiſsis itaq; copijs, Fridericus Philomenam vrbem de Turcis capit, & Iconij agrum populatur: Armeniam indè minorem in poteſtatem ſuam redigit: Vbi dum lauandi cauſa rapidum amnem inexploratò ingreditur, in vndis perijt. Corpus eius Antiochiam translatum ſepulturæ mandatum eſt. Chron. Ord. Teut. Exercitus eius in Antiochenum agrum delatus, partim morbo perijt, partim conſumptus eſt fuga. Philippus Franciæ Rex ad caſtra Ptolemaidis felici nauigatione peruenit, obſidentes aduentu ſuo non parùm confortauit. Richardus Angliæ Rex á Græcis Cypro excluſus quò tempeſtate appulſus erat, vi capit Inſulam, eamq; valido præſidio munit. Ac felici quoq; vſus vento, ad reliquos Chriſtianos ad Ptolemaidem delatus eſt.

DE ORIGINE ORDINIS TEVTONICORVM MILITVM.

CVm in Ptolemaidis obſidione, quæ præter ſpem omnium protrahebatur longius, ex dyſſenteria multi laborarent, ac non pauci eodem morbo quotidie abſumerentur, multi quoq; ab hoſtibus aut telis icti, aut in prælijs vulnerati, miſerrimè ac ſine aliorum commiſeratione in caſtris vagarentur: Ciues quidam ex Lubicenſium & Bremenſium ciuitatibus, qui cum nauibus eò venerant, miſericordia moti, velis nauium in terra expanſis, quaſi Papiliones erexerunt, affectosq; milites in tabernacula illa ſuſceptos, omnibus quæ ad ſanitatem corporis faciebant affatim exhibitis, curabant. Erant in caſtris, Fridericus filius Friderici ſecundi dux Sueuiæ,

Henricus

Anni Christi.

Henricus dux Brabantiæ. Hi duo Germanorum militum Duces ab omnibus creati, ſtrenuam oppugnanda Accone, quæ & Ptolemais, operam nauabant. Accidit vt aliqua die Dux ille Fridericus tentoria Lubicenſium ac Bremenſium, in quibus ſaucios morboq; affectos curabant præteriret: ac cùm vidiſſet eorum eleemoſynas, & alia quæ in pauperes exhibebant officia cognouiſſet, ſuſpirijs ex imo corde ductis, dixiſſe fertur: Ciues hi beneficia & pietate omnes Principes, qui adſunt, longè ſuperant. Eſt profectò hoc opus eorum eiuſmodi, quod Principibus & Baronibus, qui cæteris & opibus, & potentia præſtant, ſubeundum eſſet: Si modò aliquo mouerentur pietatis affectu. Nam ſi & ipſi miſerorum ſauciorumq; curam in ſe reciperent: faciliores omnes eſſent inferioris hominesfortunæ ad militiam pro Terræ Sanctæ recuperatione ſubeundam. His dictis ad ſuos regreditur, ac conuocatis omnibus, qui in Caſtris erant, Principibus, ea de re cum ijs conſultat. Erant autem præſentes, Henricus Rex Hieroſolymæ, Albertus Patriarcha Hieroſolym. Archiepiſcopi & Epiſcopi. Henricus Dux Brabantiæ, Dux Auſtriæ, Duces Bauariæ Dux Brunſuicenſis, Dux Saxoniæ, Philippus Dux Sueuiæ, Friderici frater. VVilielmus Comes Holandiæ, Otto Comes Geldriæ, Theodoricus Comes Cliuenſis. Hermanuus Landgrauius Thuringiæ, Landgrauius Haſsiæ, Landgrauius Miſniæ. Comes Gulicenſis, Comes Bergenſis, Comes Naſſauienſis, Comes Hennebergenſis, Comes Spanheimenſis, & complures alij Principes. His præſentibus, Fridericus quæ in animo agitabat, proponit: Se videlicet vidiſſe Ciuium in pauperes benefacta, quæ res cùm ad Principes pertineat, eum in hanc ſententiam perduxiſſet, vt in animo haberet Ordinem quendam Germanorum militum, ex Nobilium proſapia electum, inſtituere, quorum in primis eſſet, curam pauperum in Terra Sancta exiſtentium, in ſe recipere. Deinde vt armis tam Terram Sanctam quàm alios Chriſtianorum fines tutarentur. Erant tunc confirmati Templariorum & Iohannitarum Ordines. Ex horum obſeruantionibus medium quoddam eligitur, cuius ductu Fratres illi vitam ſuam regerent. Placet propoſitum omnibus, promittuntq; quiſq; ſuam operam. Conceditur eis, ex Regis largitione, Domus hoſpitalis Hieroſolymis, quæ S. Mariæ dicebatur, à qua & Ordini nomen eſſe debebat, vt videlicet milites Domus hoſpitalis S. Mariæ in Hieruſalem appellarentur. Mittuntur Legati ad Henricum Rom. Imperatorem, petitum, vt hanc Ordinis Teutonicorum militum conſtitutionem ſua autoritate firmam eſſe iuberet, & ſi quibus vellet, eum Ordinem priuilegijs ornaret. Inſtaret quoq; apud Rom. Pontificem, vt ſuo quoq; calculo eadem faceret rata. Henricus Imperator fratris aliorumq; Germanorum Principum acta, & propoſitum laudat, probat, ſuosq; Legatos cum ijs, qui ad ſe miſsi erant Romam, ad Cœleſtinum III. qui nuper Pontificatum inierat, deſtinat: pro confirmatione Ordinis, non tam honeſti quàm ſummè neceſſarij, vt tum apparebat, orat. Pontifex audita Principum voluntate, quó & eorum gratiam aucuparetur, Ordinem confirmat, quædam in regula viuendi addit, quædam mitigat, ita vt Militibus & Nobilitati Germanicæ conuenire optimum putabat, deditq; eis Veſtem albam cum nigra cruce inſignitam, qua ab alijs dignoſcerentur. Clipeum quoq; album cruce nigra ornatum addidit. Multas denique Pontificias remiſsiones peccatorum, & alias, vt vocant gratias conceſsit ijs, qui aut Ordinem ſuſciperen, aut ſuis bonis & facultatibus eundem honorarent & promouerent. Conceſſa eſt eis quoque libertas creandorum equitum auratorum vt vocant, qua dignitate ipſis Regibus ſunt comparati. Hæc Ordinis illius primordia fuerunt. Quæ & quanta autem per hunc

Ordi-

Ordinem ſunt geſta,& contra infideles Barbaros perpetrata, ſingulari opere indi-
gent. In quo Clariſsimum virum D. Georgium Sabinum Oratorem & Poëtarum
noſtri ſeculi facile Principem laborare iam dudum ſcio. Quare eiuſdem lucubra-
tiones expectans, de cæteris huius Ordinis geſtis, quæ in Chronologia non ſunt in-
dicata, ſcribere ſuperſedeo.

Friderico primo aquis, vt dictum eſt, ſuffocato,Henricus filius eius primoge- 1190.
nitus ab Imperij principibus ſufficitur. Quia & viuente Patre in Regem Romano-
rum (quos olim Cæſares appellarunt) fuit electus. Huic ab initio Colonienſes, &
alij quidam Principes cum Burgundiæ comitibus rebellarunt: ſed cùm Epiſcopus
Leodienſis, qui rebellionis,vt exiſtimo,fuerat autor, eſſet occiſus, reliqui omnes pa-
cem petentes,mulcta impoſita,cum Henrico in gratiam redierunt. Hunc Cœleſti-
nus Papa corona Imperiali inſigniuit, eiq; ConſtantiamRogerij filiam è monaſte-
rio eductam vxorem dedit, ea conditione,vt dotis nomine Regnum vtriuſq, Siciliæ
peteret,pulſoq; Danckredo, poſsideret, reſeruato cenſu, qui Pontifici feudatario iu
re quotannis ſolueretur. Atq; hoc modo Sueuorũ duces Siciliæ regnũ obtinuerunt. 1197.
Platin. &c Henricus VI á Papa Cœleſtine ſolicitatus, vt bellum in Aſiam, recupera-
ta iam Sicilia, transferret,cúm ipſe per ſe obire id non poſſet, miſit Conradum Mo-
guntiæ Archiepiſcopum,Henricum ducem Saxoniæ,Leopoldum Ducem Auſtriæ,
Ducem Brabantiæ, & Hermannum Landgrauium Thuringiæ, cum multis alijs
Principibus, Comitibus,nobilibus,&magna atq; fideli principibus exercitu. Hi cùm
peruenissent in Iudæam, Berythum à Saracenis derelictum muniuerunt & Ioppen
obſidione preſſam liberarunt. Audito veró Henrici Imperatoris morte, cúm nihil
ad gloriam amplificandam egregij præſtitiſſent, in Europam reuerſi ſunt.

Poſt Henrici Imperatoris mortem, varij motus in Imperio extiterunt. Elege- 1198.
rant Germaniæ Principes Fridericum Henrici filium in cunis adhuc vagientem. Sed
cùm pater opinione prius decederet, & Fridericus ipſe per ætatem Reipublicæ præ-
eſſe non poſſet, neglecto, quod dederant, iuramento, paruulum regem abiecerunt
& quibus poſſent modis Imperium à Friderici Barbaroſſæ ſtirpe ad alios transferre
conabantur. Philippus Henrici frater, cùm Regalia ſecum haberet inſignia, quó &
ſibi & nepoti Imperium reſeruaret incolume, ſummo ſtudio Principum Germano-
rum animos ſibi conciliat. Sed dum hæc agit, eligitur à quibuſdam adverſæ fa-
ctionis, Bertholdus dux Zaringiæ, in ImperatoremRom. non quòd vel virtute vel
potentia cæteris præſtaret: Sed ob id,quòd pecunioſus eſſet valdè. Multos enm pe-
cuniarum aceruos auaritia & iniquitate ducibus collegerat. Philippus conuentu
Principum & Imperij ciuitatum in oppido Mulhuſen conuocato, à Sueuis, Saxo-
nibus, Bauaris, & Boëmis, & á principibus Rheni in Regem eligitur. Quod Ber-
tholdus intelligens, cùm virtute bellica Philippo multum eſſet inferior, Regio no-
mine abdicato,cum Philippo legitimó Rege in gratiam redijt. Interea Colonienſes
& Argentinenſes per Legatos Ottonem Saxonem ex Anglia euocatum Regem cre-
ant, quem Adulphus Colonienſis Præſul in ſede Regni coronauit. Ortum eſt ex hoc
Imperij ſchiſmate, tantum per totam Germaniã diſsidium, cùm Papa Sueuis infen-
ſus, ob Siciliæ dominationem, quem ipſe ambiebat, Ottonem in Regno confirma-
ret, vt nulla parochia cum altera conſentiret. Vnde Romano Pontifici non pa-
rum fuit lucri, ex compoſitione litium inter Spirituales: D qua Vrſpergenſis Abbas
ita ſcripſit (quæ ob id refero, vt Sanctitatem Romanam, & qua occaſione tantas
acquiſiuerit diuitias agnoſcas) Vix remãſit(inquit)aliquis Epiſcopatus ſiue dignitas

Eccle-

Anni Christi. Eccleſiaſtica, vel etiam Parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa,&Romam de duceretur ipſa cauſa, ſed non manu vacua. Gaude mater noſtra Roma,quoniam aperiuntur cataractæ Theſaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nũ morum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare ſuper ad-

Vera laus Romanæ Curiæ. iutrice tua DISCORDIA, quin erupit de puteo infernalis abyſsi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod ſemper ſitiſti,decanta canticum, Quia per maliciam hominum, non per tuam Religionem vrbem viciſti. Ad te trahit homines non ipſorum deuotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio,& litium deciſio,precio comparata. Hæc Abbas ille,quæ ſi quis paulò ante noſtram ætatem in publico dixiſſet, hæredicus dictus igni traditus fuiſſet, Quæ tamen Religioſus ille dicere non abhorruit.

1199. Innocentius III. Anagninus,è familia Comitum Ottonem IIII.Imperatorem corona cinxit.Concilium apud Lateranum celebrauit.Almericum hæreticum,qui dicebat,ideas in mente diuina creare &creari,cremari apud Pariſium mandauit.Decretales alioſq; libros complures compoſuit: Ædificia aliqua conſtruxit. Turrim quam nunc Comitum dicunt,magnis & ſuperuacaneis ſumptibus excitauit.Volat. S. Spiritus hoſpitale Romæ extruxit. Plat.

1202. Petrus Rex Aragonum Regnum ſuum feudarium fecit Papæ Romano, cum omnibus ſuis ditionibus, Vt ſic ſalutem animæ meretur. Spec. 30. cap 91.

1204. Hoc anno Ordo gladiferorum fratrum in Liuonia cœpit,autore Adelberto Rigenſi Epiſcopo. Veſtem albam rubenti gladio cum ſtella inſignitam gerebant. Regula eis cum Templarijs communis erat. Priuilegio à Papa Innocentio omnes quas in Liuonia & circa terras ſubigerent,poſsidebant,Horum virtute magna pars Liuoniæ ſubacta. At cùm Cruciferi Fratres Ordinis Teutonici in Pruſsia potentes fierent, depoſita ſua regula,Papa ſic volente, Teutonicis ſunt vniti. Chron. Oord. Teut.

1208. Iohannes Angliæ rex,qui prouentus Eccleſiæ ſex occupauerat annos, ab Innocentio excommunicatur, qui ad Pontificis miſericordiam confugiens, Angliam Hiberniamq; præter Petri nummum, Romanæ Eccleſiæ feudatarias ex fœdere conſtituit, centum auri marcas pro vtraq; Inſula quotannis ſoluere eſt pollicitus.

1210. Blond. lib.6. dec.2. Polyd lib. 15. Albianorum hæreſis,quæ in comitatu Toloſano (Hiſpanniæ regio eſt) inualuit,ea fuit,quòd corpus Chriſti in pane Euchariſtiæ,ita vt in alijs rebus, eſſe cenſuerunt. Æmil. lib. 6.

1212. Otto IIII. poſt coronationem ſuam terras Eccleſiæ contra iuſiurandum occupauerat,Siciliæq; regno Friderici Henrici filij,multa vi &armis detraxerat. Quare & excommunicatus, & Fridericus ab Electoribus in eius locum electus fuit. Veniente tandem Friderico Romam, cùm in Germaniam iter faceret,Papa inter Ottonem & Fridericum pacem facere conatus eſt: ſed nihil ab Ottone obtinens,eius excommunicationem multô vehementiorem literis per orbem diuulgauit. Quam Otto parui faciens,Friderico II. Aquis coronando bellum inferre parabat: deficien-

1215. tibus autem ob Pontificis Bannum omnibus Germanis, magno cum periculo in Saxoniam peruenit, & ſic de Regno pellitur, & Fridericus Aquiſgrani coronatur. Concilium quod Romæ celebratum eſt, omnes Chriſtianitatis Reges, aut per ſe

1216. aut per Legatos,vnà cum præcipuis ex toto orbe Patriarchis, viſitarunt. Sed quæ in hoc acta ſunt,in libro Conciliorum habentur. Reges &Patriarchæ ab Abbate, Vrſpergenſi recenſentur. Honorius III. Rom. Pontifex in his celebris habetur, quod

Frideri

Fridericum I I. ius ſuum in Siciliæ & Apuliæ Regno liberè vſurpantem ſacris interdixit. Quæ lis Teutonicorum Ordinis magiſtri interceſsione, ad tempus eſt compoſita, vt Chronicon Ord. habet. Petrum Altiſiodorenſem Imperatorem Conſtantinopolitanum, cum Iole vxore, in Baſilica Laurentii extra mœnia diademate redimiuit. Iohannem Cardinalem Columnenſem legatum cum copiis in Aſiam miſit, quas Innocentius contraxerat. Volat. Plat. *Anni Chriſti.*

Conradus Dux Maſouiæ, cùm à Prutenis grauius oppugnaretur, audita Teutonicorum militum virtute, ad occupandam terram Prutenorum eos inuitat, Conceſſa eis terra, quæ Culmenſis dicitur, ex pacto, Ac ſi quæ præterea armis occuparent, ea tanquam ſua poſsiderent. Cruciferi acceptant oblata, auxilia per totam Germaniam contrahunt, ac mediocri, ſed virtutibus armato exercitu Pruſsiam intrant. Quæ in ea bello paceq; præſtiterunt, non ſunt huius loci, nec mearum virium, pro dignitate enarrare. Populus agreſtis & Dæmoniorum cultui deditus in ea terra habitabat: Quod reliquiæ in hodiernum diem teſtantur. Religio eorum ſumma, cum Moſis inſtitutione de ſacrando & immolãdo Hirco in feſto propiciationis, in multis conueniebat. Quem Sanctificandi hirci morem Sudauii (qui in Sembia ad mare habitant, vbi & Succinũ eorũ opera hauritur ex mediis fluctibus) ad hunc diẽ (licet manifeſtè non auſint, prohibente eorũ nefas pio principe Alberto) obſeruare dicuntur. Hinc eſt, quòd quidã putant, huius populi originẽ à Iudæis, vel ab Iſraelitis, à Salmanaſſare abductis eſſe, de quibus aliàs copioſius dicendũ eſſet, niſi Sabini operã expectarẽ, qui vt ſuprà dixi, res Ordinis &c. conſcribere dicitur. 1217.

Gregorii IX. acta cum Friderico in Chronologia habes. Prima excõmunicatio ei ob id contigit, quòd ſe periculo pro Terra Sancta obeundo, contra Papæ voluntatẽ, immiſcere nollet. Papa n. vt acta eius probant, Siciliæ Regna quærebat, vndè & Imperatorem Regnorũ heredẽ libenter extinctũ vidiſſet. Papa verò Gregorius Dominicum & Antoninũ Vliſponenſem, ac Eliſabethã Pannoniæ regis filiã inter ſanctos retulit. Hoc Pontificante (ut eorũ verbo vtar) Populus Rom. iterũ ad priſtinã libertatẽ & magiſtratuũ, Coſulumq; Ordines ſpirauit, Annibale quodã præpotenti ciui autore. Hic munus Senatoriũ cum Pandulho Sabello obiuit. Iam Senator (vt Raphael eſt autor) more veterum rogabat, populuſq; ſciſcebat, ac omnia prope oppida in poteſtatẽ redegerat. Quod malũ latius ſerpere, & Tiberis inundatio, & peſtes ſubſecutæ, prætere a Gregorii ad Vrbẽ aduentus prohibuerunt. Gregorius n. ad Vrbẽ veniens, Annibalem Senatorio munere deiecit, nihil in eum vlterius animaduertens. Blond. 17. lib. Raph. Vol. lib. 22. Plat. Secundus Bannus Friderico propter Medio lanenſes fuit indictus. Tertius iterùm ob eoſdẽ. Sed in tertia excommunicatione Fridericus fortem ſe præſtitit, Nam cum Papa conuocaret Concilium Romæ celebrandũ, quod Fridericum Regnis exueret, Fridericus Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & quicquid Romã peteret itineribus præcluſis quæ Romã ducerent, cepit. Cardinaliũ quoſdam mari immerſit: qua rei indignitate Sanctiſsimus ita motus eſt, ut ex animi dolore mortem obierit: Nihil ſe VVelfina factione à morte defendente. Cœleſtinus IIII. huic ſuccedens, ob vitæ breuitatem nihil memoria dignum facere potuit. Vacauit hinc Sella Romana menſes XXI. ferè, donec Cardinales à Friderico capti opera Balduini Conſtantinop. Imperat. reſtituerentur. Innocentius IIII. hinc Pontificatum accepit. Is Fridericũ II. quẽ antea magnopere amicũ, in Pontificatu inimicum habuit. Quapropter eius irã fugiens in Gallias transfretauit, vbi liberè contra

1227. 1238. 1241. 1243.

Anni Chriſti.

eum ſententias ſuperiorum Pontificium approbauit, Concilio ad hoc Lugduni conuocato. Vincentius hæc acta dicit anno Chriſti 1245. ab initio lib.32. Hic Cardinales vt pileo vterentur Roſeo, & equo veherentur, inſtituit. Petrum ordinis Prædicatorum martyrem, & Stanislaum Præſulem Cracouienſem inter ſanctos retulit. Volat. Ad Tartaros quoq; legatos miſit Monachos

1247. Prædicatorum ordinis, qui eos ad pacem & Chriſti fidem adhortarentur, literis ſuis ea de re ad ipſos deſtinatis. Tantam ſibi autoritatem apud Barbaros eſſe putauit Papa, vt ſperarit Barbaros immaniſsimos ſtatim inſpectis literis ſuis, colla ſubmiſſuros Beſtiæ, iuſſaq; eius facturos eſſe. Vinc.lib.13.cap.2.

Eodem tempore cùm Henricus Landgrauius Thuringię Rom: Rex electus eſſet, Conradus Friderici filius collecto exercitu, bellum Henrico intulit: ſed ſine difficultate victus multos ſuorũ amiſit, & magna pars nobilitatis ſuæ capta eſt. Henricus indè ab iis, quibus electio eius diſplicebat, contemni cœpit ac Clericorum Rex dici. Papa tamen omnes Principes Alimanniæ per legatos ſolicitauit, vt Friderico & Cõrado relictis, Henrico parerẽt electo. Henricus interea, cùm finem viuendi feciſſet, Papa Innocentius non ceſſauit Friderico nouum hoſtem opponere: miſitq; in Germaniam Legatum Petrum Caputium Cardinalem, qui vocatis Coloniam Principibus Electoribus, effecit, vt VVilhelmus Comes Holandiæ, vir impiger ad arma, Rex eligeretur. FVERVNT hoc tempore in Sueuia Prædicatores, qui contra Pontificẽ Romanum & Cardinales, magna dicendi libertate veritatẽ profiterentur, Friderici II. & Conradi cauſam iuſtificantes, auſi ſunt dicere, Apud ſummum Pontificẽ Cardinales & Epiſcopos, nullã reſidere autoritatem, quoniam omnes vna labe Simoniæ maculati eſſent, nec quicquam tenere poteſtatis à Chriſto. Et quod Sacerdotes in mortali conſtituti peccato, neq; ligarent, nec ſoluerent, nec conſecrarent (Quod niſi interpretetur commodè, nimis vehemens dictũ eſt) Quod nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet diuinis officiis, quodq; ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impunè. Et in fine ſuæ prædicationis: Indulgentiam, inquiunt, quam annunciamus, non à Papa confictã non à Prẹlatis compoſitã, ſed ex DEO omnipotenti vobis annunciamus. Conradus Rex cùm tueretur hos Romanæ ſedis hæreticos (ita.n. veritatis confeſ-

1250. ſores appellant) penè incidit in capitis periculum. Fridericus II. accepto triſti nuncio, de capto à Bononienſibus Henrico filio, à quib. diutiſsimè tentus eſt in Apuliam mouens morbo corripitur, à quo cùm conualeſcere inciperet, à Manfredo filio impoſito ori puluino oppreſſus à nonnullis memoratur. Hic Manfredus Siciliæ Regna poſtea retinuit. Conradus Friderici filius ex Regina Hieroſolymitana Iole dicta, patri in Imperio ſucceſsit: is à Papa quoq; excommunicatus fuit: apud Francofordiam à VVilhelmo (vt quidam tradunt) Landgrauio Thuringiæ victus, cùm ſe à Germanis derelinqui videret, in Apuliam redijt, ad Siciliæ Regna à patre ſibi relicta, vbi non longè pòſt, Manfredi opera veneno eſt extinctus. Reliquit filium Conradinum Sueuiæ ducem & regnorum hæredem.

1254. Regnauit hinc VVilhelmus Holandiæ Comes ſolus, duobus ferè annis, ſed nihil pro tanta dignitate fecit memorabile. Poſt hoc interregnum fuit, ſub quod duobus Imperii ſpes facta eſt, Hiſpano atq; Anglo: ſed cùm alter metu alterius nihil attentaret, Imperium quaſi acephalon per id temporis fuit, donec Rodulphus Comes Habſpurgenſis eligeretur, de quo poſtea.

1255. Mandauus Lituaniæ rex cùm eo tempore Baptiſma, à Cruciferis Pruſsi-

Do

Dominis ad id perſuaſus,acciperet,nō potuit euadere, quin in Romani Pontificis rete incideret. Coronam.n. Pontificis iuſſu à Magiſtro Ordinis Teutonici,& Baptiſma ab Epiſcopo Rigenſi accepit.Sed nō diu manſit in fide Mandauus,vt in Chronologia dictum eſt. Cæterùm de gentis illius Lituanorum origine,cum clariſsimos non longè ab hoc tempore Polonis reges dederit,libet referre,quæ Polonorum annales ea de re continent. Ab Italis hos originem ſuam habere dicunt,quod & lingua eorum indicare videtur. In plæriſq. .n.Italicum vetuſtum quoddā reſonat,iis recedentes ab Italia (ob varios motus, vt ego coniicio,in ea exortos, ſed quo tempore incertum eſt) in eam Regionem, quæ nunc Lituania eſt, peruenerunt. Itali ipſi Italiam terram illam nominarunt,cui vulgo,articuli litera adiecta,Litalia nomen eſt inditū,quod temporis ſucceſſu, à Ruthenis atq; Polonis magis corruptum Lituania: gens verò Lituani dicitur. Hi primùm vrbem condiderunt, quā ex ducis Vilii nomine,Vilnam dixerunt,ea nunc metropolis Magni Lituaniæ ducatus eſt. Ea gens ſuperiorib.annis adeò obſcura,contempta,viliſq; Ruthenis fuit,vt Principes Kiouienſes ab ea ſola perizomata&ſuberat ob egeſtatem&ſoli ſterilitatem,in ſignum ſubiectionis exigerent. Sed cùm Vithenes ſemetipſum per rebellionem Lituanorum Principem conſtituiſſet, aſtu & virtute bellica Ruthenos ita contriuit,vt ſenſim maiores vires acquirens, eos ſub iugum deniq; miſerit,aurumq; & res alias precioſas in tributum ſibi pendere coegerit, quibus antea ſuber in ſeruitutis ſignum pependerat. Chrono.Polo.lib.4.c.39.

Alexander IIII. Papa Romanus bellum cum Encelino & Manfredo geſsit 1256. (vt ibi dictū eſt)Clarā Virginem Aſiſinatem,Franciſci Sororem,inter ſanctos retulit. Volat. Vrbanus quartus,præter ea quæ in Chronologia diximus,nihil fecit hiſtoria dignum,niſi quòd Thomæ Aquinatis inſtinctu Feſtum corporis 1256. Chriſti feria quinta poſt Trinitatis celebrandum inſtituit.Maſſ.Nota tamen, quomodo Manfredo vi ademerit Siciliæ Regna,eaq; Carolo contra ius faſq; dederit,ex quo furto manifeſto cædes multæ ſunt patratæ. Abſente hoc Pontifice(Peruſii namq; erat)Romani iterū libertati ſtudentes, Bandereſios creant nouos magiſtratus,qui vitæ neciſq; haberent poteſtatem.Senatorē priuatum hominem,quendā,Brancaleonem Bononienſem legerunt,quem paulò poſt fugatū iterùm reuocarunt. Clemens IIII. Narbonenſis, Iuris ſcientiſsimus, duas filias habuit ex matrimonio ei natas,quarū alteri CCC. libras Turonenſes pro dote aſsignauit: Alteri ſacræ Virgini XXX. Nepotem ex fratre tres obtinentē præbendas,duas relinquere coegit. Hic Conradinum Conra- 1266. di Siciliæ Regis filium Regnorum hęredem Carolo Francię Regis fratri prodidit. Nam cum Conradinus,magno Germanorum exercitu Viterbiū tranſiret,vbi tum Papa degebat,dixiſſe fertur.Clemens:Conradinum tanquā agnū ad cædem duci.Quo ſe proditionis conſcium eſſe non diſsimulauit. Deinde cùm circa Neapolim cum Carolo confligeret,& initio ſatis haberet Victoriæ, proditione ſeſe aperiente , Conradinus & Henricus dux Auſtriæ capiuntur, Qui in captiuitate miſerè tractati & irriſi,tandem iuſſu Papæ Clementis etiā decollati ſunt. Sic regnum Neapolis ad Gallos deuenit, & Ducatus Sueuiæ, Romani Pontificis improbitate ceſſauit. Conradino mortuo Teutonici ibidem quendam de Ochſenfurt,fabri filium,nomine Stoch,regem ſtatuunt,licet plurimùm renitentē,qui ſenſim ab exercitu ſe ſubtrahens,poſt octo menſes ad incudem in Patriam eſt reuerſus. Sabel.lib.7. AEne. 9. Poſt Clementis mortem Sella Pontificia vacat duobus annis , eò quòd nullus tàm ſceleſtus

Anni Chriſti. (Sanctus volebam) inueniri poſſet, qui ſuperioribus dignè ſucceſsiſſet. Tan-
1272. dem Gregorius X. inuentus eſt dignus ſucceſſor. Hic ante omnia pacem inter Genuenſes & Venetos diu conçertantes conſtituit. Deinde Florentinos Pontificis oppida inuadentes ſacris interdixit, proficiſcens in Galliam Lugduni Concilium celebrauit. In quo Michael Paleologus Imp. Conſtantinopolita-
1273. nus cum Romano dogmate rurſus conuenit, cum eius maiores duodecies antea conueniſſent, ſemperq; deſciuiſſent. Interfuit & Philippus Rex: Papa Romam reuertens, ac iter propè mœnia Florentinorum faciens, eos interdicto iam ferè triennali ſoluere noluit. Volat. Ceterùm hic Gregorius in ipſo quoq; Concilio ſtatuit, vt defuncto Pontifice. Cardinales clauderentur in conclaui quodã ſine cibo & potu, donec vnanimi conſenſu aliõ P P. elegiſſent. Gregorio pontifice electoribus inſtante vt idoneum quendam Romano Imperio uius Alſatiæ, poſt longam vacationē Imperij, & ciuilia bella, communi Prin- principem in Regē eligerent, Rodulphus, Comes Habſpurgenſis, Landgracipum voto electus eſt in Imperatorem Germaniæ & Romanorum, penultima Septembris die. Hic cum Papa Lauſannæ conueniens in Imperio confirmatur, vt hi verſiculi teſtantur.

Bis ſexcenti ſeptuaginta treſq; ſtetêre
Anni, Lauſann dum Rex & Papa fuêre.

Et quanquam iniunctum illi eſſet ab Electoribus, vt proficiſceretur intra annum Romam diadematis cauſa, tamen nunquam hoc fecit, ſemper publicas occupationes in publico prætendens, priuatim verò dicere ſolitus, Cæſarū veſtigia læta ac magnifica videri in Italiæ introitu, ſed in exitu triſtia, miſera & luctuoſa: alludens ad illud Æſopici, de Vulpe & Leone, vbi Vulpecula dicebat, ſe quidem videre multa introeuntium veſtigia (in ſpeluncam Leonis, ſcilicet, ad quam venire inuitabatur) ſed exeuntium paucisſima. Miſit tamen Rodulphus Locum tenentem in Italiam, quem vrbes magna parte ſuſceperunt.

1275. Innocentius V. Ordinis Prædicatorum monachus PP. factus eſt. Vol. Huic Hadrianus V. ſuccedens Innocentij IIII. fratris filius fuit. Qui ambo nihil Pa-
1278. pa dignum egerunt. Iohannes verò XXI. Vliſiponenſis vir admodum literatus fuit, & multa ſcripſit, verùm rebus agendis parùm prudens. Is Viterbij ex ruina conclauis moritur. Huic Nicolaus III. ſuffectus ex Vrſinorum genere, ob morum hypocriſim Vrſinus compoſitus vulgo dictus. Hic Carolo II. Siciliæ Regi maximè inimicus fuit, eoq; de officio Senatorio deiecto, inſtituit, ne quis Princeps eum locum deinde obtineret. Petrū Arragonem ratione Conſtantiæ vxoris, quæ regina Siciliæ nata erat, ſolicitauit, vti Siciliam inuaderet. Ædificia Eccleſiarum quædam reſtituit, In vno laudandus, quòd notarios & Tabelliones, vt pauperū ſanguine victitantes, abs ſe reiecit, In vno præcipuè accuſatus, quòd quæ alijs iuſtis de cauſis erepta eſſent, non Reipub. ſed ſuis amicis conferret, inter quæ & Surianum ijſdem contulit, vbi & mortuus eſt.
1282. Vol. Martinus IIII. cùm Petrum Arragonem claſſem contra Siciliæ regnum clàm parantem, interrogaret, Quid ſibi apparatus vellet? reſpondit Petrus: Se interulam laceraturum fore, ſi illam putaret cogitationum ſuarum conſciam eſſe, Quod dictum Metelli Macedonici prius fuit. Quare PP. indignam fore
1286. expeditionem ratus, eum ſacris interdixit, bonorum eius præda impunè diripientibus conceſſa. Petrus verò hæc nihil curans, Siciliæ Regnum obtinuit. Honorius IIII. huic ſuffectus in Auentino habitauit, vbi & ædes nouas extruxit, quæ & Volaterrani temporibus adhuc ſteterunt. Hic Petrum Arrago-

nem

nem quoque ſacris prohibuit, eò quòd Sicilia non abſtineret, atq; eam Papali auariciæ relinqueret. Ordinem Eremitarum confirmauit. Carmelitanis album aſsignauit amictum. Vol. Nicolaus IIII. Ordinis Minorum Pontificatum hinc obtinuit. Hic Petrum Columnam in Patrum collegium adoptauit: cæterùm nihil egit memoria dignum. 1288.

AdolphusComes Naſſauienſis in Imperatorem electus eſt, qui apud Rodulphum, in magna æſtimatione fuerat. Ad hæc erat frater Adolphi Moguntinus Archiepiſcopus Elector, cuius auxilio Regni titulum im petrauit. Hic ob paupertatem & infortunium, quod ei in omnibus actionibus publicis aderat, Electorum conſenſu iterùm ab Imporio eſt remotus: Atq; Albertus dux Auſtriæ in locum eius ſuffectus. Quod cùm ægrè ferret Adolphus, bellũ contra Albertũ parat: congrediuntur aciebus in Campo VVormacienſi: committitur pugna ſatis atrox per dimidiũ diei. In ea pugna cadit Adolphus: quo occiſo Albertus Aquiſgranum profectus coronatur in Regem Romanorũ. Ab hoc Alberto familia domus Auſtrię deſcendit, quę vſq; ad noſtrã ętatẽ potentia & reb. bellicis cęteris Germanorũ familijs, vt plurimis ſemper prẹſtitit. 1292.

Petrus Moroneus ex Eremita Pontifex creatur, Caroli II. Regis & Latini Cardinalis fauore, ac dicitur Cœleſtinus V. Hic magis ſolitudini natus, quàm rebus agendis perſuaſus à BenedictoCaietano, qui poſtea Bonifacius VIII. dictus eſt, & eius ſucceſſor fuit: ſeſe Pontificatu menſe VII. abdicat: ac dum ad ſolitudinem redit, ſucceſſoris iuſſu retrahitur, atq; in arce Fumonis captus includitur, in qua non longe pòſt ex mœrore obijt, miraculis poſt mortem clarus, vndè & à Clemente V. Auenioni inter Sanctos relatus eſt. Celebritas eius ad XIIII. Cal. Iulij eſt inſtituta &c. Vol. Platin. Ab hoc Cœleſtino Ordo Cœleſtinorum nomen & origenẽ habet. Benedictus proditor eius ſuffectus eſt, eodẽ die quo is ſe abdicaret Pontificatũ, dictuſq; eſt Bonifacius VIII. de quo vulgò dictum eſt: Intrauit vt vulpes, vixit vt Leo, mortuus eſt vt canis. Hic Iubilæum inſtituit primus, ac celebrauit anno 1300. quo & Turcorum Potentia per Othomanum in Aſia cœpit. BaſilicamB. Petri tintinnabulis æreis exornauit (Volateranus dicit, nihil dulcius eorum ſonitu audiri: quod an certum ſit, neſcio) Vectigalia eius Baſilicæ longè adauxit. Cum Francorum Rege Philippo, & Columnenſium domo graues exercuit inimicitias: ex Columneſibus duosCardinales depoſuit, Philippum regno deijcere ſtuduit: qua de re Gallici cuiuſtam ſcriptoris verba adijciam. Anno 1301. inquit, Bonifacius ſcripſit Philippo Franco, ſe eſſe dominũ (Nota, vt intelligas dictum Pauli 2. The. 2.) omnium tam temporalium quàm ſpiritualium per orbem terrarum. Conſequenter & regnum Francię à ſe debere ſuſcipi. Quod quia non fecerat, meruiſſe priuari. Rex autem contemptis legatis, literas ipſorum igni publico tradidit, vias regni pręcluſit, ne quis poſſet Romam accedere: Concilioq; Pariſijs conuocato, Pontificem ipſum ſchiſmaticum, hęreticum, ſediſq; inuaſorẽ nominans, ad generale conciliũ aduerſus eum appellauit. Anno ſequenti Bonifacius Romæ Synodum contra Philippũ tenuit (ita loquitur ille) in feſto omnium Sanctorũ, ſed non inuenit, quod illi iuſtè imponeret, diſsidente Concilio. At anno de hinc proximo excommunicauit eũ, quòd vias præcluſiſſet, & Epiſcopum quendam eieciſſet, & inueſtituras Eccleſiarũ vſurpaſſe diceretur, eiuſq; Regnum Alberto Imperatori (quem nuper ſupplicem ſpreuerat) vltrò tradidit, pauloq; pòſt Anagniæ à gente ſua (erat enim Anagnius) & à domeſticis ſuis captus eſt 7. die Septembris, omniſq; Theſaurus eius prędę patuit. Hæc 1294.

 Maſſeus.

Anni Chriſti. 1306. Maſſeus. Benedictus XI. qui huic Vulpeculæ ſucceſsit, Taruiſinus Ordinis prædicatorum monachus fuit, is Cardinales Columnenſes,& Philippum regem reſtituit. De interfectoribus Bonifacij quæſtionem egit,& nihil vltra: Peruſij moritur. Vbi poſt longam Patrum concertationem Clemens V. ex Vaſconia, Præſul Burgdegalenſis abſens creatur, qui ſtatim Cardinales in Galliam vocat, ad Auinionem vrbẽ, vbi ſucceſſores eius manſere annis LXIIII. Librum Clementinarũ abs ſe compoſitum edidit in Viennenſi Concilio. In coronatione huius Pontificis, quæ Lugduni facta eſt, tanta hominum multitudo confluxit ex Gallis, vt Iohañes Britanniȩ Dux cum multis alijs ruina muri occubuerit, Philippus Rex parte corporis læſus, Pontifex quoq; ipſe turba ingenti oppreſſus, vix mortis periculum euaſerit. Templariorum Ordinẽ deſtruxit, eorum bonis Rhodijs militibus conceſsit. Venetos ob Ferrariã occupatam, itemq; Florentinos & Lucenſes ſacris interdixit. Tres Legatos ex Ordine Cardinalium ad regendam Italiam miſit. Volat.

1308. Henricus VII. Lutzelburgenſis dictus, in locum Alberti Imperatoris eligitur concordi electorum ſuffragio: Aquiſgrani cum Margareta vxore Corona Caroli Magni coronatur. Filium Iohannem regem Bohemiæ in comitijs Spiræ deſignauit, deſponſata ei filia regis Bohemiæ. In Italia multos ad obedientiam reduxit: ac cùm Siciliæ regnũ, ad quod à Siculis vocabatur, armis iam ad ſe pertrahere inſtitueret, à pſeudoreligioſo ex VVelfinorũ conſpiratione, qui ſe amicum imperatori diu ſimularat intoxicata hoſtia, quã bono Principi dum Euchariſtia ſeſe confirmaret, dederat, occiditur. Pius Princeps cùm ſentiret venenum ſibi datum, ſceleſtũ illũ vt fugeret admonuiſſe fertur, ac dixiſſe: Domine recedatis, nã ſi percipiunt Teutonici, & noſtri deuoti, morte moriemini. Qui Senas recedens, aurũ, quod ei in mercedem impietatis erat promiſſum, accepit. Sed hoc confratres ſuos non liberauit. Nam multi eorũ in Thuſcia & Longobardia & alijs locis vnà cũ dominib. igni gladioue perierunt. Par.

1314. Electores Francofordiæ conuenerunt, Moguntinus, Treuir, Colonienſis, Iohannes Bohemiæ rex, Rodulphus Palatinus, Rodulphus Dux Saxoniæ, Volckmarus, vel VVoldemarus Marchio Brandeburgenſis, in die Luciæ, ibi diſcordantibus ſuffragijs Ludouicus Bauarus à Moguntino, Treuirenſe, Bohemo & Brandeburgenſi: Fridericus Auſtriæ Dux à Colonienſi, Palatino & Saxone, electi ſunt. Ludouicus Aquiſgrani, Fridericus Bonnæ coronabatur. Ex qua diſcordia ingentia per Germaniam bella ſunt excitata. Sentiebant cum Bauaro ciuitates omnes inferioris Germaniæ vſq; ad Argentoratum, ex Heluetijs Berna & Solodurum, Sueuiæ ciuitates ferè omnes præter Vlmam. Friderico adhærebant Papa, Rex Ralliæ, Rex Hungariæ, Sueuiæ Nobiles, Palatinus & aliquot ciuitates: durauit hoc diſsidium annis ferè nouen, in quibus expeditiones aliquæ ſunt factæ, ſed cædes memorabilis nulla, donec Fridericus amiſsis bello copijs à Bauaro caperetur. Captus eſt autem à Nobile quodam Franco, cui Eberhardus de Mosbach nomen fuit. Is Burggrauio Noribergenſi captum tradidit: tandẽ compoſita in has conditiones pace, vt Fridericus Imperio ſe abdicaret, Ludouicus in Auſtriam eum reſtitueret, libertate donatus ad ſua redijt.

1317. Iohannes XXII. Portuenſis Epiſcopus, Lugduni renuntiatus eſt Rom. Pontifex, poſtquàm Sella ex diſcordia Cardinalium duobus ferè annis vacaſſet. Hic Thomam Aquinatem, & Thomam erſordienſem quendam cum Ludo-

nico

uico Toloſano preſule, fratre Caroli II. Ordinis minorum inter Sanctos retulit. Nouam militum Religionē inſtituit in Luſatia, quorum caput fuit oppidum Syluenſis Diœceſeos. Ludouicum Imperatorem Sacris interdixit, eò quòd Imperatorio nomine ſine aſſenſu Sanctiſsimi vteretur, & quòd ius Italicarum vrbium, in quibus præfectos ſuos diſpoſuerat poſt captum Fridericū, ante Coronationem vſurparet. Hinc multa diſsidia & Schiſma grauiſsimū ortum habuêre, quod malum 24. ferè annis durauit. Et quanquam Ludouic9 ſępenumerò pro abſolutione ſupplicaret, tamē nihil impetrare potuit, ita vt plęriq; præſtantes & docti viri, acta Pontificis approbare nō potuerint. Extat liber in his tumultibus ſcriptus, cui author titulū, Defenſor pacis, fecit, in quo de iure Imperatoris & Pontificis agitur. Ac cùm concludat author, Pontificē Imperatori ſubeſſe debere, Papa ſcriptores & lectores eius libri excōmunicauit, aliam rationem non habens, qua ſuam poteſtatē fictumq; ac furtiuum ius ſuum defenderet, quàm Banni fulmina ementita. Fratricellorum, qui & pauperes de Lugduno ſunt dicti, eò quod Lugduni cœperāt, Sectā damnauit Iohannes. Horum princeps erat Magiſter Michael Ceſenanus, miniſter Ordinis minorum. Docebant Chriſtum & Apoſtolos adeò fuiſſe pauperes, vt nihil haberent ſuum, nec in particulari, nec in cōmuni. Imperatorē Romanum non eſſe ſubiectum Romano Pontifici, niſi tantùm in ſpiritualibus (neminē poſſe ſaluari, qui aliter crederet. Per hos inprimis Ludouicus Imperator confortatus eſt, vt Papæ ſe conatibus viriliter opponeret, tali appellatione in omnes Imperij fines publicata. Nos Ludouicus Romanorum rex, proponimus aduerſus Iohannem, qui ſe dicit eſſe Papam, quòd Chriſti teſtamentū de pace malè exequitur, publicam Chriſtianitatis pacem perturbens: nec reminiſcitur à Sancto Conſtantino, id quicquid nunc habet honoris, latitanti Syluestro promiſſum, malè gratus Romano Imperio, vndè deſumpſit omnem, quo nunc abutitur, ſplendorem. BEGARDOS quoq; & Beginnas hæreticos, qui & in Vienenſi Concilio dānauit. Horū inſanus error erat, quod docerēt, Hominē poſſe in hac vita ad tantā perfectionem peruenire, vt amplius proficere nequiret: Ac talem hominē, nec gratia, nec gloria Dei amplius indigere, ſed eſſe omninò in ſpiritus libertate, nulli creaturę ſubiectū, non obligari ad obedientiā prælatorum, non orandum, non ieiunandū, non curandum de virtutibus, nō honorandum Euchriſtiæ Sacramentū, & ne cogitandum quidē de paſsione Chriſti, & alijs eius humanitatis beneficij, quod hæc omnia eſſent hominis imperfecti. Perfecto autē licere quicquid natura ſuggeſſerit. Ideoq; fornicari peccatū eſſe nō reputabant, At mulieri oſculum figere, mortale facinus. Maſſeus lib. 18. Ceterùm per hęc tempora Sanctiſsimus Papa Iohannes in hanc hæreſim incidit, quā & publicè eſt profeſſus, quòd doceret, Animas nō videre Deum ante nouiſsimā diem. Sic enim Pater eius docuerat, decept9 ex viſionibus Tandali, quę vulgò circūferebātur ſcriptis editę. Vidi eas nugas in mea iuuentute, quo tempore legendis eiuſmodi valdè delectabar: Miſitq; Ioh. duos Concionatores, vnum prędicatorū, alterum Minorum ordinis, Pariſios, qui errorē eius ibidē publicè profitebantur. Sed Pontifici reſtitit quidā Tomas prędicator Anglus, quem Papa in carcerem miſit. Rex verò cōuocauit Synodum in Palatio ſuo in Vatiniana ſylua, vbi omnes congregati cōtra Pontificē ſubſcripſerunt. Hinc Rex legatos ad Papam miſit, ad reuocandū errorē eum adhortās, ac vt Thomā captū dimitteret, Qui victum abſoluit, ſe quoq; (vt fertur) admonitionibus amicorum in mortis articulo emendauit.

Anni Christi. 1322. 1338.

Anni Chriſti.
Benedictus XII. Sententiam Iohannis in Ludouicum Imperatorem pro-
bauit, & cùm ius Imperij ad ſe deueniſſe arbitraretur, Imperialibus oppidis
1335. vicarios ipſe impoſuit Clemens VI. Iubilæum abſens Romæ celebrari iuſsit,
idq; ad annum quinquageſimum reduxit. Carolum Bohemiæ regis filium in
1342. Bauari contumeliam Imperatorē declarauit. Volat. Hoc tempore Romæ Ni-
colaus Rentij tyrannidē vrbis occupauit. Publicus hic ſcriba erat, nec nobili
genere, ſed magni & erecti animi: populum ad libertatē excitauit, arma corri-
puit, Capitoliū occupauit, hoc titulo in ſubſcribendo vſus, Nicolaus Seuerus
& Clemens, libertatis, pacis, iuſtitię Tribunus, ac ſacræ Rom. Reip. liberator il-
luſtris. Quo factū eſt, vt omnis Italia ad eum legationes de amicitia ineunda
& pace mitterent: ſed dum Tyrannus paulatim efficitur, ab vrbe pellitur, poſt
ſeptem menſes regni ſui, nocte in Bohemiam ad Corolum confugit, Qui cap-
tum eum Clementi miſit, à quo in vinculis retentus eſt, vſq; ad Innocentium
VI. Hic Romā poſtea eum dimiſit, vt Franciſco Baroncello, qui ſimili amentia
Tyrannidem inuaſerat, reſiſteret: Quo deuicto, tribunatu iterùm & ſolus po-
titur. Sed breui poſt tempore, cùm eſſet nobilitate, & præſertim Columnen-
ſibus aduerſus, à ciuibus obtruncatur: Hic Imperij eius finis fuit. Sunt qui ſcri-
bant, eum Ludouicum & Carolū citaſſe, vt Roman venientes cauſam Impe-
rij coram ipſo agitarent. Item vt Clemens Papa intra annū Romam veniret,
atq; ibi reſideret: quod niſi faceret, ſe cum populo Rom. aliū Pontificem ele-
cturum &c. Vide Paralip. Abbatis Vrſp. Chronicis addita. Mortuo Ludouico
1347. Carolus ex Bohemia cum magno equitatu in Bauariam Ratisbonā perrexit,
vbi tanquam rex Rom. ilicò eſt receptus, vndè & noribergam venit, ibidemq;
receptus, ab alijs quoque ciuitatibus Imperialibus ſuſcipitur. Sed hæredes Lu-
douici Bauari, & Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, & Palatinus Rheni,
Henricuſq; Saxoniæ dux, noluerunt eum recipere. Re tandē compoſita, poſt
quinquennium, ab his quoq; pro rege Rom. eſt agnitus. Epiſcopus Bamber-
genſis, à Papa acceperat poteſtatem ſoluendi eos, qui Ludouico adhæſerant,
his conditionibus: I. Vt iuuarent fidelitatem Papæ. II. Imperatorem non ha-
bere ius conſtituendi Papam aut deponendi. III. Vt neminem agnoſcerent
regem vel Imperatorem non confirmatum à Papa. Qui hæc non iurarent, nec
abſolui deberent. Sacrificuli & monachi plæriq; iurant & abſoluuntur, Laici
iurare nolunt. Tandem Rex & Epiſcopus tumultum vulgi veriti, abſoluunt
omnes ſine conditionibus illis. Carolus Moguntiam veniens, audit Electores
alium electuros regem, eò quòd electio Caroli non valeret, cùm facta eſſet vi-
uente ad huc Ludouico. Eligitur ab Electoribus Eduardus Angliæ rex, qui
gratijs actis pro honore, Gallico bello ſe occupatum eſſe dicens, Imperij titu-
lum recuſauit. Hinc Fridericū Marchionem Miſniæ Ludouici Imper. Gene-
rum contra Carolum eligunt. At Marchio accepit à Carolo X M. marcarum
argenti, & ceſsit Carolo electionem, ac regalia à Carolo accepit. Ita Imperij
dignitas Carolo manſit; qui Francofordiæ in Regem ſuſcipitur, ciuibus iſtic
nundinas & omnia eorum Priuilegia confirmans & corroborans. Paral.
Secta flagellantiū tum vehementer increuit per prouincias, incertū quo
1349. autore primùm inſtituta, niſi illo, quem ceteris non vigilantibus tradit Euan-
geliū ſuperſeminaſſe zizania. Homines rudes, qui per Germanię agros flagel-
lis ſe attriuerāt, cruces in veſte præferebāt, ad vrbes gregatim ibant proceſsio-
ne diſciplinata, capitū operimētis ad oculos demiſsis, luminib. in terrā fixis,
triſtes & mœſti ſemper cernebantur. Flagella trib. reſtib. erant trinodia: nod
ferrum

ferrum in crucis formã eminens habebant: liuentes ex crebris ictibus ac vulneribus ſcapulas & dorſa prætulêre. Eccleſiam ingreſſi poſitis veſtibus, ſubucula linea ab vmbilico dimiſſa ſumebant. Ita egreſſi per Cœmiteria nudi ſternebantur, alij proni in faciẽ, alij in latus, nonnulli in dorſum, quidam extentis in altum palmis, pœnitentiæ formam ad ſingula peccatorum genera in geſtu ſignificabant. Progreſſus ex omni numero vnus, ſingulos tangebat, dicens: Det tibi Deus remiſsionem tuorum peccatorum, ſurge. Indè in ordines digeſti, præcinẽtibus duobus, verſum chorus iterabat, Vbi Dominicæ Paſsionis in cantu quodã incidiſſet mentio, mox vnà Proruunt in terram, nõn vt ſolemus, primò geniculantes, ſed vno impetu, veluti præcipitata ligna vel ſaxa ruebant, quem quiſq; ſtans locum fortè habuit. Alber. Krantz. Vand. lib. 8. cap. 28. In complurimis locis hæc ſecta non fuit admiſſa ad vrbes, præſertim in Polonia, reſiſtente eis vehementiſsimè Ianuſsio Gnetznenſi Archiepiſcopo.

Innocentius VI. Papa Romanus in nullo clarus, quàm quòd eius iuſſu Carolus à duobus Cardinalibus eſt coronatus, & ab Italia Romaq;, ne ibi habitaret, aut diutius moram traheret, excluſus. Vrbanus V. præter ea quæ in Chronologia ſunt dicta, nihil egit, niſi quod Romam venit anno quarto Papatus ſui, vbi caluarias Apoſtolorum (tam certa res eſt Romanis) diu quæſitas, ac tandem repertas in ſancta ſanctorum Sacello neglectas (quod ſi Q. Curtij, aut Mutij Scheuolæ, aut Grachorum, aut Catilinę fuerunt) loculis argenteis operuit, atq; in loco vbi nunc viſuntur condidit. Circa hæc tempora Carolus Imp: Moguntiæ comitia habuit, quibus omnes ferè Electores interfuerunt, cum Saxoniæ & Bauariæ ducibus. Iſtuc Pontifex miſerat legatum pro ſubſidio Cameræ. Quem cùm Imperator præſentibus Principibus audiuiſſet, reſpondit: Domine legate, Papa miſit vos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, ſed in Clero nihil reformatis. Aſtabat autẽ Cuno de Falckenſtein Canonicus Magunt. cum capitio precioſo, aureis & ſericis ligaturis conſuto, quod Imperator ſuo capiti imponens, inquit: Sùmne in Capitio Cunonis, plus milite, quàm Clerico ſimilis? & intuitus Gerlacum Archiepiſcopum Moguntinum, ſic affatur: Domine Archiepiſcope, vobis præcipimus, ſub ea fidelitate, qua nobis aſtringimini, vt Clerum veſtrum reformetis, tollatiſq; abuſum in veſtibus, calceis, capillis & toto vitæ habitu. Quod ſi fecerint, mandetis fructus beneficiorum ſuorum occupari, & fiſco noſtro præſentandos, quos nos in honeſtiores vſus conuertemus. Colloquio iſto peracto, legatus Papæ non diu Moguntiæ hæſit, ſed quaſi fugitans, conſcenſa naui Coloniam ſoluit.

Ciuitates Germaniæ plæraq; quæ nauigationem in mari exercent, vno fœdere ſunt colligatę, quę confœderatio dicitur Germanicè **die Hense**/ habent à regno Angliæ & Galliæ magna priuilegia, de quibus liber ſingularis, apud Mercatores earundem ciuitatum in magno precio habetur, in quo omnia illorum priuilegia, conuentus & acta conſcripta ſunt. Eæ tante ſunt potentiæ, cùm earum vltra LXX. eſſe dicantur, vt magnis Monarchis eſſent metuendæ, vbi ipſæ (quod rarum fit in tanta hominũ perfidia) ſibiipſis fideles & concordes eſſe vellent. Inter has potentia Lubecum excellit, quibus proximi eſſe dicuntur Dantiſcani, qui & Gedanenſes dicuntur.

Gregorius XI. Papa cùm omnes ferè Italiæ ciuitates à Papa deficerent, monitu Catharinæ Senenſis, quæ poſtea adoranda fuit, & Baldi Peruſini eius olim præceptoris cum XXI. triremibus ex Gallia Romam redijt. Florentinos, qui defectionis authores erant, & omnia quę Pontificis fuerant circa ſe

oppida

Anni Chriſti.

1354.
1355.
1364.
1369.
1372.

Anni Chriſti. oppida occupauerant, ſacris interdixit: quibus tandẽ Bannum eius ſpernẽtibus bellum quoq; intulit. Volat.

1376. VVenzeslaus Caroli filius Cæſar factus eſt à patre, qui vt AEneas Sylulius tradit, cuilibet Electorum C M. aureorum dare eſt pollicitus, vt filium crearent Regem Romanorũ, Deinde cùm non eſſet ſoluendo, obligauit eis Thelonia, Vectigalia & oppida Imperialia; hinc Aquila deplumatur, neruiq; Reipub. debilitantur. Cæterùm ſunt qui VVenzeslaum octo annis cum patre regnaſſe tradant, Regemq; factum anno Chriſti 1370. Quod ſic intelligas, Carolus tum cœpit de filii electione agere, cum Germaniæ Principibus, ſed reſiſtentibus iis, res in ſextum annum eſt protracta, quo demum tempore largitionibus, vt dictum eſt, vt filius diceretur Romanorum Rex, obtinuit. De hoc Vvenceslao cùm puer recẽs natus Noribergę baptizaretur, duplici præſagio qualis futurus eſſet Rex, ſignificatũ eſt. Ventris enim excremento Baptiſmi (Hyems enim erat & frigus maximum) calefacta fuerat, cùm templi Ianitor vt maturaret opus ab aulicis coactus, nimium materiæ igni appoſuiſſet.

1379. Poſt Gregorii XI. mortem, exortum eſt ingens ſchiſma, Nam Italici Cardinales Italũ feceruntPapã, VrbanumVI. Neapolitanum, Barenſem Archiepiſcopum. Gallici autem ſeceſsione facta, aliũ Gallum Clementẽ VII. eligunt. Hic Auinionẽ ſedem collocauit, vbi & multi anteceſſorum ſuorum reſederant. Fuerunt ex hoc tempore ſemper duo Papæ, vnus Romæ, alter Auinione (quæ tum Roma altera à multis eſt dicta) donec in Concilio Conſtantiæ hoc

1390. diſsidium ſit ſublatum. Vrbanus annũ Iubilæum (vt habent Germanici ſcriptores) anno Chriſti 1390. indixit, cùm maximum ex eo Romanis eſſe lucrum præſentiret. Annates quoq; (vt vocant) hoc eſt Vectigal prædiorum ſacerdotaliũ inſtituit, parandi auxilii gratia aduerſus infideles. Huic inſtitutioni Anglici aduerſantes, Concilio congregato, Papæ ius vltra Oceani limites abiudicarunt. Præſules tamen poſtea id Vectigal dare in ſe receperunt. Quidã hanc

1391. conſtitutionem Annatum Benedicto IX. quidam Iohanni XXII. aſſcribunt. Bonifacius IX. iuuenis admodum Pontificatum iniit: Hic Bandereſios Romanorum Magiſtratum ſuſtulit, atq; vt externum Senatorẽ, vt ſtatutum prius fu

1395. erat, accerſerent, compulit Romanos. De bello Sigiſmundi Regis cum Turcis lege Pauli Iouii de rebus Turcicis libellũ, qui paruo cõparatur ære: Vbi omnia hæc cum aliis de Turcis ſcitu neceſſariis, ſatis diligenter ſunt conſcripta &c.

1398. Poſt Victoriam Baiazetes Conſtantinopolim obſedit, eamq; proculdubio in poteſtatem ſuam redegiſſet, ni eodem tempore Tamberlanes Scytharum Princeps potentiſsimus in Minorem Aſiam magno cum exercitu (duodecies centena Millia hominũ armatorum eum habuiſſe ferunt) perueniſſet, eamq; totam occupaſſet. Quam ob cauſam Baiazetes Conſtantinopoli relicta, exercitum Angorium deduxit (quam Ancyram veteribus fuiſſe putant) ac prope Stellam montẽ, vbi olim cum Mithridate Pompeius pugnauerat, cum Tamberlane conflixit, ac ſuperatus eſt. Hunc igitur captum Tamberlanes catenis aureis ligauit, atq; in ferream caueam intruſum, per totam Aſiam & Syriam circumduxit, quouſq; tandem ipſi miſeriarum finem mors attulit. Ferunt quoq; Tamberlanem hoc Baiazete vſum eſſe pro ſcabello, ſi quando equum inſcenderet.

1400. Cum VVenzeslaus Rex magis voluptati, quàm Reipub. & Imperii bonis, per omne tempus Imperii ſui darẽt operam, neque quicquam moniti

Ele

Anni Christi.

Electorum ob audiret, Principes Electores Francofordiæ, vt moris eſt, con-
gregati, de alio Romanorum rege eligendo conſultarunt. Erat id temporis
Princeps & Potentia & armis clarus, Fridericus Dux Brunſuigiæ & Lunebur-
gi, ad hunc plæriq; Electorum reſpiciebant. Solus Moguntinus Archiepiſco-
pus, cui cum Friderico clanculariæ erant ſimultates, vehementius reſiſtebat.
Quam ob cauſam conuentus is ſolutus eſt. Fridericus Dux Brunſuigiæ &c.
cum Rodulpho Saxoniæ duce Electore, & Sigiſmundo Comite Anhaltino
Francofordia excedens, ſaluoq; conductu (vt vocant) prius accepto, in itinere
Moguntini Præſulis, in via regia contra ius faſq; inſidiis excipitur, vbi com-
miſſo prælio, Rodulphus tribus ſe comitantibus vix aufugit. Sigiſmundus
captus eſt, Fridericus confoſſus interiit. Facta eſt hæc proditio non procul à
Fritislaria, vt Saxoniæ ſcriptores tradiderunt. Hinc iterùm conuenerunt Ele-
ctores, qui deplorato & deſtituto VVenceslao, Rupertum Comitem Palati-
num Rheni in Romanorum Regem elegerunt, quem & Fridericus Coloni-
enſis Archipræſul de more Aquiſgrani conſecrauit. VVenzeslaus à Noriber-
genſibus aliquot vaſa vini Rhenenſis optimi accepit (aliud namq; non petie-
rat) eoſq; à iuramento, quo ipſi tanquam Rom. Regi fuerant obſtricti, abſol-
uit. Ex quo coniicere potes quantum ei curæ fuerit de Imperio &c.

Hoc anno Legē à Papa Bonifacio latam, & Blondus & Platina autores ſunt, 1401.
qua Dominium orbis obtinuerit. Ea ſic habet: Non licere cuiquā Sacerdotii
ad quod promoueretur beneficiū adipiſci, priuſquā primas illius anni ęſtima-
tionis pecunias Pontificiali ærario perſoluiſſet. Innocentius VII. cum Rom. 1405.
ciuibus bellūm habuit, amicos ſuos Principes fecit. Gregorius XII. poſt Inno- 1407.
centiū hac lege Papa creatus eſt Romæ, vt ſi ex re foret Eccleſiæ, ſe Pontifica-
tu abdicaret, ob Benedictum XIII. Petrum Lunam vocatum, qui Auenione
Clementi ſucceſſerat. Gregor. addixerat ſe ceſſurū, modò Benedictus quoq; 1409.
Pontificatum deponeret. Sed cùm Benedictus nollet, & ex Auenione in Hiſ-
panias fugeret, nec Gregorius cedere voluit. Quapropter Conciliū Piſæ habi-
tum fuit. In quo & Gregorius & Benedictus ſunt depoſiti, & tertius electus eſt
Alexander V. Qui Ladislaū Siciliæ Regē, in Concilio Regno priuauit, idq; Lu- 1410.
douico Andegauienſium Duci competere declarauit. Platin. Gregor. Arimi-
num fugit, ibiq; manſit vſq; ad Conciliū Conſtantienſe. Alexander Bononiæ
reſedit. Nam Vngari Romæ magnā Tyrannidē exercebant, quibus tum cum
Gallis ob Neapolitanum Regnū bellum erat. Atq; ſic tres Soles in Papatu re-
lucebant, quorum nullus in vero Papatus cœlo erat collocatus, ſed omnes in-
fra in nubibus pallidi apparebant, vt quibus mox euaneſcendum eſſet. Alex-
andro Bononiæ defuncto Iohannes XXIII. ſufficitur, qui cum aliis duobus 1411.
Papp. in Concilio Conſtantienſi eſt depoſitus à Sela Pontificiali.

Sigiſmundus rex Vngariæ frater VVenceslai, Caroli quarti filius, in Ro-
manorum regem poſt Rupertum eſt electus, cordatus & Pacificus Princeps,
qui vt Pacem Eccleſiæ ſuo Imperio reſtitueret, plurima obiuit regna. Pene-
trauit Franciam: Salutato rege, de concordia Eccleſiæ cum ipſo conue-
nit. Hinc in Angliam nauigauit, ibique cum Rege de pace futura egit.
Deinde in Italiam tranſiit, & cum Papa Iohanne conſultauit, de habendo
Concilio, vt ſchiſma Eccleſiæ tolleretur. Ita conſenſu Papæ, Imperato-
ris regis Franciæ, & regis Angliæ, Concilium Conſtantienſe incepit: ad quod
venit ex Italia Iohannes XXIII. Papa. Imperator Sigiſmundus in nocte nata-
lis Domini eò venit, & in miſſa eius noctis Euangeliū vti Diaconus cantauit: 1414.
Exiit

Anni Christi. Exijt edictum à Cæſare Auguſto &c. Durauit hoc concilium annos quatuor.
In quo cùm plurima & maxima negocia pro gloria CHRISTI & pro publica vtilitate poterant agi, ſi putris caro Eccleſiaſticorum potuiſſet ferre ſalem Euangelij: nihil tamen magis eſt effectum, quàm quod doctrina CHRISTI, quæ tum per multos, à ſancto Spiritu illuminatos viros, in lucem reuocabatur, per idem Concilium ſit condemnata, atq; ſub modium abſcondita. Iohannes Papa officium Papale deponit anno ſecundo, hujus Concilij, qui non longè pòſt, Iudicium timens, noctu aufugit, captuſq; apud Aldenburgum caſtellum, triennio eſt cuſtoditus. Deinde Iohannis VVicleffij doctrina eſt damnata. Iohannes Huſs & Hieronymus Pragenſis ſaluo conductu dato, ad Concilium citantur, Vbi non longè poſt condemnati, igni ſunt cremati. De quibus, ſi quis plura deſiderat, legat acta Concilij, quæ magno volumine ſunt ædita: vel ſi compendium malit, conſulat Paralipomena Abbatis Vrſpergenſis Chronico addita. Depoſitis tribus Papis ſupra nominatis, Martinus V.
1417. Pontifex eſt electus autoritate Concilij: è Columnenſium familia hic fuit, & ſtatim ab electione inuito Imperatore in Italiam redijt, vt Volaterranus ait, prius indicto Baſiliæ Concilio. In Italia res Eccleſiæ, à Brachio Peruſino occupatas, bello recepit. Florentiæ Coſmi Medicis precibus exoratus, Iohannem
1423. XXIII. carcere liberauit, eumq; Cardinalem remanere permiſit. Quid in ConcilioPapię ſit actum, apud Italos require. Germanis de ipſo nihil conſtat.
1431. Eugenius IIII. Ordinis Cœleſtinorum Venetus natione, Romanus Pontifex poſt Martinum creatus eſt. Hic Sigiſmundum Regem Rom. & Vngariæ Romam venientē Imperiali coronā redimiuit. Cum Romanis & Petro Fortebrachio bellum geſsit. Conciliū Baſilienſe ſummo ſtudio impediuit, cùm tamen ſuo iuſſu id conuocatum eſſet. De huius Concilij actis extant duo libri ab AEnea Syluio, qui deinde Pontifex factus, Pius II. eſt dictus, ſumma diligentia conſcripti, quos ipſe autor cum Pontifex factus eſſet, ſupprimere conatus eſt. Compendium eiuſdem Concilij in Paralipomenis, de quibus nunc aliquoties eſt dictum, inuenies. Eas namq; Pontificum nugas, & noſtrorum hominum ſtultitias, qui prælucente Verbo Veritatis, Antichriſtum videre aut noluerunt, aut non potuerunt, forſan ſic volente Deo, longius hîc referre me tędet atq; piget. Tot enim ſceleribus Pontificū deſcribendis hactenus defatigatus, atq; ita ſum irritatus, vt me pœniteat, ſi bona aliqua dictione in eis conſcribendis vti debeā. Quare quę reſtant memorabilia, paucis & breuiter recenſebo, Quò tandē ab hoc opere, quod in fine mihi ſatis moleſtū eſſe cœpit, liberat9, ad Sacrarū rerū ſtudia (quorū mihi potior vſus eſſe poteſt, quā ex his nefandiſsimorū nebulonum actis etiā optimis) animū reuocare poſsim.

Conciliū Florentinum ab Eugenio eſt conuocatū, quò prętextu eius Ba-
1438. ſilienſe, quod Pontificię autoritati ſatis erit aduerſum, cùm Papam Concilio ſubiectum eſſe decernere, diſsiparet. Fuerunt Florentiæ Græcorum & Rhutenorum qui ſub Poloniæ Regno ſunt Legati, ij cum Romana Religione coram conſenſerunt. Sed domum venientes Legati, Rhutenorum præſertim, ſuis non ſunt auditi, in eis quæ Papæ conceſſerant. Vt annales Polon. habent.

In Baſilienſi Concilio Amadeus Sabaudiæ dux, vxoratus & duos haben
1440. filios, ſuffragio *XXVI.* electorū ad Pontificatū prouehitur. Hic adeò munificus in pauperes fuit, vt ab oratoribus rogatus, Si quos haberet canes venaticos, vt eis oſtenderet: reſponderit, Se altera die eos oſtenſurū. Cùm verò adeſſent die ſequenti, ingentē Mendicorū multitudinē oſtendit, vnà diſcumbentium

Atq

Atq; hi ſunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibus ſpero me cœleſtem gloriam venaturum.

Fridericus III. huius nominis poſt mortem Alberti II Romanorum rex eligitur, Erneſti ducis Auſtriæ filius & patruelis Alberti regis fuit. Iuuenis XXV. annorum ad regnum vocatus Huius prima cura fuit, vt ſublata neutralitate de Germanica natione, ſubderet colla Romano Pontifici. Placuit ergò Amadeum (qui tunc Felix V. dicebatur) vt depoſito Pontificis nomine, ad pedes ſe Eugenii (vt quidam habent, Palmerius Nicolai tempore ponit) demitteret, qui in gratiam recepit eum, & Legationis titulo perornauit. Paral.

Libet hîc referre miſerabilem cladem Vladiſlai Vngariæ regis, quam Iuliani Cardinalis inſtinctu accepit cùm eius ſuaſu contra fœdera cum Turcis bellũ iniret. 1443. Iohannes Huniad magna clade Turcam Amuratem affecerat, ita vt Amurates cogeretur inducias facere. Hoc Iulianus ille Cardinalis, qui Baſilienſi concilio intererat, audiens, inducias cum Turca factas, diſſoluit hoc prætextu, non poſſe cum Turca pacem fieri ſine conſenſu Papæ: quoniam totius Chriſtianitatis hæc cauſa ſit. Sperabat autem Turcos facile vinci poſſe cùm Vladislaus, & Vngarorum & Polonorum copijs eſſet inſtructiſsimus. Vladislau. Cardinalem audiens, fœdus frangit: exercitum contra Amuratem ducit. Varnam vſque peruenit, quæ non longè diſtat à 1444. Conſtantinopoli, tametſi Iohannes Huniad hoc vehementer diſſuaſerit, vt qui populi ſui vires ſatis perſpectas haberet, Turcorumq; potentiam & conditionem non ignoraret: Nec ſine cauſa cum Amurate pacem fecerat. Et fertur, cùm Vladislaus à Valachiæ duce Dracola dicto auxilia peteret, quod Valachus bellum ſeriò diſſuaſerit, Nihilominus filium ſuum cum XXM. equitum miſerit, ac Vladislao dicere iuſſerit, quód donet ei ad illam profectionem celerrimum equum & precioſum, & ſimilem dederit filio ſuo. Nam non cogitet aliud, quàm vincendos & feriendos eſſe eos, idcirco ad manum habeant iſtos equos, vt cùm neceſsitas expoſcat, inſidentes fuga ſibi conſulant. Turci circumſpectè omnia agebant, & antequàm Vngari ſuos in ordinem redegiſſent, adoriebantur Turci. Ac quamuis Chriſtiani ſtrenuè ſeſe defenderent, interfectis multis Turcis, tamen Turci multitudine ſuperiores vicerunt, & Vladislaum iuuenẽ regem peremerunt Iulianus Cardinalis in fuga quoq; à Turcis occiditur, cùm auro gemmiſq cum abundare putarent. Huniad arte vſus, cum paucis effugit. Facta eſt hæc ſtrages 10. die Nouembris, anni Chriſti 1444. Paral.

Nicolaus V. Thomas antea vocatus, arte medicus deinde Subdiaconus factus, ex humili loco Bononiæ ſtudijs profecit. Miſſus deinde cum Iohãne Caruaialla Hiſpano, ab Eugenio in Germaniam Baſileenſis Concilij, ac neutralitatis, vt ipſi appellabant, tollendæ gratia Fautorem tunc Rom. Pontificis Æneam Syluium, qui 1447. poſtea Pius II. fuit apud Fridericum Imperatorem nactus, õnia ex voto reportauit. Redeuntib. honor adhibitus, Roſeis Galeris obuiam miſsis, ac in Senatus ordinem receptis. Hinc ad Pontificatum Eugenio defuncto eſt ſuſceptus. Præter Coronationem Friderici & ſublatam ſeditionem, quæ ob libertatem Romæ exoriebatur, Stephano Porcario duce, quem ſuſpendio in Palatio ſuſtulit, literarum ſtudia tunc ferè deleta, ſummo conatu iterùm excitauit, præmijs omnibus virtute præditis hominibus inuitatis. Bibliothecam Vaticanam inſtituit miſsis quaque verſus doctis viris comparandorum librorum gratia. Magiſtratus officium nulli vendidit. In vno notatus quód nimio bibendi ſtudio teneretur, perquiſitis vndiq, vinorum generibus. Volat.

 Iohannes

Iohannes Capiſtranus Monachus Minorita, à Papa Nicolao in Germaniam &
alias regiones miſſus eſt, ad prædicandam obedientiam Romanam. Is vt ſuæ doctri-
1453. næ autoritatem aliquam faceret, ludos & aleam, & alia eiuſmodi ciuilia exercitia, vt
ſunt conuiuia, ſaltationes &c. prohibuit, Tantam denique ſibi hac hypocriſi digni-
tatem acquiſiuit, vt à plæriſq; pro Sancto Dei homine adoraretur, cùm tamen nihil
ſanæ doctrinæ de Chriſto, deq; eius meritis, de reconciliatione cum Patre per Chri-
ſtum, & de regeneratione in Chriſto per Spiritum Sanctum, & de obedientia ergà
Deum &c. teneret. Sed tales doctores meretur mundus ſuo faſtidio Veritatis, quod
& noſtris Iunckheris & delicatulis ciuibus breui eueniet, cum veritatem Dei ferre
1455. præ nimia ſaturitate, non poſſint. Caliſtus III. Præſul & genere Valentinus, Alfon-
ſus Porgia vocatus, vir iuris Pontificij ſcientia doctiſsimus, Alfonſi regis familiariſſi-
mus, Pontifex Rom. creatur ex vaticinio Vincentij Ordinis prædicatorum, cuiu
ſcriptis in hoc opere plurimùm ſum vſus. Caliſtus expeditionem in Turcas, quan
ante Pontificatum vouerat, ſi ad hoc faſtigium perueniret, continuò fecit, XII. tri
remes cum Ludouico Patriarcha Aquileienſi mittit, qui expugnata Lesbo Inſul
cum aliquot Caſtellis breui tempore reuerſus eſt. Vſuncaſanum Armeniæ Perſiæ
1456. regem per Oratores magnoperè hortatus eſt contra eoſdem hoſtes (vt Volateranu
habet) Poloniæ verò annales ad tempora Sixti IIII. huius Vſuncaſani victorias po
nunt. Caliſti quoq; tempore nobilis illa ad Belgradum de Turcis victoria contigi
vbi tres Iohannes, nomine clari interfuêre, Caruaialla legatus, Hunniad Vaiuod
Dux, & Capiſtranus concionator. Cæſa ſunt hoſtium multa millia, & pro numer
noſtrorum plurima. Interceptæ hoſtis machinæ Bombardæ, & omnis generis be
licus apparatus. Eam noſtrorum victoriam tàm impatienti animo ſertur tuliſſe
hoſtis, Turcorum Imperator, vt vir ſæuus alias, tenere lachrymas non potuerit, ba
1459. bam euulſerit, & per omnia inſano & furenti ſeſe per ſimilem exhibuerit. Vnd
quid amiſerit, coniecturam facere potes. Pius II. Æneas Syluius antea dictus Sene
ſis natione, in aula Friderici ad primam dignitatem eſt promotus, cuius Epiſtola
rum magiſter fuit. Poſtremò magnis rebus & legationibus adhibitus, à Caliſto Ca
dinalis factus, ei deniq; in Pontificatu ſuccedit. Contra Turcos profectionem ind
xit, ſed non peregit, præuentus morte. Sunt qui ſcribant, eum prætextu belli Turc
ci Germaniæ, cuius diuitias non ignorabat, vt qui multos annos in ea tranſegera
pecunias ad ſe rapere conatum eſſe, vt eas in luxum Pontificium & amicos paupe
res effunderet. Vide Paral. Ferdinandum regem in regnum Neapolitanum autori
tate ac exercitu adiutum inſtituit. Vir literis deditus, & ſuprà modum ambitioſu
1465. ſeptuagenarius obijt, Cui ſuffectus eſt Paulus II. Petrus Barbus, patria Venetus, Eu
genij ſororis filius fuit. Tardus & craſſa ceruice: quapropter res Pontificalis ma
gnam inclinationem fecit, ita vt ex eo tempore ſemper in peius ruerit. Is enim ne
1472. literarum ſcientia, neq; moribus clarus, præter neceſſarias auditiones dies totos a
voluptati, aut nummis penſitandis, aut veterū numiſmatis, ſiue gemmis, ſiue im
ginibus ſpectandis tradebat. Tandem poſt cœnam obruente crapula repentinò e
apoplexia interiit. Volat. Sixtus IIII. Franciſcus Sauonenſis dictus, ordinis Mino
rum generalis ac Theologiæ profeſſor, ſuſcepto Pontificatu, animum ad repara
dam vrbem Romam, atq; ad res bellicas adiecit. Vrbem ita exornauit, vt ex lute
latericiam relinqueret. Bella geſsit, primum contra Nicolaum Tifernatem: ſecu
dum contra Florentinos: tertium contra Ferdinandum Siciliæ regem, in quo con
miſſa pugna magnum regis exercitum vnà cum Calabriæ duce profligauit. C

lumne

umnenſes quoq; armis ſollicitauit Romæ, è quibus Laurentium captum cuſtodiæ Anni Chriſti
nandauit. Hinc in Venetos bellum ſumpſit pro Hercule Eſtenſi, duce Ferrariæ. Iu-
bilæum ad X X V. annum reduxit, & celebrauit. Tandem cùm videret Herculem Ferrariæ ducem cum Venetis facere pacem atque concordiam, ex animi dolore, podagra inſuper aggrauante moritur.

Innocentius V I I I. Iohan. Baptiſta Cibo Genuenſis, qui pauper olim puer, forma tamen præſtanti, inter Alfonſi regis Siciliæ miniſtros: inde Romam veniens n contubernio Philippi Cardinalis Bononienſis fuit: à Xiſto demum Cardinalis 1394.
factus, ipſius fit ſucceſſor. Bellum cum Ferdinando Siciliæ rege principio Pontificatus ſui habuit: ſed mox pertæſus belli, animum ad quietem appulit. Vrbem à latrocinio purgauit, ſeuerius in malefactores animaduertens, ita vt nec potentioribus Romanis parceretur. Nothos filios primus omnium Pontificum publicè honeſtauit: vni Franciſco nomine oppida nonnulla vrbi vicina dedit, Laurentijq; Medicis filiam matrimonio locauit. Biennio antequàm decederet, in narcem quandam ſoporiferam ex morbo incidens, horis ferme X X. ſine arteriarum motu immobilis apparuit: famaq; mortis quoquo verſus perlata fuit: iamq; Cardinales de ordinandis circa ſucceſſorem omnibus conuenerant, cùm ſubitò viuus apparuit. Exceſſit biennio pòſt ex eodem ferè morbo, ætatis anno L X.

Alexander V I. Rodericus Boria dictus antea, Caliſti olim Pontificis ex ſorore 1493.
nepos, Innocentio ſucceſsit. Cardinales qui eum elegerant, primi ingratum eum ſenſerunt: omnes enim varia calamitate preſsit, quoſdam exilio, quoſdam verò carcere mulctans. Bellum cum Vrſinis geſsit quos & per filium nothum victos cepit, atq; domuit. Hinc nihil prius habuit, quam Innocentij exemplo ſuos nothos honoribus, verùm longè maioribus extollere, quando iam res hæc honori & gloriæ eſſe cœpit. Tanta ſanctitate fuerunt præditi Sanctiſsimi illi. Ex filijs vnum Siciliæ Principem fecit: alterum Cæſarem nomine, Cardinalem: minorem, in Hiſpania Ducem, qui breui tempore pòſt nocte quadam trucidatus, & in Tyberim proiectus eſt. Cæſar Cardinalis relicto ordine, in Galliam ſe contulit magna vi auri ſecum ablata. Vbi Ludouici Regis propinquam de Lebreto in vxorem vnà cum oppido Valentia accepit. Regis deinde auxilio perpetuoque fœdere, multum in Italia ſibi ditionis parauit, iuuante quoque eum patre Alexandro, qui nil optabat magis, quàm filium maximum Principem fieri. Filia Alexandri tribus Principibus ſucceſsione elocata fuit, primùm Iohanni Sfortiæ Piſaurienſi duci: deinde abdicata Aloiſio Aragoni Alfonſi regis filio notho: quo demum interfecto, Alfonſo Eſtenſi Ferrariæ duci. Iubilæum anno Chriſti M. D. Romæ celebrauit Alexander, in quo ijs qui venire neglexerant, ſeu minimè poterant, per diplomata Iubilæi gratiam conceſsit, ſed non gratis. Veneno tandem vitam amiſit. Plura vide apud Volaterranum, qui bella Cæſaris & Patris fraudes Alexandri graphicè depingit. Sub huius Pontificatu mortui ſunt, Hermolaus Barbarus Venetus, Patriarcha Aquileienſis de bonis literis optimè meritus: Angelus Politianus, vir eloquentiſsimus, & linguæ latinæ vindex atque illuſtrator: Iohannes Picus Mirandulæ Comes nobilis & ad- 1494.
mirandus Philoſophus, etiam iuuenis moritur Florentinæ fruſtrata multorum expectatione, de multarum bonarum literarum & maximè circa Philoſophiam & Theologiam reſtitutione.

1503.
Pius I I I. Pij I I ex ſorore nepos, Alexandro in Pontificatu ſucceſsit: hic ſtatim contra Gallos Italiam occupantes conſpirationem fecit: ſed XXX. die ab electione

ſui deceſsit, nihilo rerum à ſe geſto, quas maximas animo conceperat. Nam præter
bellum Gallicum, & Eccleſiam reformare, Concilium celebrare, ac in Turcos pro-
ficiſci auunculi imitatione inſtituerat. Hactenus ſecuti ſumus in Pontificum vitis,
poſt R. Barns Hiſtoriam Pontific. Raphaelem Volaterranum, qui cum hoc Ponti-
fice finit lib. 22. Anthropologiæ ſuæ. Cæterum quæ reſtant, breuiter ex noſtratibus
indicabimus.

Iulius II. Patria Genuenſis, Patrum conſenſu Pio tertio ſuccedit. Iulianus antea
dictus. Is cùm parentibus natus eſſet obſcuris, fortunæ beneficio ſuaq; induſtria per
gradus honorum conſcendens ad ſummum peruenit. Vir acri & verſuto ingenio,
ad bella præcipuè natus. Patrimoniũ Petri nemo animoſius tutatus eſt Pontificum:
neque callidius quiſquam multorum iudicio, amplificare inſtituit. Rauennam à
Venetis occupatam, grauiſsima cinxit obſidione, quam tandem expugnatam for-
titer Romanæ ſedi reſtituit. Simili virtute Seruiam, Imolam, Fauentiam, Foroiuliũ,
& alia quædam è manibus ijſdem eripuit. Præterea alia non pauca, quæ ab ijs tene-
bantur recepit, ſubinde noua parta victoria, ſed non ſine multo ſudore & ſanguine.
Bononiam eiectis Bentiuolis inſigni triumpho inuectus eſt. Res Gallorum rege Lu-
douico XII. grauiter affecit: plura daturus non Gallo tantùm, ſi per mortem li-
cuiſſet. Moritur autem bellica gloria clarus, durante adhuc Concilio, quod Romæ
in Laterano indixerat, ea potiſsimùm de cauſa, vt Concilium Piſanum hac via vel
deſtrueret vi, vel arte eluderet. Nam hoc contra ipſum inſtitutum agi videbatur, &
opera Maximiliani Cæſaris, Regis Franciæ Ludouici & Cardinalium quorundam,
quos rebelles Cardinalitio honore priuauerat. Leo X. in demortui Iulij locum ſuf-
1513. ficitur, præter ſpem omnium ſuffragijs in ipſum concordantibus. Huic antea no-
men erat Iohannes Medices Florentinus. In iuuentute Angelum Politianum, virum
Græcè Latineq. doctiſsimum præceptorem audiuit, ſub cuius diſciplina in bonis ar-
tibus non mediocriter profecit. Pontificatu ſuſcepto, delitijs magis quàm militiæ
deditus, Muſicos in magno precio habuit, doctos viros ſupra modum amauit. Mul-
ta aliorum arbitratu agi paſſus eſt, ipſe quietis & ocij amantior. Ducem Vrbinatem
ducatus poſſeſsione priuauit, in eius locum ſubſtituens ex fratre nepotem. In Du-
1516. cem Ferranienſem idem tentatum fuit, ſed fruſtra. Polonis anno Chriſti 1516. Iu-
bilæi gratiam venalem dedit: idemq, in Germania faciens: quæ cum impudenti-
us in Saxonia à Iohanne Detzelio quodam monacho commendarentur, Sancto
viro & Domino in Chriſto reuerendiſsimo Martino Luthero, Vuitebergenſis tunc
Eccleſiæ concionatori occaſionem præbuerunt, contra indulgentias illas ſcriptis
& dictis agere, vnde talis orta eſt tela, quam Romani Pontifices, & omnes vniuerſi-
tates totius Chriſtianitatis, nunquam extricare poterunt. De quibus vt ſingula ſunt
1517. acta, vſque ad ipſius Lutheri mortem, ſcripta eius conſulere poteſt pius Lector,
quæ nunc paſsim omnium piorum manibus teruntur. Optarim vt quidam
tanta veneratione legerent ea, & tanto pietatis zelo, quanto fortaſsis ad errores ſuos
ex ipſis ſtabiliendos, & Eccleſiæ moleſtias augendas ſtudio flagrant. Tunc me her-
cle tot rixarum tot maledictorum & execrationum inter eos non eſſet, qui Sanctiſsi-
mi viri, illius diſcipuli, & dici & eſſe volunt.

1519. Carolus Hiſpaniarum rex ad Imperium vocatur, maximè id volente Friderico
duce Saxoniæ Electore, in quem pleraq; electorum ſuffragia collata erant. De huius
rebus geſtis ſcribere non eſt huius operis, cùm ea tanta ſint, & tam infinita, vt paruo
volumine comprehendi non queant. Quin & hoc labore, Iohannes Schleidanus

& alij

& alij huius ſeculi ſcriptores non contemnendi, egregiè me leuarunt. Quare tantum ea hoc loco addam, ne paginæ hæ prorſus vacent, quæ in priore editione breuiter ſunt á me dicta. Carolus V. Vormatiæ comitia Imperij egit, in quibus D. Lutherus de doctrina ſuá requiſitus publicè ſe defendit. Atque in iiſdem comitijs finiti ſunt (vt ego iudico) anni deſtructionis Eccleſiæ, per Antichriſtum, de quibus 1521.
Apocal. 11. dicitur. Vide ſupra ſub annum Chriſti 261. Ex hoc tempore German a Chriſti Euangelio illuminari cœpta eſt. Quod lumen optarim diligentius cuſtodiret: ſed ſurdis fabulam.

ADRIANVS VI. natione Germanus, Caroli V. Imperatoris olim præceptor 1522.
Leoni ſufficitur. Idem nomen quod antea habuit, ſeruauit. In iuuentute Louanij profecit, literis ita incumbens, vt facilè Scholæ eius fieret Princeps. Propter morum grauitatem & doctrinæ excellentiam ad Carolum inſtituendum vocatus in aulam Hiſpaniæ regis, Carolo in Germania agente præficitur: Ibiq; exiſtens in Pontificem Max. eligitur. Octauo pòſt menſe quàm creatus eſt, Romam veniens, coronam accepit prid. Cal. Septembris. In Pontificatu nihil admodum egregij fecit, quod ſcri- 1524.
ptu eſſet dignum, niſi quòd & ipſe Chriſti doctrinam & Lutherum eſt inſectatus. CLEMENS VII. ei ſucceſsit, cui Iulius nomen erat antea, quod & ſeruare decreuerat: ſed Cardinalium monitu Clementis accepit, quod moribus ſuis aptius eſſe videbatur. Hic cum Gallis contra Cæſarem faueret, Cæſaris exercitum in Italia existentem, Romam traxit: qui occupata Vrbe Pontificem in Caſtro S. Angeli aliquot diebus grauiſsima obſidione preſſerunt, qua tandem dedere ſeſe Cæſareanis eſt coactus. Carolus nimis obſeruans Pontificis priſtinæ eum dignitati mox reſtituit. Quæ verò militum in hac Vrbis occupatione fuerint virtutes, quomodo Cardinales tractauerint pro dignitate, & theſauros explicauerint, & alia nunc ab alijs ſatis luculenter ſcriptis ſunt prodita: quò & pium lectorem remitto. Cæterùm quæ de ſectis & ſeditionibus Ruſticorum & Anabaptiſtarum ſcitu ſunt neceſſaria, in operib. D. Lutheri copioſiſsimè ſunt indicata, vnde Pius Lector ea cum confutationibus omnium errorum maximo cum fructu petere poteſt. Reliqua in Chronologia, quo quodlibet tempore ſit actum, ſunt annotata: quorum vberior deſcriptio aliud tempus, maiuſque ocium quàm nunc mihi datum ſit, requirit. Quare ad a- 1525
a feſtinans, huic operi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, finem imponam. Qui ſua bonitate omnia quibus nunc veritas & Eccleſia veritatis columna ab impijs, & indoctis doctis opprimitur, ad ſtatum meliorem reducere dignetur, Amen.

ILLVSTRISSIMI ATQVE PIENTISSIMI PRINCIPIS, SAXONIAE DVCIS ELECTORIS IOHANNIS FRIDERICI captiuitas, á Iohanne Funccio, cùm adhuc eſſet Noribergæ, Anno 1547. in æſtate conſcripta.

ANno poſt natiuitatem Domini noſtri IESV CHRISTI, M. D. XL VII. cùm Cæſarea Maieſtas, collectis copijs auxilijsq; in Miſniam perueniſſet caſtraq; ad torrentem Iana, inter oppidula Lumitium ac Mugelam poſuiſſet: Dux Saxoniæ Iohannes Fridericus Elector, hac de re certior factus, ſuo cum exercitu ex Miſnia oppido, vbi dies aliquot ſtatiuá habuerat trans Albim mouit. Ac quo minus Imperatoriæ Maieſtati facultas inſequendi daretur, pontem ſublicium à veteribus magna induſtria, multiſque impenſis conſtructum, incendit. Ac copijs ſuis ſecundum Albim ductis, ad Mulbergam Saxoniæ oppidum, caſtra locat. Hæc cùm Cæſarea

Anni Christi.

Maieſtas ex fama publica cognouiſſet,non vltrà cunctandum eſſe ſtatuit, Sed ſimul ac dies illuxit qui erat VIII. Cal.Maji,dieſq; Domino ſacer, toto cum exercitu ad Strelam contendit. Id in caſtellum in monte ſitum ſupra Albim, ſtadijs à Mulberga ferè octo abeſt. Hic vbi caſtra poſuiſſet, quidam ex Maieſtatis ſuæ exercitu palantes, ad ea loca peruenerunt, quorum è regione Dux Saxoniæ caſtra habebat. Ac ſimul ſe vtrinq; conſpexère, ſclopetis inuicem ſe trans Albim petere, donec prima acies, fata ne an caſu, ad idem loci aduentaret. Quos totum agmen ordinibus factis ponè ſequebatur. De his cum Duci Saxoniæ nunciatum eſſet, qui eadem hora ſacris intererat, adduci non potuit, vt Imperatorem inſtructis copijs adeſſe crederet. At cùm equitatus Hungaricus, qui vulgo Huſari appellantur, vnà cum ſclopetarijs Hiſpanicis (Hi enim in prima acie collocati erant) Albim flumen attigiſſent, tantum repentè prælium ſclopetis eſt commiſſum vt Saxones pontem, quem nauibus in flumine fecerant, incendere, ac littus relinquere, oppidumq; Mulberg petere cogerentur. Interea Cæſarea Maieſtas machinas, quas bombardas vocant (eò quòd bombum ardentem magna vi expellant) ad littus fluminis adduxit. Quo viſo, Dux Saxoniæ cum ſuis conſilio inito, locum deſerere, ac Vitebergam, Ducatus ſui metropolim munitiſsimam, cum exercitu proficiſci ſtatuit. Decertare enim cum Imp. Maieſt. id temporis parùm videbatur oportunum: Si quidem copiæ ſuæ trifariam, aut quadrifariam per prouincias ſuas erant diſperſæ, nec in tam celeri ac inſperato Imp. Maieſt. aduentu, in vnum congregari locum potuerant. Idcirco impedimenta cum lixis & bombardis bellicis præmittit, quibus præſidij cauſa paucos milites adiunxit: decem ſignis peditum, ac ſeptem turmis equitum ad ſui cuſtodiam reſeruatis. Hæc ita dum fiunt, Hiſpani quidam nudatis corporibus, ac gladijs quos ore tenebant, ſeſe quàm celerrimè in flumē coniecère: ex his nonnulli flumen tranatarunt pars aquis ſubmerſi: quidam verò pontem naualem, ita, vt ardebat religatum ad littus adduxerunt. His nauibus vſi, plurimi ex Hiſpanis flumen tranſière. Quos Dux Saxoniæ vna equitum parte aliquandiu tranſitu prohibuit, quò tutior ſuis eſſet diſceſſus: ac cùm loca illos tuta attigiſſe exiſtimaret, deſerens Albim ſuos inſtructa acie ſubſecutus eſt.

At poſtquam Hiſpani littus ab hoſte deſertum eſſe cernerent, plurimi ex eis flumini ſe credentes, nando trajicere cōtendebant, quorum pauci aduerſam ripam attigère: plurimi verò pernicitate fluminis rapti, aquis oppreſsi ſuffocati ſunt. Qui flumen traiecerant, cùm de diſceſſu Ducis omnia explorata haberent, Cæſareæ Maieſt. nunciatum hæc renatando quàm citiſsimè poterant venire. Ad quorum nuncium, peroportunè Imperatoria Maieſt. hominem quendam ruſticum nacta eſt, qui per Albim vadum doceret. Quo per Germanos, Hiſpanos & Huſaros equites explorato, Cæſarea Maieſt. confeſtim equites mille vadum tranſire iubet, Qui primùm ac flumen ſuperarunt, ſeſe (vt illis mos eſt) paſsim per omnia itinera diſperſerunt: Quos equites à Duce poſt oppidum Mulberg in id collocati, vt Cæſarianos ab inſequendo arcerent, adorti; ad flumen vſque ex templò propellebant. At his propulſis, longius eos inſequi deſtiterunt: ſeu quòd rebantur ſatis ſe officio ſuo functos eſſe, ac Cæſarianos ſemel in fugam verſos denuò tentare pugnam non audere: ſeu quòd fortuna Cæſareæ Maieſt. id ſic diſponebat. Mox enim in campo quàm longiſsimè ab Albi ſe receperunt. Quod Cæſarianis & colligendi ſe, & cum hoſtibus iterùm congrediendi peroportunam præbuit facultatem. Primùm igitur ac ſeſe colligerunt, receptis auctiſq; animis Saxonicos inuaſere, quorum animi ha

inſperat

Anni Chriſti.

inſperata Cæſareanorum audacia non mediocriter frangebantur, ita vt ad primum Cæſareanorum impetum, collem in quem ſe receperant, ſenſim recedendo deſererent. His cognitis, Cæſarea Maieſtas omnem equitatum, cum Huſaris propria perſona traduxit, Regia Maieſt. Ducibusq; reliquis comitantibus, qui Imperatoriæ Maieſt. caſtra ſequebantur. Dum hæc fiunt, pons in Albis fluuio nauibus eſt inſtructus, per quem pedeſtres copiæ ac machinæ bellicæ traducerentur. At Cæſarea maieſtas his non expectatis, equitibus inſtare, & quantum curſu ac viribus poterat, hoſtem inſequi. Quem tertio tandem miliario, ab eo loco quo Albim tranſierant prima acies adorta eſt circa ſyluam quæ ab arce Loch inibi ſita, Lochiana appellatur. Hîc instructa acie Dux incedebat pedites ſyluam pro munitione habebant, ex vno latere equitatum, ex altero ſclopetarios, ad quos paludes & foſſæ eo loci factæ (fortè ad deriuandam ex agris nimiam humiditatem) difficilem Cæſareanis acceſſum præbebant.

Machina bellica, ſicut & Cæſareanis, nulla erat: præmiſerat namq; eas (vt ſuprà memorauimus cum lixis & impedimentis. Quare nullum ex eis Duci ſubſidium, neq; Cæſareæ maieſtati detrimentum vllum eſſe poterat. At cùm Cæſarea Maieſtas cum eo agmine, quod ductabat, ad primam ſuam aciem deueniſſet, omnisq; equitatus vnum in locum congregatus eſſet, Huſaris, leuiorisq; armaturæ equitibus mandatum eſt, vti relicto hoſtium equitatu, peditum ordines inuaderent: Dux autem Mauricius ſuo cum equitatu hos inſequeretur: ac ſi qua poſſet, in hoſtium equitatum impreſsionem faceret. Facto igitur impetu, ab vtraq; parte, maxima contentione ſclopetis prælium eſt initum. Saxonum verò ſclopetarij, cum ſine magno fructu globos in Cæſareanos nimis properanter emiſſent, cumq; temporis tanta eſſet exiguitas, Mauriciusq; Dux tam acriter inſtaret, vt ſclopetas denuò onerare minimè poſſent, facilè diſsipati ac in fugam verſi ſunt. Quos equites præuenire magis, quam imitari maluerunt. Ad primam namq; Cæſareanorum impreſſionem terga verterunt, ſuorumq; peditum ordines effuſa fuga perturbarunt. At hi ordinibus vtcunq; inſtauratis, magnis animis impetum Cæſareanorum ſuſtinuerunt, ac aliquandiu fortiſsimè pugnauerunt. At cum ab Huſaris & leuioris armaturæ equitibus, vndiq; abſq; omni miſeratione cæderentur, pars maxima ex his occiderunt: qui curſu valebant, fuga quæſiuerunt ſalutem: quorum pauci tamen hoſtium manus euaſerunt: plus minus C C C multis vulneribus acceptis capti ſunt, quos Cæſar. Maieſt. clementiſsimè accepit, vulneribus eorum ex mandato S. M. obligatis tertió die pòſt liberè quò vellent ire dimiſit.

Diſsipatis itaq;, cæſis, ac in fugam verſis Ducis Saxoniæ copijs, Huſari ac equites Hiſpani, ſiue Neapolitani, hoſtium equites paſsim ita vt in fuga eos adoriebantur perſequi, ac occidione occidere ſatagebant. Pars longius ſecuti, lixas, calones cum impedimentis, bombardis, & alijs ad bellum neceſſarijs, in ſyluis interceperunt. Dux verò ipſe cum paucis ſuorum, non ita multum ab eo loco quo pugnatum eſt, circa eam ſyluæ partem, quæ à porcis ſylueſtribus nomen habet, vulgò der Schweinart/ à plurimis circumuentus eſt: Qui primùm ac in conſpectu Ducem habuêre vt ſeſe eis dederet poſtularunt. At Duce cum paucis ſuis egregiè ſtrenueq; ſeſe defendente, proq; libertate ſua fortiſsimè pugnante, euenit, vt in ſiniſtra faciei parte vulnus ei infligeretur. Quo accepto, ſatis cernere, ſe minimè parem eſſe, qui tantis viribus, quibus impetebatur, reſiſteret: ideo ad deditionem ſpectare. At cùm tres nationes, Germani ſimul ac Hiſpani cum Huſaris, quælibet

 pro

pro ſe vt ipſis ſeſe dederet inſtarent, nulli ſe quàm vni nobili genere Germanorum nato, Thil Trodtienſi nomine, admodum iuueni, dedere voluit: Cui & duos in huius rei teſtimonium annulos aureos, quos digitis ſuis detraxerat, vnà dedit.

Captum ergo Ducem, equites Neapolitani ad ſe acceperunt: ac confeſtim ad Ferdinandum, Ducem Albanenſem &c. deduxerunt, qui nulla interpoſita mora, hæc vt geſta erant Cæſareæ maieſt. nunciauit. Hoc nuncio accepto, Cæſar captum Ducem ad ſe adduci præcipit: Quod prædictus Dux Albanenſis Cæſareæ maieſt. ſummus equitum præfectus, tertiò recuſauit: ſubinde admonens, Imperatoriam maieſtatem, vt fert primus animi concitati impetus, poſſe aliquid grauius inceptum, aut dicto factoúe committere. At inſtante fortius Cæſarea maieſtate, iubenteq; vt Dux captus ad S. M. adduceretur, voluptati ſuæ Maieſt. ſatis factum eſt. Hic inter eundem Dux captus, oculis in cœlum, de quo vnicum iam præſidium ſibi expectandum erat, ſublatis, imoq; multis ex corde ductis ſuſpirijs, voce miſerabili ſic Deum alloquitur, MISERERE MEI DOMINE, NOS SVMVS IAM HIC. Quaſi diceret, niſi tu Domine tua me reſpicias miſeratione, & gratiam coram Cæſarea Maieſt dederis, omninò de me actum eſt. Ac cùm propius ad Cæſ. Maieſt. accederet, ait: Clementiſsime Cæſar (cuius orationem Cæſ. Maieſt. mox intercipit, dicens: Sic, ſic, iam ſum Clemens Cæſar) pergens verò Dux captus: Cæſareæ veſtræ maieſtatis captiuus ſum, aiebat ob id V. Cæſ. Maieſt. ſupplex oro, vt me dignetur cuſtodia digna Principe. Ad hæc Cæſarea maieſt. Sic quemadmodum eſtis meriti: abducite eum hinc Scimus quid nos deceat.

Hic ita tranſactis, Dux Iohannes Fridericus ad Magiſtrum de Campo, qui eius, aliorumq; captiuorum nobilium cuſtodiam ageret, deductus eſt Ac mox permiſſum, vt quorum opera ex ſuis vti vellet hos ſe accerſi iuberet. Qui magna ex parte Vitebergam profugerant: at ſimul ac vocati ſunt frequentes advenêre, dominoque ſuo etiam in captiuitate fideliter inſeruientes Dux ipſe, eodem curru, quo ante captiuitatem vſus eſt, poſt Cæſaream maieſt. vehi ſolebat. Cuſtodiebatur ſclopedarijs Hiſpanicis: cætera quàm honeſtiſsimè lautiſsimeq; tractatur. Donec tandem (diuina ſic diſponente clementia) anno poſt natum Chriſtum M D. LII. libertate iterùm ſit donatus. Dominus noſter IESVS CHRISTVS, Omnipotentis Dei Patris æternus filius, qui & ex beatiſsima ſemper Virgine Maria carnem ſuſcipere propter nos dignatus eſt, quo ex vita naturali atq; ob peccata morti obnoxia, ad incorruptibilitatem, ex terreno perituroq; ad regnum cæleſte ac perpetuum, nos ſanguine ſuo mediante, æternaq, eius Iuſticia & omnipotentia operante traduceret, ſic Spiritu ſuo regat corda Cæſareæ Regiæq; MM. omniumque totius orbis Principum vt pax firma in Eccleſia CHRISTI conſtituatur, quò regnum cœleſte in nobis, indies creſcat magis, ad gloriam nominis ſui: cui ſit laus, honor & Imperium, cum Patre & Spiritu ſancto, vni Deo, per omnia ſecula ſeculorum, AMEN.

FINIS COMMENTARIORVM IOHANNIS FVNCCII NORIMBERGENSIS.

Appendix

APPENDIX COMMENTARIORVM AB ALIIS COLLECTA.

De Laniena Parrhiſienſi.

CAROLVS IX REX GALLIÆ, CVM 1572.
videret bellis propter religionē motis finem aliter imponi non poſſe niſi ducibus callidè ſublatis, pacē fecerat ante biennium, & eam confirmarat ſorore ſua Nauarreno regi adoleſcenti, Condei filio verò Ducis Niuernenſis filia deſponſata, & ſimul cogitauerat quomodo nuptiarum prætextu pellectos Lutetiam proceres uno momento opprimeret omnes, ſolis principibus regiæ ſtirpis ſeruatis, quos vt adoleſcentes faciè reduci ad Eccleſiam Romanā poſſe confidebat. Conueniunt igitur Lutetiam præcipui omnes, nihil mali metuentes, nuptiarum feſtiuitati celebrandæ tribuuntur dies aliquot: his nondum finitis ecce Amiralius Caſpar Collignius præcipuus ex reformatis circa horam XI. matut. ex regia domum reuertens & litteras ipſi in via traditas perlegens verberatur globo emiſſo per vicinæ domus feneſtram. Accedit gener Amiralij regem, & petit inquiri in auctores. Rex ſimulat ſe excandeſcere, iubet inquiri auctorem, ipſe Amiralium cum multis principibus inuiſit mandatq; adhiberi excubias contra vim ex cohorte prætoria & remoueri pontificos omnes ex hoſpitijs Amiralio vicinis & introduci Hugonottos, quaſi melius præſto eſſe poſſent, ſi forte vis aliqua tentaretur. Sed euentus docuit, illud actum fuiſſe ideo, vt in vnum locum velut in caueam omnes concluſi ſimul opprimerentur. Rebus omnibus ſic inſtructis, iubentur ſub mediam noctem, quæ præceſsit diem Bartholomei armati nobiles, qui Hugonotis maximè erant infenſi in regia adeſſe. Pleriq; etiam ex principib. quibus moris eſt hoſpitium in regia tribuere, iam in armis erant. Sub horam 2. dimittuntur ex regia & mox occupant aditus omnes ad ea loca, quæ habebant Hugonoti proceres deinde Amirallij hoſpitium inuadunt, qui ſe ſolum peti exiſtimans, ſuos ſecedere ac ſaluti ſuæ conſulere iubet. Perfractis igitur foribus irruunt: initium cædis facit nobilis quidam VVirtebergenſis: ſuccedunt è cohorte prætoria Heluetij quibus nemo fuit truculentior. Amirallij multis vulneribus confoſſum cadauer, iuſſu Guiſij ardentis viſendi cupiditate, præcipitatur de feneſtra in ſubiectam aream domus. Trucidato Amiralio, ſæuitur in omnes qui apud ipſum reperti ſunt. Inde itur ad alios, nec ulli parcitur. Dum hæc in vrbe fiunt, ducuntur ex arce regia, qui apud Nauarrenum capti erant & penè in conſpectu eius confodiuntur à ſatellitibus regijs. Interemtis proceribus reformatorum & impunitatis venia conceſſa omnes in vrbe facinoroſi è ſuis procurrūt latibulis ac crucibus albis ſymboli locò ad pileos affixis armisq; correptis, ſatellitib9 regijs ſeſe coniungunt, diſcurrunt armati, obuios quosq; ſuſpectos ſternunt, domos ſuſpectorum aut ubi quoſpiam deliteſcere putant, effringunt, viros fœminasq; ſine diſcrimine trucidant; bona diripiunt, cadauera nudata & tracta per plateas, &

coarcerua-

Anni Chriſti.

coaceruata primò populi ludibrijs obijciunt, poſtea in flumen proijciunt. Amiralij cadauer naſo, auribus, dentibus, pudendis, extremis manibus pedibusq; mutilatum & tandem capite truncatum è patibulo ſuſpendunt. A meridie Andegauenſis vectus equo per vrbem cum aliquot proceribus pontificijs monet ſicarios vt abſtineant à cædibus, ac iubet vt ſi quos dignos ſupplicio norint, cuſtodiæ tradant. Sed vix eo digreſſo redeunt ad lanienam. Nihilominus etiam carceres replentur captiuis, mulieribus præſertim, quæ veſperi in tenebris aut ſtrangulantur aut in flumen præcipitantur. In eo furore interfecti ſunt multi docti ex omnium facultatum genere, Iurisconſulti, Medici, Philoſopi & inter hos Petrus Ramus, quin etiam nonnulli Pontificij: ac ferè nemo qui inimicum habuit potentiorem, tutus fuit; immò ex Pontificijs ij ſoli ferè ſe liberarunt periculis & ſuſpitione, qui ſe reliquorum innocentum ſanguine contaminarunt. Poſtridie quæ fuit 25. Auguſti nondum plane ceſſat laniena, & mulierculæ ſuperſtites vi pertrahuntur ad aras & ſtatuas idolorum & ad miſſarum ſpectacula ac cultus, cogunturq; liberos antea ab Hugonottorum ſacerdotibus baptizatos dare rebaptizandos. Aliquot autem millia hominum vnâ in vrbe illâ cæſa ſunt: vt etiam Lugduni Toloſæ & Rhotomagi. A meridie eiuſdem diei legati Pontificis Romani & alij adeunt regẽ & de his in Eccleſiam Romanã meritis gratulantur. Ipſe verò 28. Auguſti promulgat edictum, quo proteſtatur hæc, quæ iuſſu ſuo ſint facta in Amirallio & alijs nihil ad religionem pertinere, ſeq; velle priora decreta de religione obſeruari, niſi quod ob certas cauſſas conuentus Hugonottorum ad tempus interdicat.

1582. Comitia Auguſtæ habuit Rudolphus Imperator, ad quæ Auguſtus Saxoniæ Elector & alij principes profecti ſunt. Circa exitum comitiorum Gregorius XIII. P. P. Calendarij emendati, quod Gregorianum nominari voluit, formam ad Rudolphum Imp. miſit, vt in Germanico etiam Imperio illud promulgaret, ſicut ceteri orbis Chriſtiani reges, in Italia, Hiſpania, Gallia, Belgico, & Polonia, ſe facturos receperant. Erat autem ratio emendationis inſtituta auctore Aloyſio Lilio, à quo Lilianum, ſicut vetus à Iulio Imp. auctore Iulianum dicitur. Sed de Pontificis conſilio & emendandi Calendarij ratione totâ tunc obſeruatâ ex ipſius P. P. diplomate poſteros cognoſcere operæ precium fuerit ideoq; illud ſubijcere placuit.

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, AD PERPETVAM REI MEmoriam.

INter grauiſſimas paſtoralis officij noſtri curas ea poſtrema non eſt, vt quæ à ſacrô Tridentino concilio, ſedi Apoſtolicæ reſeruata ſunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore perducantur. Sanè eiuſdem Concilij patres, cum ad reliquam cogitationem, Breuiarij quoq; curam adiungerent, tempore tamen excluſi, rem totam, ex ipſius Concilij decreto, ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt. Duo autem Breuiario præcipuè continentur, quorum unum preces, laudesq; diuinas, feſtis, profeſtisq; diebus perſoluendas complectitur, alterum pertinet ad annuos Paſchæ, feſtorumq; ex eo pendentiũ recurſus, ſolis & Lunæ motu metiendos. Atq; illud quidem felicis recordationis Pius V. prædeceſſor noſter, abſoluendum curauit atq; edidit. Hoc verò quod nimirum exigit legitimam Calendarij

darij reſtitutionem, iamdiu á Romanis Pontificibus, prædeceſſoribus noſtris, & ſæpius tentatum eſt, verùm abſolui & ad exitum perduci ad hoc vſq; tempus non potuit, quod rationes emendandi Calendarij, quæ à cæleſtium motuum peritis proponebantur, propter magnas & ferè inextricabiles difficultates, quas huiuſmodi emendatio ſemper habuit, neq; perennes erant, neq; antiquos Eccleſiaſticos ritus incolumes, (quod inprimis hac in re curandum erat) ſeruabant. Dum itaque nos quoq; credita nobis, licet indignis, à DEO diſpenſatione freti, in hac cogitatione, curaq; verſaremur, allatus eſt nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio, artium & Medicinæ Doctore, quem quondam Aloyſius eius germanus frater conſcripſerat, in quo per nouum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum & ad certam ipſius Aurei numeri normam directum, atq; ad quamcunq; anni ſolaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Calendario collapſa ſunt, conſtanti ratione & ſeculis omnibus duratura, ſibi reſtitui poſſe oſtendit, vt Calendarium ipſum nulli unquam mutationi in poſterum expoſitum eſſe videatur. Nouam hanc reſtituendi Calendarij rationem exiguo volumine comprehenſam ad Chriſtianos Principes, celebrioresq; Vniuerſitates, paucos ante annos, miſimus, vt res, quæ omnium communis eſt, communi etiam omnium conſilio perficeretur: illi cum, quæ maximè optabamus, concordes reſpondiſſent, eorum nos omnium conſenſione adducti, viros ad Calendarij emendationem adhibuimus, in alma vrbe harum rerum peritiſsimos, quos longè antè ex primarijs Chriſtiani orbis nationibus delegeramus. Ii cum multum temporis & diligentiæ ad eam lucrubrationem adhibuiſſent, & Cyclos tam veterum quam recentiorum vndiq; conquiſitos ac diligentiſsimè perpenſos inter ſe contuliſſent, ſuo & doctorum hominum, qui ea de re ſcripſerunt, iudicio hunc præ cæteris elegerunt Epactarum Cyclũ, cui nonnulla etiam adiecerunt, quæ ex accurata circumſpectione viſa ſunt ad Calendarij perfectionem maximè pertinere. Conſiderantes igitur nos ad rectam Paſchalis feſti celebrationem, iuxta ſanctorum patrum ac veterum Romanorum Pontificum, præſertim Pij & Victoris primorum, nec non magni illius Oecumenici Concilij Niceni & aliorũm ſanctiones, tria neceſſario coniungenda & ſtatuenda eſſe: primùm, certam verni æquinoctij ſedem, deinde rectam poſitionem XIIII. Lunæ primi menſis, quæ vel in ipſum æqui noctij diem incidit, vel ei proximè ſuccedit, poſtremó primum quemq; diem dominicum, qui eandem XIIII. Lunam ſequitur: curauimus non ſolum æquinoctium vernum in priſtinam ſedem, à qua iam à Concilio Niceno decem circiter diebus receſsit, reſtituendam: & XIIII. Paſchalem ſuo in loco, à quo quatuor & eò amplius dies hoc tempore diſtat, reponendam: ſed viam quoq; tradendam & rationem, qua cauetur, vt in poſterum æquinoctiũ & XIIII. Luna à proprijs ſedibus nunquã dimoueãtur. Quó igitur vernũ æquinoctiũ, quod à patribus Concilij Niceni ad XII. Calendarũ Aprilis fuit conſtitutum, ad eandem ſedem reſtituatur: Præcipimus & mandamus, vt de menſe Octobri anni milleſimi quingẽteſimi Octuageſimi ſecundi, decẽ dies incluſiuè, à tertia nonarum vſq; ad pridie idus, eximantur, & dies, qui feſtum S. Franciſci, Nonas celebrari ſolitum, ſequitur, dicatur Idus Octobris, atq; in eo celebretur feſtum SS. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij martyrum, cum commemoratione S. Marci Papæ & confeſſoris & SS. Sergij, Bachi, Marcelli & Apuleij martyrum. Septimo decimo verò Calend. Nouembris, qui dies proximè ſequitur, celebretur feſtum S. Calliſti Papæ, martyris, deinde XVI. Calend. Nouembris fiat officium & Miſſa

Anni Chriſti.

ſuti. hriſti.

& Miſſa de Dominica XVIII. poſt Pentecoſten, mutata litera Dominicali G. in C. Quintodecimo deniq; Cal. Nouemb. dies feſtus agatur S. Luc. Euangeliſtæ, à quo reliqui deinceps agantur feſti dies, prout ſunt in Cal. deſcripti. Ne verò ex hac noſtra decem dierum ſubtractione alicui, quod ad annuas vel menſtruas præſtationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudicum erunt, in controuerſijs, quæ ſuper hoc exortæ fuerint, dictæ ſubtractionis rationem habere, addendo alios X. dies in fine cuiuslibet præſtationis. Deinde ne in poſterum à XII. Cal. Apr. æquinoctium recedat, ſtatuimus biſſextum quarto quoq; anno, (uti mos eſt) continuari debere, præterquam centeſimis annis, qui quamuis biſsextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe volumus annum 1600: poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur centeſimi, non omnes Biſsextiles ſint, ſed in quadringentis quibusq; annis, primi quiq; tres centeſimi ſine Biſsexto tranſigantur, quartus verò quiſq; centeſimus Biſsextilis ſit: ita vt annus 1700. 1800. 1900. Biſſextiles non ſint: anno verò 2000. more conſueto dies Biſsextus intercaletur, Februario dies 29. continente: idemq; ordo intermittendi, intercalandiq; biſsextum diem, in quadringentis quibusque annis perpetuo conſeruetur. Quo item XIIII. Paſchalis rectè inueniatur, itemque dies Lunæ iuxta antiquum Eccleſiæ morem, ex martyrologio ſingulis diebus ediſcendi, fideli populo verè proponantur: ſtatuimus, vt amoto aureo numero de Calendario, in eius locum ſubſtituatur Cyclus Epactarum, qui ad certam, vti diximus, aurei numeri normam directus efficit, vt nouilunium & XIIII. Paſchalis vera loca ſemper retineant. Idque manifeſtè apparet ex noſtri explicatione Calendarij, in quo deſcriptæ ſunt etiam tabulæ Paſchales ſecundum priſcum Eccleſiæ ritum, quo certius & facilius ſacroſanctum Paſcha inueniri poſsit. Poſtremo, quoniam partim ob decem dies, menſe Octobri anni 1582. (qui correctionis annus rectè dici debet) exemtos, partim ob ternos etiam dies, quolibet quadringentorum annorum ſpacio minimè intercalandos, interrumpatur neceſſe eſt Cyclus litterarum Dominicalium 28. annorum ad hanc vſque diem vſitatus in Eccleſia Romana: Volumus in eius locum ſubſtitui eundē Cyclum 28. annorum, ab eodem Lilio, tum ad dictam intercalandi Biſsexti in centeſimis annis rationem, tum ad quamcunque anni ſolaris magnitudinem accommodatum, ex quo littera Dominicalis, beneficio Cycli ſolaris æquè facilè ac prius, vt in proprio canone explicatur, reperiri poteſt in perpetuum. Nos igitur, vt, quod proprium Pont. Max. eſſe ſolet, exequamur, Calendarium immenſa Dei erga Eccleſiam ſuam benignitate jam correctum atq; abſolutum, hoc noſtro decreto probamus, & Romæ vna cum Martyrologio imprimi, impreſſumque diuulgari iuſsimus. Vt verò vtrumque vbique terrarum incorruptum, ac mendis ac erroribus purgatum ſeruetur, omnibus in noſtro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dominio mediatè vel immediatè ſubiecto commorantibus impreſſoribus, ſub amiſſionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto applicandorum: alijs verò in quacunque orbis parte conſiſtentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ ac alijs arbitrij noſtri pœnis, ne ſine noſtra licētia Calēd. aut Martyrologiū ſimul vel ſeparatim imprimere, vel proponere, aut recipere ullo modo audeāt vel præſumāt, prohibem9. Tollimus autē, & abolemus omninò vetus Calendarium: voluniusq; vt omnes Patriarchæ, primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & cæteri Eccleſiarum præſides, nouum Calendarium, (ad quod etiam accommodata eſt ratio Martyrologij) pro diuinis officijs recitandis & feſtis celebrandis, in ſuas quiſque Eccleſia

clesias, monaſteria, conuentus, ordines, militias, & diœceſes introducant, & eo ſolo vtantur, tam ipſi, quam cæteri omnes presbyteri, & clerici ſeculares & regulares vtriusq; ſexus, nec non milites & omnes Chriſti fideles, cuius vſus incipiet poſt decem illos dies ex menſe Octobri anni 1582. exemtos. ijs verò, qui adeo longinquas incolunt regiones, vt ante præſcriptum à nobis tempus harum litterarum noticiam habere non poſsint, liceat, eodem tamen Octobri menſe, inſequentis anni 1583. vel alterius, cum primum ſcilicet ad eos hæ noſtræ litteræ peruenerint, modo à nobis paulo antè tradito, eiuſmodi mutationem facere, vt copioſius in noſtro Cal. anni correctionis explicabitur. Pro data autem nobis à Domino auctoritate, hortamur & rogamus Chariſsimum in Chriſto filium noſtrum, Rodolphum Rom. regem illuſtrem, in Imp. electum, ceterosque reges, Princ. ac Reſp. ijſdemque mandamus, vt quo ſtudio illi à nobis contenderunt, vt hoc tam præclarum opus perficeremus, eodem, imò etiam maiore, ad conſeruandum in celebrandis feſtiuitatibus inter Chriſtianas nationes Concordiam, noſtrum hoc Calendarium & ipſi ſuſcipiant, & à cunctis ſibi ſubiectis populis religioſè ſuſcipiendum, inuiolateq́, obſeruandū curēt. Verùm quia difficile foret præſentes litteras ad vniuerſa Chriſtiani orbis loca deferri, illas ad Baſilicæ Principis Apoſtolorū & cancellariæ Apoſtolicæ valuas, & in acie Cāpi Floræ publicari & affigi, & earundem litterarum exemplis etiam impreſsis & voluminibus Calendarij & Martyrologij inſertis & præpoſitis, ſiue manu tabellionis publici ſubſcriptis, nec non ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem prorſus indubitatam fidem vbique gentium & locorum haberi præcipimus, quæ originalibus litteris exhibitis omninò haberetur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum præceptorum, mandatorum, ſtatutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, ſublationis, abolitionis, hortationis & rogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Tuſculi, Anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXXI. Sexto Calend. Martij, Pontificatus noſtri anno decimo.

Anni Chriſti.

Hanc verò Calendarij emendati formam Principes proteſtantes ideo recipere noluerunt, quod iudicarent, non ſolum difficultates & confuſiones in iudicijs, in hiſtorijs, in litteris contractuum, aliarumq; obligationum, in nundinis, in nauigationibus, in ſolutione cenſuum, in agricultura, in omnibus negocijs ciuilibus, & celebratione feſtorum Eccleſiaſtica, ex diſsimilitudine Calendarij ſecuturas, ſed in primis Cæſ. M. & ſacri imperij autoritatem, reputationem & ſuperioritatem, à Pontifice non imminuendam, Addebant hoc quoque, quod conſtaret, præſentem anni formam, à Cæſare Iulio primum inſtitutam fuiſſe; deinde Carolum Magnum, Imperij Germanici conditorem, & Calendarium ipſum, & nomina menſium Germanica populis Teutonicis dediſſe; præterea Canonem concilij Nicæni de feſto Pachatos, non Romani Pontificis, cui ea autoritate & potentia, quam nunc poſsidet, nondum eo tempore fuit, ſed communi Cæſaris Conſtantini, & patrum conſilio conditum fuiſſe; Concilia in ſuper ipſa non à Pontifice, ſed Romanis Imper. indicta coijſſe, ſicut

 Conſtan-

Anni Chriſti. Conſtantienſe adhuc concilium Cæſar Sigismundus collegerit; denique jus conſtituendi non tantum Epiſcopos in Germania, ſed etiam Pontificem Romanum, penes Imperatores ante & poſt Caroli Magni, tempora vſque ad Ottonem I. & deinceps vſque ad Gregorij VII. P. P. ætatem hæſiſſe. Summopere igitur cauendum eſſe ſuadebant ne nouam & inuſitatam jurisdictionem & poteſtatem mandandi Cæſari & Imperio, hac Calendarij emendati á Pontifice præſcripti receptione, Pontifici, ordines Imperij tribuant, præſertim cum non requiſito Imperij conſilio & conſenſu, res illa à Pontifice ſuſcepta fuiſſet. * In huius quoque Chronologiæ vſque ad annum Chriſti 1601. continuatione, veteris Iuliani Calendarij formam & dies retineri, beneuolus lector ſciat.

Eodem anno ex veteri Muſulmanorum conſuetudine die 28. Maij circumciſus fuit Mahometes Amurathis III. Imperatoris Turcici filius, adoleſcens 15. circiter annorum, incredibilis Pompæ magnificentia, ceremoniarum ſolennitate, & ſpectaculorum varietate conſumtis 40. diebus, præſentibus Conſtantinopoli maximorum prope totius orbis Principum legatis, vtpote Rudolphi II. Rom. Imperatoris, Henrici III. regis Gallici, Stephani regis Polonici, Reip. Venetæ, Mahometis Hodabendis Regis Perſici, Regum Africanorum, Maroci & Feſæ, Tartarorum Chami, Sigismundi Principis Transſyluaniæ, Regulorum Moldauiæ & VValachiæ, atque aliorum. Sub legatorum nomine & numero aliquot Principes illuſtriſsimarum familiarum, præſertim, Germaniæ delituerunt.

1584. Vniuerſa Sileſia iuſſu Rudolphi II. Imperatoris Calendarium Gregorianum recepit, præteritis 10. diebus in Ianuario non in Octobri vt vult Pontificia bulla. Secuta fuit eodem anno Luſatia, Morauia, Bohemia.

1585. Ieſuitæ ad Romanæ ſedis Potentiam vtcunque corroborandam, per ſuos egerunt, vt quidam reges & Principes Iaponiæ ad fidem Chriſti conuerſi legatos ſuos ad Pontif. Rom. amandarent. Inſula ea eſt, vt quidam mathematici volunt Hiſpaniæ penè oppoſita, ita vt Hiſpani Iaponibus, & Iapones Hiſpanis propemodum ſint Antipodes, tantæque magnitudinis eam aſſerunt, vt tres Italias ſuperare videatur. Diſtribuitur in 60. principatus, ſitaque eſt quoad longit. circa 180. grad. quoad latitudinem circa 35. grad. longe vltra Indiam & Sinarum regiones. Principes iſti erant Franciſcus Bungorum rex, Protaſius Arimæorum rex & Bartholomæus Omurcæ princeps. Hi igitur collatis Conſilijs decreuerunt, quatuor ex ſuis cum Patre Alexandro Valignano viſitatore Societatis Ieſu, qui iſtis in oris viſitarat, & tunc reditum in Europam parabat, ablegare. Fuerunt, qui mittebantur Mancius Fiungæ regis nepos, qui nomine regis Bungorum proficiſcebatur, alter Michaël Cinguiua Arimæi regis, & Omurcæ principis legatus, quorum vnus erat nepos, alterius verò conſobrinus. Duobus his alios duos ex præcipua nobilitate adiunxerunt, Iulianum Narauiram, & Martinum Faram, omnes iuuenes 22. circiter annorum.

Hi p

Hi paratis omnibus ad iter neceſarijs 20. die Februarij anno Chriſti 1582. è portu Nangaſchæ nauigarunt, & poſt longam difficilemq; nauigationem tandem Romam venerunt, 22. Martij anno 1585. tertio anno, menſe vno, & duobus diebus, poſtquam è Iaponia deceſſerant: iterque vt aiebant 20000. milliarium (Italicorum) propter varia promontoria circumnauigata, curſum obliquatum, ventorum opportunitatem captatam, & alias importunitates deuitatas fuerant emenſi. Poſtridie Pontifex publicum conuentum Cardinalium indixit, in quo legati cum ineffabili apparatu excepti, atq; ab omnibus Dominis & Principibus aulæ ſummis honoribus affecti ſunt. Omnia abunde ſuppeditabat Pontifex Gregorius XIII. qui paulò poſt eorum aduentũ 10. Aprilis mortuus eſt anno ætatis 84. Die vero 17. Auguſti iterum in Indiam ſeſe contulerunt. *Anni Christi*

Ioachimus Erneſtus Anhaltinus princeps, 6. Decembr. moritur, eo nimirum die, quo Rudolphus II. Anhaltinus, tum Elector Saxoniæ (qui prima templi Cathedralis VVitebergenſis fundamenta iecit,) ante 216. annos obierat. 1586.

Circa hæc tempora Romæ Sixtus V. Pontifex magnum obeliſcum ex vno lapide ſolidum, ſcilicet 107. pedes longum, ſed latum 12. in calce, 6. in vertice, ex Neronis circo, ubi terræ magna exparte immerſus erat, in aream Diui Petri ſumma omnium admiratione erigit: ita vt annus integer nunquam intermiſſo labore conſumeretur. Conuocauerat multos celebriores in architectura magiſtros, qui de modo transferendi inter ſe colloquerentur. Ad hoc opus perficiendum initio quinq; baſiliſtæ, & quadraginta ergata conſtructa ſunt, quæ à 907. viris, & 70. equis in orbem verſabantur & regebantur. Expenſæ ſunt 37000. coronatorum, inſuper 965, priuſquam in altum leuaretur, dimitteretur, transferretur, cum omnibus ornamentis, deaurationibus, alijsq; ſumtibus, accidentalibus, excepto metallo unde conflata fuit crux in ſummitate collocata, & leones ſuppoſiti ad molem ſuſtentandam. Hic olim inter alios 42. magnos & paruos, ſed diuerſis temporibus Romam peruenit. Iuſſit idem Pontifex alios ſed minores ſub terra defoſſos erui, in quibus plurimæ litteræ Ægyptiacæ & Hieroglyphicæ conſpiciuntur.

In Anglia, Maria Scotiæ regina nouarum inſidiarum accuſata, poſt 19. annorum Carcerem in Northamptoniæ prouinciæ arce Fotheringhamo, 8. Februarij inuicto & præſenti animo capitis ſupplicium ſubit. Etſi verò tale genus mortis regibus, principibusq; infrequens admodum eſſe videbitur: tamen hoc ipſo ex eorum claſſibus plures affectos legimus. Inter eos fuit Conradinus Conradi IIII. Imp. filius, Nicolaus princeps ab Oppeln, Maria Brabantica Ludouici Bauari coniunx, Albertus Comes Bambergenſis, Philippus comes ab Horn, Lamoralus comes ab Ægmond, etiam Sebaſtianus comes à Monteculo, quorum hic à quatuor equis diſcerptus, reliqui omnes carnificis manu decollati ſunt, vt etiam Ferdinando comiti ab Hardec Viennæ anno Chriſti 1595. accidit. &c. 1587.

Sixtus V. PP. Eliſabetham Angliæ reginam propter diſſenſionem in religione à Catholica Romana Eccleſia, & quod Belgicos contra Hiſpanum foueret, primò anathematis fulmine percutit, regio titulo, regno, & omni dignitate exuit, atque omnes totius Angliæ vaſallos à iuramento ab-

 ſoluit,

Anni Chriſti.

ſoluit. Deinde ſicut anno Chriſti 1492. controuerſiam inter Portugalenſes & Caſtilienſes de America diremit Papa, donando terras nondum cognitas orientales Portugalenſibus, ſed occidentales Caſtilienſibus, ita nunc ex ficta plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ totum Angliæ regnum Philippo II. Hiſpaniarum regi Catholico donat, & liberam ei poteſtatem facit, illud primo quoque tempore inuadendi, capiendi, occupandi, Hiſpaniæque ac Britanniæ titulos vſurpandi, ea tamen conditione adiecta, vt regnum Britanniæ occupatum nihilominus ab Apoſtolica ſede Romana tanquam feudum petat. Quanquam verò Rex Hiſpanicus, 9. cultiſsima regna habet, Hiſpanicum, Arragonenſe, Granatenſe, Siculum, Neapolitanum, Mediolanum, Luſitanum ſeu Portugalliam, præterea Nouam Indiam, & Floridam, quæ aliquot totius orbis terræ partes æquant, excepta Burgundia & Belgici 17. prouincijs, quæ in quatuor Ducatus, 7. comitatus, 5. dominia, & Marchiam unam rurſus diuiſæ 236. vrbes & 6270. circiter pagos continent: tamen Anglicum regnum iam ſecunda vice oblatum omnibus viribus ſibi capiendum exiſtimat. In hunc igitur finem claſsem potentiſsimam toto triennio diuerſis in locis apparatam conuenire iubet. Illa nauibus militaribus grandibus 125. militibus veteranis ex Hiſpania Italia & aliunde collectis 20000: nautis 10000: tormentis 2000: pyrio puluere, globis & annona ad ſex menſes inſtructiſsima ex Tagi oſtio, exeunte Maio ſoluit, & ad littus Hiſpaniæ lente procedens in Coronin portum Hiſpaniæ verſus Boream extremum, in finibus Gallicíæ & Aſturiæ, quem Artabrorum portum Ptolemæus vocat, die 20. Iunij acceſsit. Cum autem vix è conſpectu Hiſpanicæ telluris in altum perueniſſet, aduerſis ventis in eundem & vicinos Aſturiæ ac Biſcaiæ portus reiecta fuit. Rex cum ſine magna clade Coronin redijſſe & conueniſſe claſſem intellexiſſet, eam iterum ex templò in Angliam tendere, & coniunctam Belgicæ Parmenſis claſsi, milite in continentem expoſito, vniuerſum Angliæ regnum occupare iubet. Itaque cum 28. dies in portu Coroneo hæſiſſent, verſus Caſſeridas è diametro Artabris ad boream oppoſitas (ſillij hodie Angli, ſtanni feraces, Belgæ Sörgling appellant) curſum ſuum Hiſpani dirigunt. Iamq; Geſſoriacum Galliæ & Iccium portum præterlegebant, vt cum Belgica Parmenſis claſſe, plus quam 300. nauigiorum, inter quæ plurima erant latiora, quibus in terram miles exportaretur, ad Dunkirchiam collecta coniungerentur: cum Anglicæ claſsis præfectus inferior Franciſcus Dracus, (alius enim erat ſuperior admiralius) à tergo illos eſt inſecutus. Ac primum ex pretorijs vnam, quæ agmen nauium claudebat, tardius inſequentem, cepit. Cumq; ſecundis ventis & nauigijs agilioribus, quam erant Hiſpanicæ naues grandes, & immanes, vteretur; toto triduo cum eis eminus velitatus, malos præcipuè & gubernacula, tormentorum globis decutere. & catenis per tormenta emiſsis, rudentes, & quæ eminebant reliqua, regendæ nauis inſtrumenta diſcindere ſtuduit. Claſsis Hiſpanicæ ſummus Imperator Alfonſus Pereſius, Medinæ Sidoniæ Dux, cum videret Parmenſem partim aduerſis ventis, partim Selandica claſſe ad oſtium portus Dunckerkani impeditum fruſtra expectari, prope Caletum ancoras iecit. Mox Draco ſequenti nocte, octo veteres ſuas naues, pice, ſulphure, alijsque igneis materijs repletas vento vehemente à tergo aſpirante in Claſsem Hiſpanorum immiſit. Hi metuentes, ne ſuæ etiam naues accenderentur, ancoris ſubleuatis vel reſciſſis diſce-

ſis diſcedunt. Naues igitur Hiſpanicas turbatis ordinibus in fugam adactas Dracus inſequitur & cum datur, à tergo globis impetit, qui in illa Hiſpanicarum nauium altitudine raro aberrabant, cum Anglicæ humiliores non ſemel ictus eluderent. Accedebat & hoc, quod Hiſpanicæ naues, ſi quando in arenoſa vada inciderent, immotæ ſtabant. Duæ ex his Fliſsingam ductæ & ictibus planè conquaſſatæ, in portu peribant. Alia Brielam vi tempeſtatis appulſa, aliæ alibi captæ ſunt. Reliqua Hiſpanorum claſsis, Africo vehementiore aliquot dies continuos ſpirante, ad extremæ Daniæ ſeu Iutiæ & Noruegiæ fines propulſa, inter Hetlandiam & Orcades, circumnauigata eminus Britannia vniuerſa, & multis denuò ad Hyberniæ littora nauibus amiſsis, in Hiſpaniam rediȷt. Sic igitur terribilis illa Hiſpanica claſsis, omni munitione bellica & milite inſtructiſsima, quæ totam Angliam occupare, & multò longius progredi iuſſa erat, Vix à longinquo foris conſpecta & circum nauigata eminus Anglia diuinitus turbata & maxima ex parte in hilum diſsipata fuit.

Anni Christi

Henricus III. Galliæ rex 3. Martij anno 1575. matrimonio ſibi iunxerat Claudiam Ludovvicam, Nicolai Comitis Vademontij Lotharingici filiam. Cum igitur ex ea nullum ſuſciperet hæredem, & ius ſucceſsionis etiam ex regis iudicio ad Henricum Nauarrenum propter diſſenſionem religionis à Pontifice excommunicatum & inhabilem ad ſucceſsionem declaratum pertineret, Carolus Borbonius, Henricus Guiſius & alij Pontificiæ religionis proceres anno Chriſti 1587. coactis copijs & occupatis vrbibus aliquot aduerſus Nauarrenum ab ipſorum religione diſſentientem inſurgunt, & de ſucceſſore regis nimis intempeſtiue digladiantur. Hinc anno 1588. Henricus III. ipſe Pontificius Pontificios proceres metuens, menſe Dec. in conuentu Blæſenſi Henricum Guiſium ſub ſpe ampla euocatum in veſtibulo cubiculi regij trucidari Cardinalemque fratrem Guiſij ſtrangulari, aliquot Epiſcopos & duces in cuſtodiam dari curat. Cumque ideo animi procerum Pontificiorum ab ipſo magis alienarentur, & Parrhiſienſes regem vrbe excluderent, exercitum conſcribit, cui legatum cum ſummo Imperio Nauarrenum præficit. Dum verò in caſtris cum magna procerum parte in pago S. Claudij duobus ab vrbe Parrhiſienſi miliaribus copias augere ſtudet 22. Iulij anni 1589. à Fratre Iacobo Clemente Senliſiano ordinis S. Dominici Monacho iuuene 23. circiter annorum, Venenato cultello ob longo & acuto circa ilia perfoditur, legens litteras quas monachus à ſe in proprias manus regi tradendas dixerat. Rex eodem cultro è vulnere educto grauiter illum in vultu vulnerauit, quin & monachus mox ab accurentibus miniſtris occiſus fuit. Ferunt eum ſæpè in ſuggeſto Lutetiæ crucifixi effigiem manu tenentem dicere ſolitum fuiſſe, illam eſſe manum, quæ Gallos Catholicos liberatura eſſet. Communicauerat etiam antea de ſuo inſtituto cum confratre, magnam doctrinæ & ſanctitatis opinionem habente, & ab angelo ſe iuſſum eſſe, Regem tyrannum & hæreticum ex medio tollere iactitauerat. Rex accepto vulnere poſtridie media nocte mortem imminere ſentiens hæredem & ſucceſsorem Coronæ Galliæ Nauarrenum deſignat. Hoc igitur modo Henricus III. Valeſiorum nouiſsimus anno ætatis 38. Monachi Iacobi Clementis Senenſis Galli cultello venenato, & cum eo tota Valleſia ſtirps periȷt, quemadmodum olim Henricus VIII. Imperator Dominicani Monachi, Johan. de monte Politiano, Senenſis Itali, hoſtiâ venenatâ ſublatus fuit. Et 1589.

 hoe

Anni Chriſti. hoc eſt aliud exemplum, quomodo Pontifices Romani integra regna concutere & conuellere ſoleant. Nauarrenus á plerisq; proceribus Rex agnoſcitur & obſidionem Parrhiſienſem non modo redintegrat, ſed etiam ſtrictius vrget.

Cœpit inprimis illa arctior obſidio 2. Maij & continuata eſt ad 22. Iulij &
1590. fuit talis, vt Antonius Cicarella in vitis Pontificum exiſtimet, verè dici poſſe, à mille annis vsque huc in nullis Hiſtorijs aut maiorem legi aut æqualem. Tanta tunc fuit in vrbe fames, vt modius frumenti venditus ſit circiter 150. coronatis, II. Barilæ congius vini coronatis 4. & dimidio, veruex 36. librarum 54. coronatis: ouis 112. francis, pondo carnis equinæ 10. Boocis, pondo Butyri aut olei coronato, vacca vetula & macra 116. coronatis Gallicis, plurimi morticina carne ex mortuorum oſsibus in mortario contuſis, & pugillo farinæ vno atque altero miſto confecta veſcerentur, plurimi ad Nauarrenum deficerent, quos tamen ſæpè ad priſtina præſepia retrorſum adigebat, & vt habet Cicarella 50000. fame abſumerentur. Hanc tantam miſeriam monachi pro concionibus ex tenuabant, prætendentes, antequam ad mactationem & epulas filiorum veniretur, famem in vrbe dominari recte dici non poſſe. Poſtea lenior cœpit eſſe obſidio Hiſpanis ſubinde auxilia vrbi mittentibus, donec tandem Parrhiſienſes ſponte intromiſerunt regem, cum nimirum Nobilitatis precibus & policitationibus victus, vt Gallia faucibus Hiſpa-
1594. nicis eriperetur, perſuaderi ſibi paſſus fuiſſet vt deſerta religione quam hactenus coluerat, Pontificiæ iterum ſe adiungeret. Operæ verò precium fuerit, cognoſcere modum, quo à Clemente VIII. tantus Monarcha poſt aliquot annorum preces in gremium Eccleſiæ Romanæ receptus fuit.

Henricus igitur IIII. Galliæ & Nauarræ rex, poſt biennij ferè preces ſupplices, tandem à Pontifice, magna & ſolenni pompa Romæ, ab omni hæreſi & excommunicatione liber pronunciatus, & in Romanæ Eccleſiæ gremium receptus, & Chriſtianiſsimus declaratus eſt. Nam pridie natalis Mariæ virginis, Pontifex Clemens VIII. in ſolenni habitu, ex ſuo Palatio, in porticum D. Petri geſtatus, cum Cardinalibus & conſiliarijs Inquiſitionis & Pœnitentiarijs conſedit. Deducti ad eum, per magiſtros ceremoniarum, Regis Galliæ procuratores, frequenti comitatu apparentes, pedem Pontificis oſculati ſunt. Quorum Princeps, Dominus de Perona, eleganti oratione latinè habita, nomine ſui Regis obedientiam ſubiectiſsimam detulit, & Abſolutionem ac benedictionem Pontificiam humilimè petiuit. Oratione finita, Coſmus de Angelis, Sancti officij inquiſitionis aſſeſſor, Decretum Pontificis ex ſcripto legit, quo, abſolutionem ab Epiſcopo & aliquot Prælatis in Gallia ſuperiori tempore, Regi Galliæ & Nauarræ dictam, inualidam & nullam: Catholicos tamen actus omnes, à Rege poſtea præſtitos, validos declarat: eumque ab omnibus excommunicationibus ac cenſuris, præcipuè Sixti V. bulla, his legibus abſoluit: Si procuratores, loco ſui Regis, quem ratum habiturum omnia, quæ agent, pollicebuntur, omnes hæreſes in genere, ac in ſpecie Caluiniſticam abiurabunt, & ſatisfactiones à Pontifice mandatas, recipient. Quæ omnia Rex poſtea confirmabit, & abiurationem in Gallia coram legato Pontificio, in propria perſona, repetet. Statim igitur ambo procuratores, abiurationem clarâ voce recitarunt & Profeſsionem Fidei Catholicæ Romanæ ediderunt.

Poſtea,

Poſtea, Coſmus de Angelis, conditiones & ſatisfactiones pœnitentiarias, Regi à PP. iniunctas, ex ſcripto prælegit, & Chriſtianiſsimi titulum Regi, facta iam abiuratione, tribuit.

Conditiones propoſitæ fuerunt, vt Rex, Concilium Tridentinum recipiat, & in toto regno Franciæ obſeruari curet. Quod ſi in aliquibus regni provincijs, ſine periculo novarum ſeditionum obtineri nequeat, veniam à P P. Rex petat.

Principem Condæum puerum novennem, proximum nunc regni hæredem, intra anni vertentis ſpacium, ab hæreticorum familiaritate ſegreget, & in Catholica Apoſtolica Romana Religione educari curet.

In Bearnenſi principatu, ad epiſcopas vacantes, idoneos Epiſcopos nominet, ijsque reditus ademptos reſtituat, & donec reddantur, ex regiæ Cameræ reditibus alat. Vetera pacta cum ſede Romana, redintegret ac ſeruet. Omnia beneficia, reditus & bona Eccleſiaſtica ſuperiorum temporum bellis alienata, ſuis Epiſcopis Abbatijs, & ordinibus ac perſonis Eccleſiaſticis, reſtituat. Poſtremò, Rex ipſe, de ſua converſione, & hæreſium omnium deteſtatione omnes Catholicos Reges & Principes literis ſuis doceat.

Satisfactiones autem Regi has præſcribit: ſingulis diebus ☽ preces Coronæ Mariæ: diebus ☿ litaniam: ♄ preces Roſarum Coronæ Mariæ recitet, Quam etiam aduocatam ſibi coram DEO eligat. Singulis diebus Miſſam: ſed diebus ☉ & ♀ plenum officium audiat, niſi impediatur. In ſingulis regni prouincijs monaſterium erigat: quater in anno confiteatur & communicet: Ieiunia & Vigilias ab Eccleſia mandatas religioſè ſeruet.

Has conditiones & ſatisfactiones, dicti procuratores & Oratores Regij de Peron & Oſsat, ſua ſubſcriptione receperunt & proſtrati ad pedes Pontificis, qui humeros eorum virga ſubinde tetigit, iacuerunt, donec Pſalmos, Miſerere, & De profundis, cantores Pontificij ſummiſſa voce ceciniſſent. Quibus abſolutis, Pontifex exurgens, & mitra de capite ſublata preces aliquot ex Pontificali recitans, dictis Galliæ Regis Oratoribus Benedictionem pronunciauit. Tandem Pontificius Fiſcalis, ſicut & Fiſcalis inquiſitionis, omnes Protonotarios & notarios præſentes, imprimis autem Dandinum & M. Flaminium notarium Inquiſitionis, ex officio requiſiuit, vt huius actus memoriam conſeruarent, & inſtrumenta publica de eo conficerent. Secuti ſunt ſtatim ſub porticu tubarum & tympanorum ſonitus, & ex caſtello S. Angeli omnia tormenta exploſa.

Poſt hæc templum S. Petri, antea clauſum, rurſus apertum eſt, & admoniti à Pontifice Oratores Regis Francici: Quemadmodum ipſe nunc Regi illorum ianuam Eccleſiæ militantis in his terris iterum aperiat, ita Regiam Maieſtatem eniti debere, vt viua fide & bonis operibus, ſe introitus in Eccleſiam Triumphantem in cœlis faciat capacem. Ingreſsus templum S. Petri, concinentibus Muſicis, Cardinalis de S. Seuerino ſupremus Pœnitentiarius, duos Galliæ Regis Oratores ad vſum ſacramenti, & vlterius ad S S. Petri & Pauli aram duxit, vbi precationes dixerunt, & Cardinalis ipſe, recitatis ex Pontificali orationibus, ab eis diſceſsit.

Anni Chriſti.

Inde ad Cardinalem Gioioſam, cum multis prælatis & nobilibus Gallis, in templum S. Ludouici ſe contulerunt, vbi ſupra portam templi inſignia Regni Galliæ, cum huiusmodi inſcriptione eminebant: HEINRICVS IV. GALLIÆ ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISSIMVS. In eo etiam templo, Doxologiam ſolennem, TE DEVM laudamus, Galli cecinerunt, & recitatis per archie. Ambronenſem præcatiunculis certis, in hoſpitium redierunt. Plurimæ etiam effigies Regis pictæ, ſculptæ ac expreſſæ, tota vrbe emptæ, & arma Gallica domib. Regi Galliæ benevolentium affixa, & maxima pars vrbis, (Hiſpanis tamen exceptis) lætitiæ & gratulationis indicia illuſtria ediderunt.

Hoc anno, poſt captum Iaurinum (ante biennium) vlterius progrediendum ſibi ſtatuit Turca, & Agriam fortiſsimum Vngariæ ſuperioris propugnacu-
1596. lum ipſe Mahometes III. Turcarum Imperator trium hebdomadum interuallo, manu 150000. militum, grauiter obſedit, ſibiq; tandem á præſidiarijs (fruſtra reclamantibus præfectis) deditum occupauit, 2. Octobris. Die veró 16. Octobris ad rudera pagi Kereſtheſch non procul ab Agria cum ipſo Mahomete III. Imp. Turc. dimicauit Maximilianus Archidux Auſtriæ, adiunctis ſibi Sigismundi Tranſyluaniæ Principis & Chriſtophori Teuffenbachij copijs, ita tamen, vt Chriſtianus exercitus vix 40000. conſtaret. Etſi veró primo congreſſu victoria fuit penes Chriſtianos, ſiquidē plurimis Turcarum trucidatis, reliquos proſpero cōflictu una cū ipſo Turcico Imperatore in maximā fugā compulerunt, adeo vt iam intra ipſa Mahometis Imperatoris Turcici caſtra prorſus à Turcis deſerta penetraſſent tamen mirabili caſu mox non paruam victoriæ partem amiſerunt. Cum enim ampliſsimas prædas forſan data opera á Turcis relictas & diſperſas intra hoſtium caſtra ruptis ordinibus hinc inde ipſi quoq; diſperſi colligerent, ſubitó conuerſa Turcarum & Tartarorum quædam manus exigua in eos diſperſos incidit. Terrore igitur quodam panico perculſi fugerunt & nec minis nec precibus Ducum reuocari potuerunt, & factum eſt, vt plures ab equis quam hoſtibus trucidarentur. Sic uno tempore ambo exercitus fugerunt, mirabili planè modo. In hoc prælio à parte Chriſtianorum 5000. vel 6000. & inter hos Erneſtus & Auguſtus, Iohann. filij, Duces Holſatiæ fratres, plurimiq; præcipui tam equitum, quam peditum Germanorum, Bohemorum, & VValonum præfecti forti animo occubuerunt. Hanc pugnam 12. 14. 15. Octobris cruentæ aliquot velitationes inter Turcas & noſtros præceſſerunt. Locum enim quendam vndoſum & paluſtrem è regione pagi Kereſteſch hoſtes occuparant, ſed ita à noſtris repulſi fuerunt, vt duobus Baſsis cum magna militum manu cæſis ſigna aliquot militaria & 43. tormenta bellica amitterent. Vt veró ſinguli & vniuerſi tum in precibus tum in armis aduerſus Turcas ardentiores eſſe poſsint, cum videant quo vſque progreſsi ſint illi, & quibus quotidie magis magisque immineant, non inconſultum viſum fuit, ſub finē ex monumentis Hiſtoricis proponere tabellam præcipuarum prouinciarum Turcicarum, quas per Baſſas ſeu vice reges Imperator Turcicus gubernare ſolet. Eam inueniet lector in ſcriptis D. Chytræi.

In Aſia.

1. Natoli, hoc eſt, Aſiæ minoris Beglerbegus ſeu vicerex, reſidet in Phrygiæ maioris Chiutaia.

2. Ca-

 Anni Chriſti.

2. Caraman, Ciliciæ præeſt, & vicinæ Pamphyliæ, Lyciæ, Lycaoniæ, vt & parti Cariæ.

3. Seuas, ſiue Sebaſtea Cappadociæ meridionali, qua Ciliciam & Armeniam minorem ſpectat.

4. Tocatum ſeu Cappadociæ Septentionali verſus Pontum Euxinum, reſidet in Amaſia vrbe, cuius longitudo eſt 65. grad. 30. ſcr. latitudo veró 42. gr.

5. Dulgadir, cuius princeps olim Alaudeules & populi Aladuli olim inter Turcicum & Perſicum Imperium & Syriam interiecti.

6. Halep ſuperioris ſeu Cyrreſticæ Syriæ, reſidet in vrbe Alepo.

7. Scham, Damaſci, quæ ita dicitur Turcis & Arabibus ſicut Conſtantinopolis Stambul, & hic eſt præfectus Cæleſyriæ & Paleſtinæ.

8. Tarablos ſeu Taraplos, Tripolitano regno præeſt ad montem Libanum.

9. Maras, Arabiæ deſertæ confinis, infra Halepum & Meſopotamiam.

10. Diarbekir, Meſopotamiæ, ad vrbem Amidam.

11. Bagdar, Babyloniæ & Chaldeæ,

12. Balſara, ad ſinum Perſicum, Perſidis & Chaldeæ partem habet.

13. Labia ſeu Laxa, Carmaniæ, qua Ormuzum nunc Luſitanos agnoſcentem, ſpectat,

14. Iemen Aden, in Arabia Felice,

15. Hebeſch, ad ſinum Arabicum opponitur Præſto Iohanni,

16. Cypro, Nicoſiæ vel Famaguſtæ reſidet,

17. Ezrum & Arzerum, Armeniæ maiori uerſus Georgianos, vt etiam parti Aſſyriæ,

18. Schereſul, Aſſyriæ in finibus Perſiæ,

19. VVan in confinibus Armeniæ & Mediæ,

20. Tiflis, in regione Georgianorum,

21. Siruan, Mediæ pars.

22. Temir capi, porta ferrea ad Derbentum ſeu anguſtias montium ad mare Caſpium.

23. Tſchildir, ad fines Mediæ & Georgianorum.

24. Cars, in Armeniæ maioris & Mediæ finibus.

25. Fas, Mengrellijs, Colchidis habitatores ſub ſe habet quaſi Phaſidis fl. incolas.

Poſteriores 8. minus amplas habent prouincias quam reliqui.

In Europa.

1. Rumuli, Thraciæ & Græciæ totius Beglerbegus: quam Romaniam, corrupte Rumuli vocant. In Seruiæ & Bulgariæ finibus ſedem habet: plerunq; veró Conſtantinopoli degit.

2. Temes vvar, Vngariæ trans Tibiſcum, verſus VValachiam & Tranſyluaniam.

3. Budæ, verſus Auſtriam, tenet Albã regalem, Zigeth, Zolnok, Filec, Quinq; Eccleſias, Mohacium, Segedinum, Sirmium, Semendriam, ſeu Sinderouiam.

4. Boſnæ,

Anni Christi.

4. Boſnæ, Illyriam, Dalmatiam & partem Croatiæ tenet, reſidetque Bagnania Lucæ.
5. Coffæ, Tauricæ Cherſoneſi, quæ olim dicebatur Theodoſia.
6. Capitan Baſſa plerisque inſulis maris Ægæi dominatur, Lemno, Lesbo, Chio, Rhodo, Eubææ, & ad ſinum Corinthium Naupacto Leucadi &c.

In Africa.

1. Meſsier, Ægypto præſidet Cairi, quam Iudæi Mizrim & Turcæ corruptè Meſsir vocant.
2. Tunis, Tunetanum regnum gubernat, & reſidet Tuneti.
3. Tripolis, propè Gerbos Lotophagarum inſulam.
4. Giul Geſare vel Ceſair, Algeriæ reſidet, idque eſt corruptum Iulia Cæſarea.

1598. Cauſsa, quod Anglica monopolia in Imperio Romano abrogauit Imperator, fuit, quod Eliſabetha regina Angliæ, ſocietatis Germanorum Hanſeaticæ immunitates à multis regibus Angliæ corroboratas non amplius integras conſeruare, verùm cum nouæ cuiuſdam & peregrinæ ſocietatis hominibus communes eſſe voluit. Vt veró lectoribus origo & appellatio Hanſeaticæ ſocietatis non ſit ignota, ſciendum eſt, quod, vt aliqui volunt, ante 400. annos, aliquot Germanicæ & aliæ ciuitates ad commercia in publicum vſum magis ſtrenuè exercenda ſingulari fœdere coierint, & apud reges exteros ſingularia priuilegiá & iurisdictiones, aliasque immunitates obtinuerint, inprimis Londini in Anglia, Brugis in Flandria, Bergæ in Noruuegia, & Neogardiæ in Ruſsia. Prouinciæ & vrbes priuilegiorum ſocietatis iſtius adhuc participes hæ recenſentur ab auctoribus, 1. Vandalicæ: Lubeca, Hamburgum, Roſtochium, Sund, VViſmar, Luneburga. 2. Pomeranicæ; Stetinum, Anclam Golnovv, Gryphiſvvald, Colberg, Stargard, Stolp, Rugenvvald. 3 Pruſsicæ: Culma, Thorn, Elbing, Dantiſcum, Regius mons, Braunsberg. 4. Liuonicæ: Riga, Derbt, Reuel. 5. Saxonicæ Transericanæ, Magdeburga, Brunſuuiga, Goſlarium, Embeck, Gottingen, Hildesheim, Hannouera, Vlſen, Buxtehud, Staden, Bremen, Hamel, Minda. 6. VVeſtphalicæ: Monaſterium, Osnaburg, Tremonia, Suſatum, Heruord Padeborna, Lemga, Bilefeld, Lippa, Cosfeld. 7. Cleuenſes & Marchicæ; Colonia, VVeſalia, Diuisburgum, Emmerich, VVarburg, Vnna, Ham. 8. Geldricæ: Neomagus, Zutphania, Ruremunda, Arenacum, Venlo, Elburg, Hardervvik. 9. Tranſiſalanæ, Dauentria, Suuolla, Campi, 10. Friſiacæ; Groninga, Stauera, Bolsuuerda. Ad appellationem quod attinet, non eſt ex proprio nomine IOHANNIS deſumta, cum nulla ſit ratio cur excellentes & præpotentes potius magnos IOHANNES, quam magnos PETROS vel PAVLOS cognominare debeamus. Teſtis autem eſt locupletiſsimus Iornandes de rebus Geticis, quod Gothi (qui Germanici populi quoad originem & linguam fuerunt) proceres ſuos non puros homines ſed ſemideos, id eſt, ANSES nuncupauerint. Inde Reinerus Reineccius has lo

ias locutiones Der groſſen Hanſen, item Hanſe Stedte, hoc eſt, hominum & vrbium negationibus, opibus & confederationibus potentiorum rectè deducit.

Eodem vt & aliquot præcedentibus annis comitia in Imperio propter bellum Turcicum celebrata fuêre. Cumque in eiusmodi decretis ſtatus Imperi in vſum belli interdum tot, interdum tot itinera Romana, Römerzug, ſeſe contribuere velle polliceantur: tyronibus non ignotum eſſe debet, antiquitus Imperatores tamdiu non abſolutè Imperatores, ſed tantum Electos Imperatores fuiſſe dictos, donec à Pontifice coronam Bononiæ acciperent. Ad hanc Romanam expeditionem quæ poſt Carolum V. non amplius ſuſcepta fuit, Ordines olim 100000. flor. conferre ſolebant. Hoc menſuræ genere & nomine hodie vtuntur in numerandis contributionibus ad bella Turcica neceſſarijs, ita tamen vt expeditio Romana, Römerzug, hodie quartâ parte ſit minor quã olim fuit. Oramus autem æternum Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI vt ipſe egrediatur cum exercitibus noſtris & maledici Mahometis regnum deſtruat, vt iam tandem Chriſti diuinum nomen longius latiusque propagari poſsit.

FINIS AVCTARII COMMENTARIORVM.

9736975
04 MY 2022